BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.

DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.

TREUTTEL ET WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.

F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.

BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.

BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.

MONGIE aîné, libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.

H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.

ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

POETÆ LATINI
MINORES
EX RECENSIONE WERNSDORFIANA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

POETÆ LATINI
MINORES

SATIRICA, ELEGIACA,
LYRICA,

ET ALIA QUÆDAM CARMINA,

QUÆ NOTIS VETERIBUS AC NOVIS ILLUSTRAVIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN SECUNDUM

PARISIIS
COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE
POESEOS LATINÆ PROFESSOR
MDCCCXXIV

NOMINA AUCTORUM

QUI IN SECUNDO HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

PRÆFATIO

JO. CHR. WERNSDORFII *.

Qui prioribus duobus nunc succedit tomus Poetarum minorum, magnam et conspicnam partem singularium poematum continet, quibus locus in sylloge abs me instituta debetur, ut jam non gradum aliquem, sed progressionem insignem fecisse hæc mea edendorum poetarum molitio videatur. Tres omnino poematum classes hoc volumen habet, Satirarum, Elegiarum et Lyricorum, et singulæ varietate et præstantia carminum insignes sunt, quæ partim rarius adhuc edita, necdum in similes collectiones recepta, primus in hanc syllogen traduxi, studioseque illustravi, partim edita quidem sæpius, sed variis multorum conjecturis et interpretationibus vexata magis, quam perpolita, ita castigare et explanare adnisus sum, ut commodius nunc legi et intelligi queant. Possum inprimis affirmare de Val. Catonis Battaro, de Marii Victoris carmine, de Vir-

* Hæc præfatio præfixa tomo tertio editionis Wernsdorfianæ, hoc volumen secundum aperit, quia in primo nostro duos illius tomos comprehendi curavimus. Ed.

gilii ad Messalam et Cornelii Galli Elegia, de Lactantii Phœnice, de Spurinnæ odariis et de Pervigilio Veneris, hæc carmina partim mendosa admodum et obscura, partim intacta adhuc, operam me dedisse, ut diligentius explanarem; videorque mihi, in procemiis maxime, ea observata ex historia et literatura antiqua protulisse, quæ novam vel meliorem lucem in ipsa carmina diffunderent, et ignorata adhuc, vel neglecta, rectam eorum interpretationem impediissent. In proponendis carminibus hujus voluminis deserendus mihi mos fuit, quem alias in venaticis poetis et in Calpurnio observaveram, ne variantium lectionum indicia et criticas rationes ab ipsa annotatione separarem. In classicis poetis, et melioris ævi scriptoribus, qui ab eruditis pariter, ac tironibus, linguæ Romanæ et poeseos studiosis, assidue tractandi et perbibendi sunt, atque ubi verba contexti partim constituenda e rationibus criticis, partim explicanda ad sensum et ingenium poetæ sunt, ut sine offensione a quibusque legi, et intelligi cum fructu possint, hanc sane optimam rationem esse fateor, ut, qui non aliam quam expeditam verborum interpretationem volunt, non necesse habeant ista criticarum disquisitionum dumeta perrepere. Sed poetarum, quos in opere meo produco, alia est ratio. Non illi omnes studiis juniorum apti, nec cura eruditorum multum adhuc castigati, usuque triti sunt, atque adeo multo pluribus, quam alii, lectionibus dubiis, corruptis vexatisque impediuntur, quæ continuum

editori negotium facessunt, ut ejus annotatio fere non alia in re, quam in his examinandis, versari, neque aliis quam eruditis lectoribus scribi possit. Interpretatio autem quum nulla facile tentari possit, nisi probabili lectione prius constituta, hinc eam raro sejungi posse a disquisitione critica arbitror, omninoque melius factum puto, si annotationes talibus subjectæ carminibus, utroque officio, ubi opus sit, fungantur. Multa omnino multis in locis horum carminum, male affectis et mendosis, correxi et in melius restitui, neque ullum facile locum puto occurrere merito suspectum, quem intactum et intentatum transmiserim. Interim pleraque eorum, quæ corrigenda videbantur, in annotatione indicasse contentus, in contextum ipsum intrusi nihil, nisi quod ita legendum certis ex rationibus evidenter cognossem. Hac ratione neque socorditer mihi videor in explicando emendandoque auctore versatus, neque temere grassatus in verba contexti, in quæ aliis non minus eruditis, quam mihi, jus relictum esse fingendi et refingendi, si ita videatur, puto. Postulare hoc fidem arbitror, quam tum ipsi scriptori proponendo editor, tum orbi literato, cui proponit; debet, ut eum, quam fieri possit, sincerum et minime interpolatum reddat: neque usquequaque probanda hæc eruditorum solertia videtur, qui quidquid uspiam laborare aliqua suspicione, aut minus accurate dictum vident, illico magna cum fiducia correctum obtrudunt auctori, et in textum inserunt.

Quamquam lubens fateor, has emendationes plerumque non sine magna doctrinæ et ingenii significatione fieri, idem tamen existimo, vix fieri potuisse, ut poetæ, quamvis optimi, impetum ingenii sequuti, et ardore quodam animi abrepti, tam accurate eleganterque ubique scriberent, quam scripsisse eos Critici volunt, verba eorum in summo otio, in magno doctrinæ apparatu, acerrimoque studio exigentes. Errare, falli, labi, dormitare nonnunquam optimos scriptores potuisse arbitror, ubi codices nulli melioris scripturæ indicium faciunt, atque igitur emendationes eruditorum posse subinde elegantissimas acutissimasque esse, nec tamen veras; quæ si contexto temere copioseque inferantur, et pro verbis ipsius auctoris venditentur, sane periculum est, ne pro emendato scriptore maxime corruptum habeamus. Scimus nostra memoria exstitisse magnos quosdam et excellentes Criticos, in quibus nunc maxime Bentleium et Marklandum nominare volo, qui in castigandis et emendandis poetis antiquis tanta eruditionis et acutissimi ingenii felicitate usi sunt, ut jures, aliter poetas, quam illi censuerint, scribere non debuisse; et tamen quum hi, ejectis lectionibus vulgatis, suas conjecturas haud raro contra omnium, aut plurium codicum auctoritatem intulerint, quis jurare ausit hanc eorum scripturam genuinam, et primitivam ipsorum auctorum, esse? Quid? si postea exoriantur alii, qui auctoritate et admiratione Bentleii, ejusque similium, inducti, poetas ab his editos ad solam eorum

recensionem, neglectis aliorum lectionibus, semel iterumque repetant; an tum Horatium, Manilium, Statium ipsum nos retinere putabimus? non subinde vetustiora exemplaria, ut sinceriora, requiremus? Enimvero quantopere Bentleii audaces emendationes reprehenderint docti viri, nemini his in studiis versato ignotum est: Marklandus autem quam falsus sæpe fuerit conjecturis suis in textum Statii inferendis, ipse in duobus carminibus, inter Lyrica hujus tomi abs me relatis, uno alteroque exemplo deprehendi, et vulgatam lectionem, quia non recte intellexerat, temere ab eo repudiatam, satis me arbitror demonstrasse. Similiter Valerii Catonis carmen, quo nullum aliud mendosius ad nos pervenit, Christophorus Arnoldus, quo planius lectuque facilius esset, e conjecturis Scaligeri, Lindenbrogii, aliorum, in textum illatis consarcinavit, tametsi ipse in annotationibus haud raro alia statuit. Ego vero, qui putabam, sic valde dubiam reddi poematis integritatem, consultum duxi parcius adsentire priorum emendationibus, et quamquam omnia, quæ suspecta et obscura viderentur, in annotatione subjecta indicavi, ex his tamen alia nulla, nisi quæ manifeste corrupta certa ratione emendassem, in contextum admisi; alia magis dubia partim interpretatione juvi, partim meis vel aliorum conjecturis adductis docto lectori judicanda et corrigenda tradidi. Eamdem rationem quum in aliis quibusque carminibus explicandis sequutus sim, recte me officio Critici et interpretis

functum esse existimo. Et quamquam futuri sunt forte, qui nonnulla severius abs me castigata, aut aliter emendata velint, neminem tamen spero tam iniquum fore, ut, quia nolui ubique secare et urere, neque alieno sensu et judicio uti potui, quum uterer meo, propterea nullo me usum esse calumnietur, et, quod nuper ineptus censor in Bibliotheca Berolinensi de prioribus tomis operis mei, infenso prorsus animo, et sermone insolentiarum et imperitiarum pleno judicans, mentitus est, pristina menda et vitia non sublata abs me, non emendata esse, clamet.

In annotationibus, quæ verba et sensum poetæ explicant, id potissimum egi, ut dictionem cum aliorum poetarum locis conferrem, singularem subinde latinitatem enotarem, et in sequioris ævi carminibus imitationem Veterum, ubicumque indicia essent, ostenderem. Id frequentius et nonnunquam spissius, quam necesse erat, factum esse non diffiteor, sed nonnulli usui futurum apud eos spero, qui dictionem veterum poetarum imbibere, majoremque cum iis familiaritatem contrahere cupiant. Notavi quidem omnia, quam fieri potuit, brevissime; in Excursibns tamen, quibus locos exposui, qui et difficiliores explicatus habebant, et uberiorem disserendi copiam desiderabant, laxius de re proposita, tamquam latiorem in campum excurrens, disputavi, sententiam non solum meam fusius approbavi, sed et diversas aliorum exposui, subinde etiam ad affinia argumenta deverti, libertatem mihi

et copiam vindicans, quam ipsa excursuum ratio permittebat.

Præter interpretandi operam aliud consilium hujus tomi elaboratione exsequutus sum, ut poetarum omnium, qui in quoque genere carminum nomen aliquod habuissent, memorias exponerem, essetque hoc opus non solum ad intelligentiam poematum, quæ propono, sed et poetarum Latinorum notitiam comparatum. Prioribus in tomis hoc jam observavi, ut de carminum propositorum auctoribus agerem in prooemiis: tomo tertio ut major poematum numerus inest, ita uberior materia de multorum poetarum ætate et operibus disserendi fuit; et quoniam eorum, quorum non alia, quam pauca vel singularia carmina exstant, memoria plerumque obscura et parum pertractata est, hinc operam dedi, ut eam, quantum fieri posset, eruerem e Veterum testimoniis, et luculente explicarem. Neque in his tantum poetis substiti, quorum poemata ipse reddo, sed quo magis hanc partem historiæ literariæ locupletarem, curam meam ad eorum simul memoriam repetendam transtuli, quorum nulla ad nostram ætatem opera pervenerunt. Itaque in superioris voluminis præfatione poetas enumeravi, qui antiqua Romanorum ætate bucolicis carminibus, sed nunc deperditis, nomen aliquod retulerunt, additis simul iis, qui idem genus barbaris sæculis tentarunt: de Satiricis et Lyricis poetis hac quidem præfatione agere constitueram, sed quum uberior ea

materia videretur, quam quæ commode hoc loco explicari posset, singulari eam dissertationi, quæ mox insequetur, destinavi.

Hæc quidem de universitate hujus voluminis, et de ratione, quam in adornando eo sequutus sum, monenda videbantur. De singulis carminibus quæ notanda habui, dixi in procemiis, quæ cuique classi præmissa sunt. Neque vero necesse est, quæ sint dotes libri mei, et quæ poetis hisce accommodaverim interpretandi præsidia, enarrare singula et recensere, quum sperem non defuturos ei lectores, literarum Romanarum peritos, qui ipsi legant, et candide judicent. Et dudum de superioribus tomis egregia virorum doctissimorum judicia facta sunt, qui perspicientes gravitatem et amplitudinem instituti operis, partim utilia monendo, partim adsentiendo probandoque ornarunt simul et juverunt conatus meos. Quo favore, tamquam hortatu, non diffiteor alacriorem me factum ad persequendum, quem susceperam, laborem, eumque per plures tomos continuandum.

De poetis, qui proximo volumine hujus operis prodibunt, ut pauca adjiciam, mutandum ordinem prius institutum duxi, et quæ carmina antea quinto destinaveram tomo, quod argumento et dignitate præstare videbantur, quarto decrevi addicere. Proxime igitur sequentur, qui de viris aut rebus illustribus, narrandi, laudandi, gratulandi caussa, et maximam quidem partem heroico versu, scripserunt, in quibus eminent

Corn. Severi Ætna, carmen panegyricum in Pisonem, quod alias Lucano attributum ego certius Saleio Basso inscribendum arbitror, Petronii Trojæ Halosis, Reposiani et aliorum scholasticorum fabulæ quædam et themata veterum poetarum exposita, auctorum incertorum epithalamia duo, Licentii carmen ad Augustinum, et alia; quibus adjicietur Rutilii Numatiani Itinerarium. In his carminibus illustrandis æque, ut adhuc feci, dabo operam, ut veterum poetarum studium et intelligentiam juvem, et eruditorum exspectationi, quoad possim, satisfaciam. Scrib. Helmstadii, in Academia Julia Carolina, a. d. VI April. DCCLXXXII.

N. B. Nos in hoc secundo nostræ editionis volumine, ordinem quidem a Wernsdorfio constitutum sequuti sumus, nec ultra limites quos sibi proposuit, opus tetendimus; nisi quod quædam opuscula elegantissima, præsertim in Anthologia Latina Burmanni selecta, his poematiis adjungi, gratum et acceptum lectori futurum esse existimavimus. Ed.

DISSERTATIO

DE POETIS LATINIS

SATIRICIS, ELEGIACIS, LYRICIS,

QUUM VETERIBUS

QUORUM SCRIPTA INTERIERUNT,

TUM RECENTIORIBUS

QUI MEDIO BARBAROQUE ÆVO SCRIPSERUNT.

Operis mei, quod e poetis minoribus construxi, id consilium esse dudum professus sum, ut non solum poetarum, quæ in quaque classe exstant, carmina proferam, sed eorum etiam memorias tradam, quorum vel nulla ad nostram ætatem poemata relicta sunt, vel serius et barbaro ævo scripta nullum in hac collectione locum meruerunt. Quare qui præfat. ad t. II (t. I, p. 309. Ed.) poetas bucolicos recensui, qui antiquiore ætate præter Virgilium et Calpurnium carmina scripsisse pastoralia viderentur, et qui medio, quod dicitur, et barbaro ævo scripsissent; idem nunc de Satiricis et Lyricis poetis suscepi agendum, quorum e classe sunt carmina hoc volumine proposita. Referam hac dissertatione seriem poetarum, qui antiquitus præter Horatium, Persium, Juvenalem, præterque eos, quos hoc volumen sistit, famam e Satirica vel Lyrica poesi retulerunt, aut e barbarie sequioris ævi hoc genus carminum

imitati sunt. Nam de Elegiacis poetis vix licebit multos seorsum nominare, quum hoc carminis genus tam commune et usitatum variis et argumentis et ingeniis sit, ut poetas eo carmine usos vix seligere ex aliis et separare liceat. In ea poetarum Satiricorum et Lyricorum enarratione multa potero e Veterum monumentis afferre, quibus Criniti, Gyraldi, Casauboni, Vossii, Funccii notata partim emendentur, partim locupletiora reddantur.

Satiricos poetas eos maxime intelligo, qui Triumviros istos, Horatium, Persium, Juvenalem sequuti, Lucilianam Satiram scripserunt. Id genus carminis post Horatium valde inter Romanos frequentatum est, multosque scriptores occupavit sub Imperatorum dominatu, quum malorum Principum vita, omnibus vitiis inquinata, civitatem flagitiis immergeret, rursusque ingenia irritaret mordacium poetarum.

I. Nolim tamen ad Satiricos poetas referre eos, qui carmina probrosa in Cæsares composuisse memorantur. Horum nonnullos ex historicis collectos nominavit Gyraldus, de Poet. Hist. dial. IV, p. 232, ut Ælium Saturuinum, quem ob carmina in Tiberium scripta de Capitolio præcipitatum scribit Dio, lib. LVII extr. Sex. Vestilium, Prætorium, quem, quod quædam in C. Cæsarem composuerat, item Mamercum Scaurum, idem Tiberius mori coegit, teste Tacito, Ann. VI, 9 et 29. Sext. Paconianus ob carmina in Principem factitata in carcere strangulatus. Tacit. Ann. VI, 39. Servatus autem C. Cominius, eques Rom. quem ejusdem rei convictum Cæsar precibus fratris, qui senator erat, concessit. Tacit. Ann. IV, 31. De Antistio Sosiano, qui in Neronem scripserat, dixi in prooemio. Lucanum famoso carmine tum Neronem ipsum, tum potentissimos amicorum proscidisse, Suetonius in ejus vita refert, cui fortasse fragmentum Satiræ, quod Turno adscripsimus, posset tribui, nisi styli diversitas reclamare videretur. Etiam Curtium Montanum probrosi carminis reum factum sub Nerone memorat Tacit. Ann. XVI, 28. Neque nunc plures addo.

II. Sed hæc eorum carmina vix Satirarum nomen mereri, neque auctoribus famam poetarum adquirere potuerunt. Quamobrem neque *Lenæum* Grammaticum, Pompeii Magni libertum, quem Suetonius de Illustr. Gramm. c. 15 scribit Sallustium historicum acerbissima Satira lacerasse, quia hæc et singularis fuit, et in singularem adversarium scripta, his poetis accenseri velim; neque *Sævium Nicanorem* Grammaticum, quem ubi idem Suetonius l. c. cap. 5 memorat præter commentarios etiam Satiram scripsisse, in qua libertinum se professus sit, ista Satira dubium est, Luciliana, an potius Varroniana fuerit.

III. Rectius eos spectamus, qui in moribus sæculi sui castigandis, ad Lucilii et Horatii modum, elaborarunt, quorum plerique a Casaubono de Rom. Sat. lib. II, c. 3, recensentur. Talis, ipsa Horatii Flacci ætate, fuit Julius Florus, ad quem illius Epistola III, libri I, et secunda libri II scripta est. De eo Porphyrio scholiastes ad hanc Epist. III: *Hic Florus fuit Satirarum scriptor, cujus sunt electæ ex Ennio, Lucilio, Varrone.* Ipse Horatius ut caussidicum, jureconsultum, et poetam prædicat, l. c. vs. 23:

Seu linguam caussis acuis, seu civica jura
Respondere paras, seu condis amabile carmen,
Prima feres hederæ victricis præmia.

Inter declamatores eum adducit Seneca pater, Contr. XXV. Et Quintilianus, lib. X, 3, 13, si illum ipsum intelligit, Julium Florum vocat principem in eloquentia Galliarum, quoniam ibi demum exercuerit eam, alioqui inter paucos disertum.

IV. Juvenalis interpres vetus ad Sat. I, 20, tres nominat Satirographos poetas, ex Aurunca, Lucilii patria, ortos, Turnum, de quo in prooemio fusius egimus, Lenium quemdam, de quo dubitat Casaubonus, an *Lenæus* sit ille, quem supra nominavimus; denique Silium, quem ipsum sui temporis Satiricum fuisse ait. De hujus Silii, ut de Lenii, ætate

nihil constat, etsi certum est, non esse Silium Italicum. Silium Bassum, et Silium Sparsum inter rhetores adducit Seneca, Controv. III, VI et VII, nec tamen eos huc trahi posse arbitror.

V. Ex ætate *Persii* et *Juvenalis* Casaubonus l. c. dicit esse Julium Rufum, quem Martialis inter Satirarum poetas referre videtur epigrammate 99 libri X, figuræ Socratis subscripto:

> Si Romana forent hæc Socratis ora, fuissent
> Julius in Satyris qualia Rufus habet.

Casaubonus eo versu putat gravitatem Rufi in Satiris laudari, et Raderus ad Martial. cum eoque Crenius in Annot. ad librum Casaub. existimant, virum illustrem et doctum fuisse, ad quem Plinius, Epist.V, 21, et VII, 25, scripserit. Verum ut hoc affirmari vix tuto licet, quum plures Rufos in epistolis memoret Plinius, ita et hoc valde dubium, an Satiricam Rufi poesin Martialis laudare voluerit. Nam quum de imagine Socratis sermo sit, quem simo vultu et Silenis simili fuisse, gemmæ antiquæ docent, potest hæc esse sententia Martialis, ut dicat, vultum Socraticum Rufi, quasi inter Satyros, fuisse, aut eum irrisum a Satiricis poetis.

VI. Claudii et Neronis tempore fuit Annæus Cornutus, Persii magister, philosophus simul et poeta eximius, cujus esse Satira videtur, quam Fulgentius Planciades de prisco sermone citat: *Titivillitium: M. Cornutus in Satira ait: Titivillitii sat cedo tibi;* quod Casaubonus emendat: *titivillitio istas cedo tibi.* Ex Persio, et vitæ ejus scriptore Suetonio discimus, Romæ philosophiam Stoicam professum esse, et juventuti ad sapientiæ studium magisterio suo præivisse. Atque ut Philosophum nobilem et scriptis philosophicis clarum præcipue celebrant Eusebius in Chronico ad an. 2083, Hieronymus in epistola ad Magnum oratorem, et Suidas, qui tamen plura falsa de eo scripsisse videtur. Nihilominus eum eruditione et studiis aliis excultum fuisse, atque in

poesi excelluisse, multa produnt. Suetonius Tragicum fuisse sectæ Stoicæ dicit. Dio Cassius, lib. LXII extr. narrat, adhibitum eum a Nerone in consilium super instituto carmine de rebus gestis Romanorum qua de re consuli vix potuit, si tantum Stoicus fuit. Suidas eum multa et philosophica et rhetorica scripsisse ait, neque dubitandum putat Vossius de Hist. Lat. lib. I, cap. 26, esse eum Cornutum, quem Gellius, lib. II, cap. 6, inter Grammaticos ævi superioris haud sane indoctos, neque ignobiles, refert, commentariaque in Virgilium composuisse dicit, et alio loco, lib. IX, cap. 9, libros fecisse de figuris sententiarum testatur. Et commentariorum ejus in Virgilium meminit non solum Macrobius, lib. V, cap. 19, sed et Charisius Grammat. Instit. lib. I, p. 100 et 102, Putsch. Tam studiosus poetarum et idem Stoicæ philosophiæ amans, haud mirum est, si carminum genus, insectandis hominum vitiis aptum, excoluit. Satira quidem, quam Fulgentius ei tribuit, adhuc dubitari potest, an ejus generis fuit; sed studium ejus, mores hominum castigandi, declarare Persius in quinta his verbis videtur, quæ sub persona Cornuti pronuntiantur, v. 15:

...............pallentes radere mores
Doctus, et ingenuo culpam defigere ludo.

His enim verbis, judice Casaubono, Cornutus testatur, se Persium, discipulum suum, in Satiris scribendis instituisse, ita ut ipse hac occasione interdum, velut exempli caussa, Satiras scriberet. Cæterum hunc Cornutum a Nerone propter liberiorem de ejus carminibus vocem mulctatum exsilio, referunt Dio l. c. et Eusebius in Chronico; Suidas vero, interfectum cum Musonio. Quæ Vossius conciliari posse ait, si prius in exsilium egerit, posteaque interfici jusserit. Luculentius de Cornuto egerunt Casaubonus in commentar. in Persii Sat.V; Vossius, de Histor. Lat. l. c. Jac. Bruckerus, Hist. Crit. Philos. tom. II, pag. 537 seqq. et J. A. Fabricius, Bibl. Græca, vol. II, p. 398, qui inter alia observant etiam,

libellum *de natura Deorum*, sub Phurnuti nomine plerumque editum, recte Cornuto Stoico vindicari.

VII. Cornuto subjungo Gavium Bassum, de quo Fulgentius : *Vervina, jaculi genus longum, quod aliqui verutum nominant. Gavius Bassus, Satira : Vervina confodiende, non te nauci facio.* Male veteres edd. Galbium nominarunt, neque rectius alii Gabium scribunt. Etenim Gaviæ gentis nomen in veterum inscriptionum monumentis sæpe occurrit, nusquam Galbiæ, vel Gabiæ. Macrobius, qui aliquoties Gavium Bassum nominat, Saturn. lib. I, cap. 9, librum de Diis ab eo compositum laudat, quem etiam signare Lactantius, Instit. Div. lib. I, 22, videtur. Libros Gavii Bassi de Origine verborum et vocabulorum A. Gellius, lib. II, 4, V, 7, et XI, 17; Macrobius, Saturn. lib. II, 14, allegant : cui librorum argumento plane simile prædicat Persius, Sat. VI, 3, de Cæsio Basso :

> Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
> Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ.

Unde colligi videtur, hunc Cæsium Bassum eumdem esse, quem Gellius Gavium nominet, nisi rectius hic legendum est, quod quædam exemplaria habent, *veterum primordia rerum*. Quum memorati libri Bassi toties citentur a Veteribus, nec vero Satiræ; illa, quam Fulgentius appellat, Satira fortasse non diversa ab istis fuit, et hoc vocabulo ille commentarium miscellarum observationum indicat, quales Bassi libri de Diis et de Origine verborum fuerunt. Cæterum Gavii Bassi ætas ignota, nisi cum Vossio suspicari velis, fuisse eum Gabium Bassum, qui Trajani temporibus Ponticæ oræ præfectus fuit; de quo Plinius, lib. X, epist. 18 et 32, et Trajanus epistola amœbæa.

VIII. Rabirii poetæ Satiram Lucilianam indicare Fulgentius videtur alio loco, ubi versum ex ea adducit. *Abstemius*, inquit, *observans. Rabirius in Satira : Abstemium merulenta fugit Methenia nomen.* Mirum, hoc versu secundam

in *abstemius* corripi. Etiam Rabirii nomen vexatum, et aliis in libris pro *Rabirius* legitur *Rubrius*, qui quum plane ignotus sit Veteribus, hinc alii *Rutilius* emendare voluerunt. Mihi non abjiciendus videtur Rabirius; habendusque pro C. Rabirio, quem inter ævi sui poetas refert Naso, de Ponto, lib. IV, epist. 16, v. 5: *Quum foret et Marsus, magnique Rabirius oris.* Grandiloquum poetam fuisse, ex his verbis colligit Vossius, de Hist. Lat. lib. I, cap. 21 extr. Quid tamen scripserit, et quod argumentum fuerit carminum ejus, nullo Veterum testimonio compertum est. Nam quod L. Ann. Seneca, lib. VI de Benef. cap. 3, versum Rabirii poetæ laudat, quem apud eum M. Antonius exclamet, quum fortunam suam transeuntem alio videret, et sibi nihil relictum, præter jus mortis, *Hoc habeo, quodcumque dedi;* ex eo temere colligit Vossius, Rabirium descripsisse bellum Actiacum inter Octav. Augustum et M. Antonium Triumvirum. Poterat hoc dictum Rabirius in quovis alio carmine, exempli vel argumenti caussa, proferre. Id certum est, relatum esse Rabirium inter Epicos poetas. Velleius adeo effert lib. II, cap. 36, ut proximum ei a Virgilio locum dare videatur: *Inter quæ* (ingenia) *maxime nostri ævi eminent, princeps carminum Virgilius Rabiriusque.* Quintilianus, lib. X, 1, cum Corn. Severo, Valer. Flacco, Saleio Basso, Pedone memorat, cæterum modice laudat: *Rabirius ac Pedo non indigni cognitione, si vacet.* Ego nihil impedire existimo, quominus et Satiras scripsisse credatur. Quod eum *magni oris* dicit Ovidius, hoc æque in Satirographum convenit, ac illud Martialis de Turno, Epigr. XI, 10: *Contulit ad Satiras ingentia pectora Turnus.*

IX. Domitiani ætate Sulpicia floruit, de qua in ipso opere egimus. Cui adjungendus Manlius Vopiscus, quem poetam egregium quum alia carmina, tum Satiras scripsisse testatur Pap. Statius, Silv. lib. I, 3, 101 seq.

> Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris,
> Sive chelyn tollas heroa ad robora, sive
> Liventem Satiram nigra rubigine turbes.

Potest et Tucca hunc in censum referri, quamvis ineptus Satirarum scriptor, quem Martialis ridet Epigr. XII, 95, 7: *Tentamus Satiras; Lucilius esse laboras.* Quem versum si serio scripsit Martialis, ipse videtur Satirographorum choro inserendus.

X. Porro L. Apuleius, adscribendus, qui de se ipso testatur, se ut aliis in carminibus, ita in Satira elaborare, in Floridis, p. 346, edit. Elmenh. *Pro his præoptare me fateor, uno chartario calamo me reficere poemata omne genus: apta virgæ, lyræ, socco, cothurno: item satiras ac gryphos.*

XI. Succedat Tetradius, Ausonii Burdigalensis amicus, a quo ille ut Satirarum scriptor insignis, ipsique Lucilio præferendus, laudatur Epist. XV, his verbis:

O qui venustos uberi facundia
Sales opimas, Tetradi;
Cavesque, ne sit tristis et dulci carens
Amara concinnatio:
Qui felle carmen atque melle temperans,
Torpere Musas non sinis;
Pariterque fucas, quæque gustu ignava sunt,
Et quæ sapore tristia:
Rudes Camenas qui Suessæ prævenis,
Ævoque cedis, non stylo.

Rudes autem *Suessæ Camenas* dicit rudem et impolitum stylum Lucilii, qui ex Suessa Auruncorum fuit. Unde cum Juvenalis, Sat. I, 20, *magnum Auruncæ alumnum* vocat.

XII. Sub Arcadio et Honorio vixit dignitate et eruditione illustris vir Cæcina Decius Albinus, qui Satirographorum nobilissimus, nec Juvenali posterior habendus est, si Rutilii Numatiani de eo elogium attendamus. Integrum locum, Itiner. vers. 599 seqq. apponamus, ubi de quodam Tusciæ præfecto:

Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
Per Corythi populos arva beata regit.
Nec mirum, magni si redditus indole nati,
Felix tam simili posteritate pater.

Hujus vulnificis, Satira ludente, Camenis
Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.
Restituit veterem censoria lima pudorem;
Dumque malos carpit, præcipit esse bonos.

Primo quidem Decium laudat, Tusciæ tum præfectum, generis et virtutis nobilitate præclarum; hujus autem patrem *vulnificis Camenis*, et *Satira ludente* inclaruisse dicit. Decium hic nominatum, subductis rationibus temporum, non alium puto esse, quam Decium illum juniorem, quem cum Postumiano loquentem inducit Macrobius, Saturn. I, 2. Hujus pater haud dubie Decius est, qui A. C. 402 Præfectus Urbi fuit, testante lege XV, tit. XIII de tironibus, lib. VII Cod. Theod. ad quem exstant Aurel. Symmachi Epistolæ, lib. VII, 35 ad 60, quique apud Macrobium l. c. Cæcina Albinus nominatur, eidemque Symmacho ætate, moribus ac studiis conjunctissimus dicitur. Unde integrum ejus nomen fuisse Cæcinam Decium Albinum, tuto colligitur. Hunc tamen Decii patrem Rutilius *Lucillum* vocat versu 599: *Lucilli nobile pignus*, iterumque versu 613; quod nomen nusquam Deciis adhæsisse lego, neque in fastis horum temporum invenio. Casp. Barthius et alii Rutilii interpretes adlusum putant ad Lucilium Satiricum, et Decium putant ejus quasi nepotem vel progeniem ob scriptas Satiras dici. Cui sententiæ sane repugnat versus 601, qui nisi de patre naturali intelligi nequit. Sed rationem ejus nominis mihi aperire videtur Symmachus, Epistola 36 libri VII ad Decium scripta: *Omnia, quæ Tyrrhenus adluit, nominis tui plena sunt. Quid multa? successisti in famam Luculli; quo magis miror ad alia te nonnunquam posse transire.* Mihi plane videtur nomen Luculli mendose positum pro *Lucilii* vel *Lucilli* esse, quemadmodum apud alios scriptores, ut apud Apuleium, Apolog. p. 413, et in scholiaste Juvenalis ad Sat. IX, 5, Lucilius poeta in Lucullum vitio librariorum mutatus est. Quod igitur Decium ait successisse in famam Lucilii, hoc satis clare indicat, tantum Decio nomen fuisse

e Satiris probabiliter scriptis, ut Lucilius sui temporis vocaretur, quemadmodum et Martiali Lucilius nomen Satirographi est : *Tentamus Satiras : Lucilius esse laboras* (1). Magis fidem faciunt, quæ Rutilius de meritis Decii patris addit, quæ talia sunt, ut ei facile elogium Lucilii adquirere potuerint. Nam affirmat Satiras ejus profuisse reipublicæ, severa castigatione morum veterem restituisse pudorem, et tamquam legibus latis bonos cives effecisse, inprimisque iniquorum judicum fraudes et pecuniæ publicæ rapinas repressisse. Vid. vers. 608 seqq. Ad Lucillum aliquem scripta est Symmachi Epistola XXI libri VIII, in qua quum nihil

(1) Rationes quibus patri Decii nomen Lucilli additum e fama scriptarum Satirarum fuisse asserit Wernsd. nunc mihi non satis firmæ esse videntur. *Luculli* nomen quod in allegato Symmachi loco occurrit, haud temere in Lucillum vel Lucilium mutandum est, et Symmachus ibi Decium comparat cum antiquo Lucullo ob ædificia et villas, quas in maritima regione ad Tyrrhenum, Luculli ejus splendorem et divitias imitatus, exstruxerat. Exstitisse vero alios tunc temporis, quibus proprium nomen Lucilli esset, ejusdem Symmachi epistolæ testantur. Atque igitur Decii patrem vero et proprio nomine Lucillum appellatum esse existimo, licet ejus filius Decius nominaretur : nam ea ætate non idem semper gentile nomen pater et filius tenebant, et diversarum gentium nomina sæpe in una familia misceri solebant, quemadmodum in inscriptione Symmacho posita, quam Bosius epistola XXX ad Reincsium profert, Q. Aurelius Symmachus pater, et Q. Fabius Memmius Symmachus ejus filius appellatur. Et Lucilli filius fortasse a Decio quodam adoptatus, vel matre gentis Deciæ natus, Deciorum nomen accepit. Vero propius est, Lucillum Satirographum, quem Rutilius laudat, esse Q. Fabium Lucullum (i. e. Lucillum) quem Fulgentius Planciades in Expos. Serm. Ant. voc. *Ramentum* nominat, ex ejusque epico, ut dicit, carmine hæc verba adducit : *Vilissimum ramentum, proluviosa pestis*. Pro *epico* legendum esse *ethico* censeo, quod sequioribus sæculis Ethici vocari Satirici solebant; si quidem Juvenalem inprimis media in barbaria per excellentiam *Ethici* titulo citari, ut a Jo. Sarisberiensi et Alano, Barthius monet ad Rutil. Itin. I, v. 604. Horatius quoque ipse *Ethicus* passim citatur ab eodem Joanne Sarisberiensi in Metalogico. Cæterum quæ a Fulgentio adducuntur verba, ex epico carmine non esse, ipsa per se satis declarant. Idem esse videtur Lucillus poeta, cujus epigrammata σκωπτικὰ in Anthologia Græca leguntur. En.

continetur, e quo gens et familia illius intelligatur, tum vero et nihil impedit, quominus Decium Lucilli nomine, post acceptum illud e Satiris elogium, a Symmacho insignitum credamus. Eruditum hominem in otio quædam stylo exarasse et ad se misisse scribit. Lucilli poetæ epigrammata aliquot in Anthologia Græca exstant, σκωπτικὰ pleraque et διασυρτικά, atque adeo ingenio ejus, qui Satiras scripserit, digna (1). Hunc Fabricius, Biblioth. Gr. vol. II, p. 719, ostendit vixisse sub extremum sæculi quarti a Christo nato, quæ ætas ipsa est Lucilli ejus, quem quærimus; cujus adeo nomen Cæcina Decius adsumpsisse videtur, ubi epigrammata σκωπτικά, vel ubi Satiras scriberet. Hunc Decium, patrem, cognomine Lucillum, esse arbitror, qui *Cæcina Decius Albinus V. C. Præfectus Urbi vice sacra judicans* dicitur inscriptione Fl. Arcadio Aug. posita, apud Gruterum, pag. CCLXXXVII, 2. Filium ejus, qui Rutilio iter faciente Tusciæ Præfectus erat, esse suspicor *Cæcinam Decium Acinatium Albinum* Præfectum Urbis sub Honorio et Theodosio II, qui in lapide Gruteri, p. CCLXXXVI, 7, occurrit, et nescio an idem sit *Albinus* Præf. Prætor. A. C. 426 in lege 7 tit. I, lib. V. Cod. Theod. Nam et pater Decius solo Albini nomine vocatur apud Macrob. lib. I, cap. 2. Hujus filius, nepos Cæcinæ Decii, forte habendus est *Cæcina Decius Albinus*, qui Consul A. C. 444 occurrit in fastis, estque fortasse idem Albinus, cui adolescenti Servius Grammaticus Centimetrum, quod apud Putschium, p. 1815, legitur, dedicavit præmissa epistola, qua eum *Clarissimum* et *prætextatorum decus* vocat, etiam patrem avumque ejus laudat, *quibus maximam reverentiam literæ debeant*. Alius est Rufius Albinus, quem comitem itineris sui memorat Rutilius, v. 168, isque videtur filius *Ceionii Rufii Albini* Præf. Urbis sub Valentiniano II, qui exstat in monumento apud Gruter. p. CCLXXXV, 8. Cæterum valde incerta et obscura

(1) Brunckius in Analect. vet. poet. Græcorum, t. II, p. 317 seq. Lucilli epigrammata 124 collegit et proposuit. Ed.

esse, quæ de Deciorum familia hic tradere potui, ipse non diffiteor.

XIII. Ultimo loco cum Casaubono inter Satiricos veteres ponemus Rusticum Elpidium, qui Boethii et Symmachi æqualis, Theodorici Italiæ regis medicus et Exquæstor fuit. Hic in carmine de Christi Jesu Beneficiis, p. 757 Poet. Eccles. G. Fabricii, fatetur, se olim dolore ob acceptas injurias commotum Satiras scripsisse, quas tamen nunc ipse damnet:

> Hinc etiam nostro nugala est schema dolori,
> Garrula mendosis fingens satiromala Musis,
> Falleret ut trepidos cantatrix pagina questus.

XIV. Quæ caussa Elpidio erat, ut Satiras olim scriptas damnaret, eadem alios Christianos scriptores prohibuit, ne omnino scriberent. Acrimoniam illam ingenii et acerbitatem, qua veteres poetæ insectari vitia solebant, contrariam hi putabant sanctitati et charitati Christianæ. Difficile igitur veri nominis Satiram a Christiano poeta scriptam reperias, et quæ forte carmina eorum in vitia hominum invehuntur, simplicem de iis querimoniam magis, quam acerbam insectationem continent. Tale est ipsum, quod proposuimus, Marii Victoris carmen de perversis suæ ætatis moribus, quod tamen facile inter alia similia eminet (1). Equidem non rara sunt Christianorum poetarum carmina, quibus mores ho-

(1) Neque alio fuisse ingenio videtur Satiricus Christianus, Probus, cujus obscuram memoriam produxit Barthius, Advers. XLVIII, 16: « Circa annum Christi 840 floruit doctissimus homo, Probus, qui Satira conscripta ostendere nisus est, etiam pro paganis sapientibus Christum mortuum esse, Ciceronem atque Virgilium ea ratione cælo inferens; cujus nescio an alibi supersit memoria, quam apud Lupum Ferrariensem, Epist. XX, qui, quæ modo protuli, de eo scribit. Quod enim docti quidam eum auctorem commentationum priscarum in Juvenalem faciunt, vereor, ne meræ sint conjecturæ ». Hæc Barthius; ego vero de Satiræ illius Probi ratione, et an satis accuratam ejus notitiam dederit Barthius, adhuc valde dubito. Nam quæstio ibi proposita de salute paganorum sapientum, non video, quomodo argumentum Satiræ esse potuerit. Ed.

nimum castigant, aut singularia vitia perstringunt, ut Claudiani Mamerti *contra poetas vanos*, et Columbani epistola, *in qua detestatur avaritiam*, pag. 775 et 779 Poet. Eccles. Fabricii, Eugenii Toletani *contra ebrietatem* et *contra crapulam*, edita cum Dracontii libellis ab A. Rivino, Lips. 1651, et in Bibl. max. PP. tom. XII, p. 345. Sed ab his et aliis pluribus absunt sales Satirici, quin ipsum Satirarum nomen prope evanuisse sequiorum temporum ætate videtur.

XV. In paucis ævi medii carminibus Satiricorum nomen usurpatum, et acerbitas styli observata, quæ tamen nec omnia, typis excusa, exstare arbitror. Joannis Garlandii, qui anno 1040 claruit, *Satiricorum opus*, lib. I, initio, *Scribo novam tandem Satiram*, memorat Jo. Baleus scriptor. Britann. Cent. II, n. 48. Idem Walonis Britannici Satiram in sacrilegos monachos scriptam tradit, quam Flacius inter alia medii ævi poemata publicavit, et Reinesius epist. LXXV ad Daum. ad sæculum XI refert.

XVI. Godfridus, Wintoniensis in Anglia cœnobii Prior, anno 1107 mortuus, scripsit *Epigrammata Satirica*, lib. I, quorum initium, *Undique susceptum qui miscuit;* et *de diversis hominum moribus*, lib. I, teste Jo. Baleo script. Britann. Cent. II, c. 59, p. 168, et Jo. Pitseo, p. 192 et 193. Carmina Godfridi inter codices MSS bibliothecæ Bodleianæ exstare, Pol. Leyserus, Hist. Poet. med. ævi, p. 372 tradit. Christ. Daumius, not. ad Cat. Dist. p. 140, refert, ab Hieronymo Paduano hunc versum Godfridi sub Martialis nomine allegari: *Alterius censor, censor et esto tuus.*

XVII. Bernhardus, monachus Cluniacensis, qui anno 1160 vixit, scripsit Satiras III dactylo carmine, in quibus Clerum et Curiam Romanam acriter insectatur. Vid. Catal. Test. Ver. tomo II, Hotting. Hist. Eccles. III, 105, Alsted. in Chronol. Hæc tamen omnia, Leyserus, Hist. Poet. med. ævi, p. 427, affirmat, in *Bernhardum* Morlanensem, eodem sæculo viventem, ejusque libros III *de contemptu mundi* quadrare, quos hexametris dactylicis scriptos Matth.

Flacius in *Variis doctorum piorumque virorum de corrupto Ecclesiæ statu poematibus*, Basil. 1556, postea Nathan Chytræus Bremæ 1597, in-8, vulgavit; item Elhardus Lubinus Luneb. 1640, in-12. Plures, qui forte occurrant, lubens prætereo (1).

Elegiaci carminis tam multi auctores omni tempore fuerunt, ut difficile et nimis longum sit eorum seriem enarrare. Duos tamen e Veteribus hic adducemus, qui præcipuam in eo genere famam quæsiverunt, nec monumenta sua ad nostram transmiserunt ætatem.

I. Unus est Aruntius Stella, Patavinus, quem divitiis æque ac ingenio scriptisque carminibus clarum passim laudant Pap. Statius et Martialis. *Juvenem optimum et in studiis eminentissimum, qua parte voluerit*, vocat Statius, Præf. ad lib. I Silv. Nobilissimam virginem Violantillam, quam Hianthida Martialis vocat VI, 21, et VII, 13, ipse Asterida vocare voluit, duxit uxorem, quas nuptias carmine celebravit Statius, Silv. I, 2, et Martialis, VI, 21. Elegis scribendis maxime operam dedisse Stellam, satis clare significat Statius, quum Elegiam inter Musas ad nuptias ejus celebrandas accedentem facit, et principes Elegiæ poetas, Philetam, Callimachum, Propertium, Tibullum, Nasonem, quasi consortes sociosque ejus, nominat, Silv. I, 2, 7, et 252. Domi-

(1) Sed ibi memoratis accenseri meretur qui editus aliquoties est, BERNARDI *Geystensis Palponista;* quo titulo inscripsit auctor, sæculo XIII clarus, duos libros de vita privata et aulica, hexametris rhythmicis compositos, quibus præcipue aularum pestes adulatores, miserias quoque Principum et Curialium depingit. Primus illum vulgavit Henr. Quentelius, anno 1502 Coloniæ, cum glossis. Cujus editionis inscius Christianus Daumius e codice MS quem Thomas Reinesius possidebat, edidit Cygneæ, anno 1660, in-8. Vid. Epistolæ Reinesii et Daumii, pag. 154, 158 et 163. Addidit Daumius Walonis Britanni Satiram in monachos, de qua paullo ante dictum est. Præterea prodiit Palponista in Auctario Catal. Test. Ver. p. 1156. Plura de eo videri possunt apud Fabricium, Biblioth. Latin. mediæ et inf. t. I, p. 627, et Leyserum, Hist. Poet. med. ævi, p. 2001. Ed.

tiani de Sarmatis victoriam carmine a Stella descriptam Vossius et Funccius affirmant, quod ego nullo idoneo probatum testimonio video: hoc certius prodit Statius, multis Elegis eum cantasse amicam suam sub nomine Asteridis, atque, ut Catullus Lesbiæ suæ passerem, sic illum Violantillæ suæ columbam singulari carmine celebrasse. Vid. Stat. Silv. I, 2, 102; Martial. lib. I, 8, VII, 14. Carmina Stellæ exstabant ætate Sidonii Apollinaris, qui eum inter poetas celebres nominat Carm. IX ad Felicem, p. 360, edit. Sirm.

II. Alter hoc loco nominandus est Passienus Paullus, eques Romanus, patria Mevaniensis ex Umbria, Propertii municeps idem ac pronepos, cujus igitur exemplo excitabatur, ut se totum Elegiæ scribendæ dederet. Refert hoc de eo Plinius, Epist. VI, 15, ubi narrat audisse se eum publice recitantem cum Prisco Javoleno Jurisconsulto, qui, quum ille ad Priscum se convertens cœpisset dicere *Prisce, jubes;* ad hoc responderit: *Ego vero non jubeo;* unde risus et joci hominum orti, ipsique Paullo ex aliena deliratione aliquantum frigoris allatum. Paullum aliquem Martialis tamquam plagiarium traducit, Epigr. II, 20:

> Carmina Paullus emit; recitat sua carmina Paullus:
> Nam quod emas, possis dicere jure tuum.

Ex hoc epigrammate vir doctus, qui de Prisco Javoleno JCto dissertationem Lipsiæ 1734 edidit, G. A. Jenichen collegit, Javolenum, qui fortiter amaret Passienum Paullum, atque eum a plagiis suis frustra adhuc revocasset, nunc recitare incipientem, captata opportunitate, salse et graviter reprehendere voluisse. Sed huic accusationi respondit Gesnerus in annot. ad Plinii locum. Et frustra omnino sumitur Paullum Martialis esse Passienum. Qui si veteres poetas, inprimis Propertium, æmulatus est et expressit, ut de eo Plinius alio loco testatur, hoc ipso suspicionem effugit quam maxime, qua Paullum onerat Martialis. Qui enim carmina emere necesse habet, ut pro suis venditet, intacta aliis emit

et latentia, non quæ dudum publici juris facta sunt, et in omnium ore versantur, omnium manibus teruntur; et qui patentem cuilibet laudem occupat, quæ est in imitatione Veterum, minime censendus est alienam furari. Addam alium locum Plinii, quo judicium de Passieni Elegiis fert, Epist. IX, 22: « Vir est optimus, honestissimus, nostri « amantissimus; præterea in literis Veteres æmulatur, ex- « primit, reddit: Propertium inprimis, a quo genus ducit, « vera soboles, eoque simillima illi, in quo ille præcipuus. « Si Elegos ejus in manum sumpseris, leges opus tersum, « molle, jucundum, et plane in Propertii domo scriptum ».

Transeo ad *Lyricos;* quorum nemo est ante Horatium, qui operæ pretium fecerit.

I. Livium quidem, Andronicum puto, Lyrica scripsisse testatur scholiastes Horatii Cruquianus ad Carm. III, 1, pag. 690; sed, ut idem ait, ea non exacta satis Græcorum lege ad Lyricum characterem fuerunt. Et Horatius ipse l. c. jure de se affirmare videtur: *Carmina non prius audita* (Romanis) *Musarum sacerdos canto.* Nam etiam, quæ Catullus pauca habet, tanti non sunt, ut is Lyricis accenseri mereatur.

II. Proximum ab Horatio pono TITIUM SEPTIMIUM, de quo ipse Flaccus, Epist. I, 3, 9 seqq.

Quid Titius, Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus et rivos ausus apertos,
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?
An Tragica desævit et ampullatur in arte?

Ad hæc verba vetus interpres Horatii a Cruquio editus: *Titius Septimius carmina et tragœdias scripsit; sed libri ejus nulli exstant; hujus autem insigne monumentum est infra Ariciam.* Amicissimum Horatio fuisse, testatur ode VII libri II ad eum scripta, et epistola IX libri I, qua eum Claudio Neroni commendat.

III. Subjungo Rufum, de quo Ovid. ex Pont. IV, 16, 28:

> Et qui Mæoniam Phæacida vertit, et una
> Pindaricæ fidicen tu quoque, Rufe, lyræ.

Difficillimum videtur invenire, quinam Rufus ille Lyricus fuerit, quum adeo multi Rufi in antiquitate memorentur. Glandorpius in Onomast. ex Acrone refert Antonium Rufum vertisse Homerum et Pindarum. Sed ubi hoc Acro dixerit, ipse invenire nequeo. Cruquianus tantum commentator ad Art. Poet. v. 288 Antonium Rufum inter cos nominat, qui prætextatas et togatas scripserint; et Grammaticum ejusdem nominis citat Quintilianus, Instit. lib. I, cap. 5, 43, et Velius Longus, de Orthogr. p. 2237 Putsch. Videtur autem mihi Glandorpius, aut alius quispiam, e quo ille hausit, versus Ovidii adductos de uno poeta intellexisse, qui et Mæoniam Phæacida verterit, et fidicen fuerit lyræ Pindaricæ; atque hinc quum memoriæ ejus succurreret Antonius Rufus ab Acrone nominatus, temere existimasse, Homerum et Pindarum ab eo versum. At enim vix dubium est, duo poetas ab Ovidio indicari, atque eum, qui Mæoniam Phæacida, h. e. Odysseam, vel partem ejus vertit, esse Tuticanum, de quo ipse ejusdem libri Elegia XII, ad Tuticanum scripta, v. 27:

> Dignam Mæoniis Phæacida condere chartis
> Quum te Pierides perdocuere tuæ.

Quum igitur Tuticanum priore versu distichi indicavit, quem alibi singulari epistola salutat, probabile videtur, voluisse Ovidium duo amicos et familiares conjungere, et altero versu Rufum intellexisse, ad quem e Ponto lib. II, El. 11 scribit. Huic tamen Rufo ibi non aliam laudem, quam amicitiæ et benevolentiæ impertit, eumque patruum vel avunculum uxoris suæ esse significat, de poesi et carminibus ejus tacet. Unde Rufum, poetam Lyricum, vix e testimoniis aliorum cognoscere possumus, nisi habere pro Antonio Rufo velimus, qui tragœdias et comœdias scripsisse videtur.

IV. Solet etiam in numerum veterum Lyricorum referri Alphius Avitus, quomodo eum nominant Grammatici. Vossius, de Poet. Lat. p. 38, Augusti et Tiberii temporibus vixisse existimat, atque eum conjicit esse Alfium Flavum, quem Cestii Rhetoris, æqualis sui, auditorem M. Seneca, lib. I Controv. 1, ingenio magno fuisse, atque etiam animum ad poesin appulisse memorat. Unde verisimile putat Vossius, dictum esse Flavum Alfium Avitum. Et Flavium Alfium citat Plinius, Hist. Nat. lib. IX, cap. 8, in historia de delphino puerum Puteolanum amante. Plures libros Virorum *Excellentium* iambico dimetro scripsisse, Terentianus Maurus testatur, pag. 2437 Putsch:

Ut pridem Avitus Alphius
Libros poeta plusculos
(Usus dimetro perpeti)
Conscripsit Excellentium.

Ex secundo libro Excellentium Priscianus, lib. VIII, p. 823 Putsch. citat hos versiculos de magistro ludi literarii, filios principum Faliscorum ad M. Furium Camillum adducente, sed ab eo vincto, et pueris tradito, ut verberibus in urbem redigerent:

Tum literator creditos
Ludo Faliscum liberos,
Caussatus in campi patens
Extraque muri ducere,
Spatiando paullatim trahit
Hostilis ad valli latus.

Quintum hujus fragmenti versum repetit Priscianus libro XVIII, p. 1136. Idem libro XII, p. 947, ex eo Alphei libro adducit alios versus, quos recte eruditi ad eamdem historiam referunt, et proditoris adlocutionem ad Camillum esse putant:

Seu tute mavis obsides,
Seu tute captivos habes.

Ita enim legendum censent docti viri, ubi in vulgatis pro

obsides est *hospites*, quemadmodum pro *habes* bene conjicit *aves* Petr. Burmannus ad Anthol. Lat. lib. II, ep. 267, ubi hæc fragmenta Alphii produxit (1). Nescio, an idem sit Alpheus Philologus, e quo Priscianus, lib. VIII, p. 792, hæc verba citat: *Themistocles quum a formoso adsectaretur;* item Alfius, cujus librum primum belli Carthaginiensis laudat Pomp. Festus in v. *Mamertini* (2).

V. Tiberium Cæsarem possis quodammodo poetis Lyricis accensere, quem Suetonius, c. 70, scribit carmen Lyricum composuisse, cujus titulus fuit *Conquestio de L. Cæsaris morte*.

VI. Progredimur ad Cæsium Bassum, quem poetarum Lyricorum post Horatium nobilissimum prædicat, et paullo ante se vixisse testatur Quintilianus, lib. X, cap. I, 96: *Horatius fere solus legi dignus. Si quem adjicere velis, is erit Cæsius Bassus, quem nuper vidimus. Sed eum longe præcedunt ingenia viventium.* Familiaris fuit Persii, qui Satiram VI ad Cæsium Bassum scripsit, in eaque carmina ejus ita laudat, ut possis inde eorum argumenta colligere, v. 2 seqq.

Jamne lyra, et tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ;
Mox juvenes agitare jocos, et pollice honesto
Egregios lusisse senes.

In secundi versus lectione variare exemplaria dixi supra in Satiricis, et, si legendum sit *veterum primordia vocum*, vix

(1) Idem Petr. Burmannus in Mantissa, Annot. ad tom. I Anthol. Lat. p. 452, adducit aliud fragmentum Alphii Aviti, quod servavit vetus codex ejus Prisciani ad lib. IV Instit. Gramm. p. 633; cujus locum ita castigatum a Petro Bondamio exhibet: *Alphius tamen Avitus in lib. I Excellentium, Curis posuit pro Quiris:* « Marite, si sanguis Curis, Sabina si cædes placat, In me, oro, convertas manus ». Ed.

(2) Errore lapsus videtur auctor Lexici Eruditor. edit. primæ, Lips. 1715, qui Alphium Avitum, ait, Christianum poetam, tempore Severi, de vitis Excellentium et de bello Carthaginiensi scripsisse.

aliud intelligi posse existimo, quam Grammaticum aliquod opus, quo significationes verborum explicarit, et simile adeo, aut idem esse, quod Gavio Basso tribuunt Gellius et Macrobius. Hoc tamen opus quomodo numeris, ut Persius ait, describi a poeta, aut idoneum carminis argumentum esse potuerit, equidem non video. Enimvero, quum Persius priore versu generatim *lyram* et *pectinem tetricum* Bassi laudaverit, videtur sequentibus duobus sigillatim argumentum odarum vel carminum ejus grave et severum exponere, quæ dicat vel hymnos et laudes Deorum cecinisse, vel Heroum et fortium virorum facta, quod officium lyricæ poeseos affirmat esse Horatius, Art. Poet. v. 83. In laudibus Deorum præcipue sunt *veterum primordia rerum*, quam igitur veram lectionem istius versus esse statuo, et *marem strepitum fidis Latinæ* dicit de bellis et rebus gestis Heroum. Posteriores versus: *Mox juvenes agitare jocos*, etc. commode mihi videor de Satiris a Basso scriptis intelligere, quibus adeo Horatium, ut in Lyricis, plane imitari voluerit, ipsius Persii, amici sui, exemplo (1). Unde evenit fortasse, ut Fulgentius, duobus Bassis confusis, Gavio Basso Satiram adscriberet, quæ Cæsii esset. Fragmentum aliquod e secundo Lyricorum Bassi servavit Priscianus libro X, p. 897 Putsch.

Calliope princeps sapienti psallerat ore.

Diomedes Grammaticus, lib. III, pag. 513 Putsch. e Cæsio Basso hunc versum molossicum citat: *Romani victores Germanis devictis*, quem aliæ editiones sic concipere dicuntur: *Romani Gallis devictis sunt victores.* Dubitat Vossius, de Poet. Lat. p. 44, an sit is versus e Bassi Lyricis: potius ei ex epico carmine esse videtur, vel ex præfatione Lyricorum, quam prosa scripsisset. Ego vero plane existimo, non eum e Cæsii Bassi carminibus citari, sed ex ejus libro De

(1) « Satiræ enim proprium est *juvenari*, ut Horatiano verbo utar, hoc est ludendo ac per jocum, non iracunde vitia insectari ». Ita loquitur Nic. Heinsius in Epist. ad Grævium, t. IV Syllog. Burm. p. 228. Ed.

Metris, in quo pro exemplo molossici a se fictum posuerat. Nimirum frequenter a Grammaticis allegatur Cæsii Bassi liber De Metris, neque dubitandum puto, quin ille ipsius Lyrici poetæ sit. Nam exempla metrorum e Cæsio Terentianus Maurus, qui ipse de metris scripsit, eique suppar ætate est, citat pag. 2435 Putsch. Et Rufinus Grammat. De Metr. Terent. p. 2707 Putsch. sic refert Bassium ad Neronem de iambico scripsisse: *Iambicus autem quum pedes etiam dactylici generis adsumat, desinit iambicus videri, nisi percussione ita moderaveris, ut quum pedem supplodis, iambicum ferias.* Ibi Bassum legendum esse pro *Bassio*, res ipsa docet, et manifeste indicatur, Bassum illum de metris scripsisse sub Nerone. Cæterum exiguus libellus De Metris etiam hodie in collectione Putschiana, pag. 2663, sub Cæsii Bassi nomine exstat, qui an ipsius sit Cæsii a Veteribus laudatus liber, an pars ejus, an potius recentioris auctoris, de eo equidem nihil certi habeo. Addo tantum, quæ de morte Cæsii Bassi refert antiquus scholiastes Persii ad Sat. VI: *Fama est, eum in prædiis suis positum, ardente Vesuvio, monte Campaniæ, et late ignibus abundante, cum villa sua ustum esse.*

VII. Par Cæsio nomen, immo præcipuum in Lyricis poetis assequutus est Septimius Serenus, quod ipsum quum abunde probavimus, tum fragmenta etiam Lyricorum ejus collecta produximus tomo II (1) Poet. Min. Similiter Vestritium Spurinnam hac in serie Lyricorum nominasse sufficiat, de quo fusius hoc ipso in volumine agimus. Manlium Vopiscum etiam lyrica scribere solitum, supra ex loco Statii vidimus. Idem Pollium Felicem, cujus villam describit Silv. II, 2, Lyricis poetis accenset, versu 114:

Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit
Carmina, sive minax ultorem stringit iambon.

VIII. Subjungimus Passienum Paullum, qui quamquam

(1) Hujus vero edit. tomo I, p. 605 et seqq. Ed.

supra laudatus a nobis in Elegiacis est, simul tamen locum inter Lyricos meretur, quod se ab Elegia scribenda, et ab imitatione Propertii, ad Lyrica et Horatium exprimendum contulit. Sic enim Plinius de eo, Epist. IX, 22: *Nuper ad lyrica deflexit, in quibus ita Horatium, ut in illis alterum* (Propertium) *effingit. Putes, si quid in studiis cognatio valet, et hujus propinquum. Magna varietas, magna mobilitas. Amat, ut qui verissime; dolet, ut qui impatientissime; laudat, ut qui benignissime; ludit, ut qui facetissime: omnia denique tamquam singula absolvit.*

IX. Addamus denique Lucium, poetam Hispanum, quem Martialis, ut imitatorem Horatii, et parem Venusino lyræ gloria prædicat, atque hinc, proposita in exemplum Horatiana ode 7 libri I, hortatur, ut Celtiberiæ, patriæ suæ, loca æque celebret carmine, ut Horatius Tibur prætulerit Græciæ urbibus, lib. IV, epigr. 55:

> Luci, gloria temporum tuorum,
> Qui Graium veterem, Tagumque nostrum
> Arpis cedere non sinis disertis, etc.

Arpi scilicet sunt civitas Apuliæ, et Horatius Apulus.

X. Similiter Ausonius, in Profess. carm. XXI, Crispum Grammaticum Latinum profert æmulum Horatii, quem vult quandoque indulsisse vino, et largius potum ad poesin accessisse, ut carmina exprimeret, quæ cum Virgilii Horatiique carminibus conferri possent:

> Creditus olim fervere mero,
> Ut Virgilii Flaccique locis
> Æmula ferres.

XI. Quoniam inter carmina lyrica præcipui sunt hymni, quibus laudes Deorum canuntur in sacris, atque etiam in Lyricorum poetarum, qui supersunt, ut Catulli et Horatii, carminibus exstant nonnulla, quæ pro hymnis recte habentur; hinc ad Lyricos poetas pariter videntur referendi, qui hymnos in laudes Deorum condidisse dicuntur. Talis quidem hymni singulare exemplum est Pervigilium Veneris,

quod illustratum dedimus hoc opere. Aliorum, qui in antiquitate memorantur, hymnorum vix quidquam, præter exigua fragmenta vel titulos et nomina auctorum, exstat. Ennii poetæ temporibus dicitur MEMMIA quædam TIMOTHOE vixisse, quæ hymnos in Apollinem et Musas scripsit, teste Isidoro, Orig. lib. I, cap. 38. LUCILII Epodos hymnos allegat Nonius Marcellus, p. 107, 31 edit. Merc. quem tamen errore lapsum, et fortasse Hymnidem fabulam, quam ex Menandro Latinam fecerat Cæcilius, intelligendam esse putat Franc. Dousa in præf. ad notas in Lucilii fragm. pag. 99.

XII. MARINI vel Mariani, Lupercaliorum poetæ, Servius et Philargyrius ad Virgilii Ecl. I, v. 20, hoc fragmentum adducunt, quod e Salmasii, in Exercitt. Plin. pag. 6, emendatione sic legendum est:

Sed Diva flava et candida
Roma Æsculapi filia
Novum nomen Latio facit;
Hanc conditricis nomine
Ab ipso omnes Romam vocant.

Adduxit etiam J. Rutgersius, Variar. Lect. lib. I, cap. 20, et Th. J. *Almeloveen* in Fragm. veter. poet. pag. 176. Quum Lupercalia ad memoriam Romæ conditæ essent instituta, fragmentum hoc hymni esse puto, in Lupercalibus decantandi, quo nomen et origo Romæ celebraretur, quemadmodum Erinna Lesbia Græcum carmen in laudem Romæ condidit, quod, cum variis de eo sententiis doctorum, inter Poetriarum octo Græcarum carmina a J. C. Wolfio edita, p. 14 seq. legi potest.

XIII. SEPTIMII SERENI fragmentum primum, quo Janus pater celebratur, initium precum solennium videri dixi tomo II Poet. Min. pag. 253 (1), in annuo quodam agrestium sacro fusarum, quod propterea jure optimo ad hymnos veteres refertur. Idem dixi, in hujus tomi fine, de fragmento

(1) Hujusce vero edit. t. I, p. 633. ED.

Flori, quo Bacchus invocatur: *Bacche vitium repertor, plenus adsis vitibus.*

XIV. Talem etiam hymnum Baccho dictum, seu hymni initium, metro Ithyphallico, refert Atilius Fortunatianus inter Grammaticos veteres Putschii, pag. 2672:

Huc ades, o Lyæe, Bassareu, bicornis,
Mænale, bimater, crine nitidus apte,
Luteis corymbis hederate coronis,
Hasta viridis arma, et placidus ades
Ad aras, Bacche, Bacche, Bacche.

Protulit hoc carmen, sed paullo variatum, Pithœus in Prætermissis, p. 603 edit. Lugd. et repetiit Burmannus, Anthol. Lat. lib. I, ep. 19, qui cum aliis exemplis contulit, et correxit. Auctor vero ejus non exstat.

XV. Pro fragmento hymni in Musas habeo versus veteris poetæ, quos Augustinus de Musica, libro III, cap. 2, profert:

Cunctæ igitur Camenæ,
Fonticolæ puellæ;
Quæ canitis sub antris
Mellifluos sonores.
Quæ lavitis capillum
Purpureum Hippocrene
Fonte; ubi fusus olim
Spumea lavit almus
Ora jubis aquosis
Pegasus, in nitentem
Pervolaturus æthram.

Esse hos versus Pomponii Secundi, suspicatur Delrius, Comment. ad Senecæ Œdip. v. 229, tomo III Syntagm. Trag. pag. 95, et forte fragmentum esse chori ex quadam ejus tragœdia, Burmannus existimat, ad Anthol. Lat. lib. I, epist. 75, ubi ipsum carmen profert. Sed hoc incertissima conjectura sumitur a doctis viris, neque, si verum esset, esse hoc carmen ex choro alicujus tragœdiæ, propterea hymnus esse desineret.

XVI. A Christianis poetis lyrici generis carmina, inpri-

misque hymni valde celebrati sunt. Hoc enim genus quum præcipue laudibus Dei et rebus sacris inserviat, in quibus maxime versari poesin suam volebant Christiani, hinc nihil frequentius apud eos odis et hymnis sacris. Neque solum ipsi hymnis compositis canere Deo, celebrare Christi beneficia, laudare Martyres et Sanctos studuerunt, sed et veterum prophetarum hymnos, psalmos Davidis, et alia sacra cantica, quæ divinarum literarum paginis continentur, versibus Latinis expresserunt. Operosum non minus, quam superfluum videtur, lyrici carminis aut hymnorum auctores inter Christianos sigillatim recensere : hoc esset fere omnium poetarum seriem pertexere. Et cui eruditorum ignota sunt Prudentii, Ambrosii, Damasi, Hilarii, Paulini, Sedulii, Gregorii, Venantii Fortun. et aliorum nomina, qui sacri argumenti carmina, sive hymnos reliquerunt?

XVII. Selectam ex iis seriem hymnorum dedit Georg. Fabricius in Poet. Eccl. oper. p. 783 seqq. Idem seorsum collegit Pæanas tres Prudentii, Sedulii, Fortunati, de vita et morte Christi, item Prudentii tres hymnos alios et Romanum martyrem, cum expositione, Lips. 1568, in-8. Inprimis bene meruit Andr. Rivinus colligendis ejusmodi carminibus sacris Christianorum poetarum. Quo pertinet liber De Christo Jesu, beneficiis et laudibus ejus, aliquot Christianæ reliquiæ veterum Poetarum Eccles. Cælii Lactantii, Merobaudis, incerti auctoris, Rustici Elpidii, cum notis. Lips. 1652, in-8. Item Drepanii Flori, Theodulfi Aurel. Psalmi et Hymni, aliaque carmina sacra, notis et animadversionibus ornata. Lips. 1653, in-8. S. Damasi Carmina sacra, Hymni, Elogia et Epigrammata, e Romanis marmoribus priscisque Christianorum monumentis, congesta et notis illustrata. Lips. 1652, in-8. Memorandus est etiam Georg. Cassander, qui Hymnos ecclesiasticos, præsertim qui Ambrosiani dicuntur, multis in locis recognitos, et multorum hymnorum accessione locupletatos, cum scholiis opportunis edidit Coloniæ, an. 1556, in-4. Addi possunt Georg. Wicelius, et

Andr. Wilckius, quorum ille Christianorum aliquot poetarum carmina theologica edidit Moguntiæ, 1542; hic Festa Christianorum ex poetis qua veteribus, qua recentibus, celebrata, cum notis. Part. II, Lips. 1610 et 1676.

XVIII. Neque vero hymni tantum in poetis ecclesiasticis inveniuntur, nonnulli carmina lyrica de alio, quam sacro, argumento composuerunt : sunt etiam, qui imitationem Horatii affectarint. Lyrica non pauca habet Paulinus Nol. Ennodius Ticin. Eugenius Tolet. Theodulfus Aurel. et alii. Aldhelmum Scotum scripsisse Hymnos et Odas, lib. I, testatur Jo. Baleus de Script. Britann. pag. 84, quæ dubito, an exstent.

XIX. Metellus, Tegerseensis monachus in Bavaria, sæculo XII vivens, quem Bucolicis scribendis Virgilium imitatum esse dixi in præfat. ad tom. II Operis mei (1), etiam carmina lyrica in laudem S. Quirini martyris, episcopi Laureacensis, metris Horatianis scripsit, quæ appellavit Quirinalia, edita ab Henr. Canisio, Lect. Antiq. tomo III, Part. II, edit. Basn.

XX. Similiter Alanus ab Insulis sæculo XIII quædam metra Horatiana usurpavit in libro, quem *de planctu Naturæ* inscripsit, quia in eo Naturam de summa humani generis depravatione, fœdo vitiorum dominatu, et infandis sceleribus conquerentem inducit. Hunc scilicet librum ad rationem libri Boethiani de Consolatione Philosoph. partim prosa, partim metro conscripsit, inter Opera Alani a Carolo *de Visch* Antwerpiæ 1654 editum; unde singula carmina excerpta, et cum tribus Bibliothecæ nostræ Academicæ codicibus MSS collata, dedit Pol. Leyserus, in Hist. Poetar. medii ævi, pag. 1045 seqq.

Hæc tantum breviter et per saturam. Neque enim plura vel omnia medii ævi carmina, in hunc censum referenda, nunc consectari et recensere placuit.

(1) Hujus Edit. t. I, p. 308, lin. ult. Ed.

SATIRICI MINORES

I. VALERII CATONIS Diræ.

II. PETRONII, de mutatione Reipublicæ Romanæ.

III. EJUSDEM alia carmina in avaritiam et luxum.

IV. TURNI, ut videtur, fragmentum Satiræ in Neronem, cum fragmento alio.

V. SULPICIÆ Satira in Domitianum, cum quibusdam fragmentis.

VI. EUCHERIÆ Indignatio, vel carmen invectivum.

VII. CL. MARII VICTORIS, de perversis suæ ætatis moribus.

PROŒMIUM

DE POETIS SATIRICIS

QUI HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Satiricos minores inscripsi hos poetas, exemplo magis atque auctoritate quorumdam eruditorum inductus, quam quod eos majoribus istis, Horatio, Persio, Juvenali admodum similes esse, et Satiricæ poeseos genium plane expressisse putem. Exemplum præiverunt M. Z. Boxhornius et J. M. Dilherrus, qui Val. Catonis Diras, Petronii poema, et Sulpiciæ carmen Satiricorum minorum titulo ediderunt, quem si vero poeseos Satiricæ sensu æstimare volumus, ne Sulpiciæ quidem, licet diserte ita appellata, Satira istud nomen meruerit, cui judice Isaaco Casaubono, de Satirica poesi, lib. II, cap. 3, *acrimonia et ad satiricos morsus* εὐφυΐα deest. Mihi placuit eo nomine comprehendere poetas, qui vitia sui sæculi insectantur, aut in suos adversarios invehuntur. Quo sensu prioribus horum poetarum, quas indicavi, collectionibus addere quædam carmina invectiva potui, quæ et rarius edita adhuc, et sub fasce aliorum poematum latuerant, nomen autem Satiricorum argumento suo haud difficulter merentur.

Primum eorum locum occupant *Val. Catonis Diræ*, propter ætatem, qua cætera poemata antecedunt. Nam optimi aureique ævi poematium esse apparet, licet valde mendosum, eoque obscurum, ad nos pervenerit. Virgilio Maroni jam antiqua ætas attribuit, teste Servio in scholiis ad initium Æneidis; et vetusti codices primæque editiones Virgilii Culicei, Ceiri, Ætnæ et reliquis poematiis, ei poetæ

adscriptis, addunt, inscribuntque *Virg. Maronis Diræ*. Error iste non solum e cognatione nominum Maronis et Catonis, sed etiam similitudine argumenti nasci potuit, quod tota ejus carminis querela de ereptis agris est, quos etiam Virgilio ereptos constat. Rectius Petr. Pithœus et Jos. Scaliger in Catalectis *Valerii Catonis Diræ* inscripserunt, haud vanis rationibus moti, quas Suetonius, de illustr. Gramm. cap. 11, in vita Val. Catonis Grammatici, suppeditat. Scribit eum pupillum relictum licentia Sullani temporis exsutum patrimonio esse, scripsisseque præter Grammaticos libellos poemata, e quibus præcipue probentur *Lydia* et *Diana*. Hæc optime quadrare in præsens opusculum videntur, cujus prima parte agros amissos et militibus adsignatos, altera Lydiam amasiam sibi ereptam deplorat. Quamquam enim Boxhornius bis factam a Catone agellorum amissionem credit, alteram quidem Sullano bello, alteram, quam Suetonius ipse memoret, quum a creditoribus expelleretur, atque ad istam quidem respexisse libellum, cui titulum *Indignatio*, teste Suetonio, fecerat, ad hanc pertinere Diras, idque maxime apparere e versu 2, quo *divisas iterum sedes* suas queritur; tamen hac distinctione non admodum opus esse arbitror, quin utraque calamitas hoc poemate, licet diverso ab *Indignatione*, deplorata intelligi possit, et querelæ, quas priore libello effuderat, hoc carmine repeti, et in Diras converti existimentur, quod ipsum satis confirmare primus poematis versus videtur. Sic enim et Lydiam puellam, quam antea singulari carmine celebraverat, nunc denuo stomachatur amissam. Quamobrem propemodum mihi persuadeo, Valerii Catonis esse delicatum epigramma ad Lydiam puellam, quod inter Catalecta post Petronium, editionis Patisson. et Frellon. item Maximiani Galli Elegiis adnexum, denique a Petr. Burmanno, Anthologiæ Lat. lib. III, ep. 219, relatum legitur, atque incipit: *Lydia, bella puella, candida*. Certe non indignum meliore ætate carmen est, et quæ occurrere in eo voces deterioris Latinitatis videntur, pro men-

dis habentur a doctis viris (1). Quanta hic Cato et scientia fuerit et auctoritate, declarant verba Suetonii: *Docuit multos et nobiles; visusque est peridoneus præceptor, maxime ad poeticam tendentibus: ut quidem apparere vel his versiculis potest:*

> Cato Grammaticus, Latina Siren,
> Qui solus legit et facit poetas.

Ut Grammaticum et poetarum idoneum censorem etiam sistit Horatius versibus iis, qui initio Satiræ x, libri I, præfigi in antiquissimis exemplaribus solent, et a nobis post hæc inter testimonia de Catone proferentur. Etiam Catullus, judice Scaligero, de eo, tamquam familiari suo, loquitur Carm. LVII:

> Ride, quidquid amas Cato Catullum.

Inter procaciores poetas eum refert Ovidius, Trist. II, 436, qualem ipse se satis probat in fine Dirarum. Vixisse eum Suetonius memorat, ad extremam senectutem, sed in summa pauperie et pæne inopia, abditum modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat. Quando igitur de situ villæ et agellorum, quos amissos diris devovet Cato, quæsiverunt docti viri, atque eos Scaliger in Corsica, Heinsius in Sicilia fuisse conjecit, miror omnino hos viros immemores adeo fuisse Tusculani a Suetonio memorati, ut agros eos devotos alia, quam ipsa hac Tusculani, regione collocare mallent.

Ipsum carmen ejus, Diras, ut propius consideremus, interpretatio illius impeditissimi et mendosissimi operis ma-

(1) Magis adhuc verisimile est, Catonem nostrum auctorem esse epigrammatis, in obitum Lydæ scripti, quod Th. Reinesius, Inscript. ant. class. XIV, 105, et alii protulerunt, postremo Anthol. Lat. intulit Burmannus, lib. IV, 167: « Injice, si pietas usquam est, suspiria, et imple Mecum, hospes, lacrymis marmoris hoc vacuum: Nam formæ exemplum periit, quum obiit mea Lyda, Quam periere homines vel periere Dei ». Sententia enim et verba admodum similia sunt Catonianis. Ed.

gnam partem pendere videtur ab recto intellectu nominis Battari, quem initio statim et deinceps sæpius adloquitur. Doctissimi viri, qui hoc carmen interpretati sunt, significatum ejus nominis aut omnino neglexerunt indagare, aut non recte assequuti sunt. Jos. Scaliger, parum sufficiente ratione adductus, ex versu 64 existimat Battarum esse nomen fluvii, et quidem in Corsica, ubi adhuc esse Guattarum fluviolum inter oppidulum Coassinum et Haleriam ait. Nic. Heinsius, cujus notas in Catonis carmen P. Burmannus ad calcem tomi II Anthol. Lat. produxit, Battarum magis pro colle, ad quem siti fuerint agri Catonis, habere vult ad vers. 29, quamvis ipse rectam ejus nominis etymologiam tetigerit, ad v. 1 dicens Βάτταρον derivatum esse a Βάττος, unde sit βατταρίζειν, idem quod βαττολογεῖν. Omisit autem vir magnus etymum nominis recte inventum ita persequi, ut inde Battari, quem Cato adloquitur, usum et sensum ostenderet. Mihi plane persuasum est, Battari nomen communem originem habere cum βαττολογίᾳ, quam in precibus gentilium damnat Servator sanctissimus, Matth. VI, 7. De ejus βαττολογίας intellectu præclare olim egit singulari dissertatione Balth. Stolbergius, noštraque memoria Sal. Deylingius, Observ. Sacr. P. III, 27, et J. D. Michaelis, vir. ill. in commentatione de Battologia, Goett. 1753. Multa me fateor ex horum virorum meditationibus didicisse, sed idem miratus sum, a nemine adductum esse Battarum Catonis, cujus Diræ evidens sunt βαττολογίας, ab iis pertractatæ, exemplum. Plerique derivari βαττολογίαν a Batto, Cyrenarum conditore et rege, produnt, quem τραυλὸν, balbutientem, fuisse, et vocis corrigendæ gratia oraculum adiisse, Herodotus refert lib. IV, p. 172. Etymologicum M. μογιλάλον, cum difficultate loquutum esse dicit. Pulchre vero monuit ill. Michaelis, illud nomen non proprium regis Cyrenarum, sed omnium aliorum fuisse, qui vitio linguæ laborarent. Nam regem eum proprie Aristotelem vocatum ex Pindaro, Pyth. V, et Callimacho, Hymn. in Apoll. apparet: *Battum vero propter linguæ obli-*

gationem Justinus, lib. XIII, c. 7, et *Blæsum cognomine* appellatum Ovidius in Ibi, v. 541, testantur. Exstitisse etiam appellativum βάττος apud Veteres, declarat Hesychius, qui τραυλόφωνος, ἰσχνόφωνος, interpretatur. Ab ea voce quin βάτταρος descendat, nullum mihi dubium est. Quamquam id a nullo alio, præter Val. Catonem, usurpari memini, superest tamen in derivatis suis βατταρίζειν et βατταρισμὸς, quas voces æque ἀπὸ Βάττου τοῦ ἰσχνοφώνου derivant Hesychius et Suidas. Βατταρίζειν his est μόγις λαλεῖν, τραυλίζειν, et βατταρισμὸς, φλυαρία, inanis loquacitas, sicut βαττολογίαν Suidas πολυλογίαν interpretatur, Hesychius ἀργολογίαν et ἀκαιρολογίαν. Cicero, ad Attic. lib. VI, 5, βατταρίζειν pro effutire et deblaterare posuit. Ratio autem, cur blæsis et balbutientibus πολυλογία et φλυαρία tribuatur, hæc est, quia, qui hæsitanter et difficulter loquuntur, idem identidem repetunt, eoque multa inania et superflua verba proferunt. Fuerit itaque βάττος quidem balbus, sed βάτταρος magis loquax, nugator, blatero, eodem modo descendens a βάττος, ut φλυαρὸς a φλύος, *barbarus* a *balbus*. Licebit etiam βάτταρος sic interpretari, ut sit quasi βάττος κατ' ἀρὰν, convicia et exsecrationes identidem repetens. Neque alia significatione esse puto cognomentum Bacchi *Bassareus*, quod Baxterus ad Horat. Carm. I, 18, erudite interpretatur quasi Βατταρεὺς, lingua titubans, vel blæsus, ut Βρόμιος a βρόμος et βρέμειν, quia ebrietas quidem linguam obligat, sed et multa dicenda tacenda effutire jubet. Battum quemdam poetam fuisse Suidas dicit, a quo βαττολογία dicta sit, quod longos hymnos, in quibus res eædem crebro repetebantur, composuisset. Sic Battum aut Battarum etiam poetam exstitisse arbitror, qui diras pari βαττολογίᾳ scripserit, quemque adeo imitatus sit Val. Cato in carmine, quod manifestis ταυτολογίαις scatet, plures etiam versus data opera repetit. Invectivum hoc carmen est, conviciorum et imprecationum plenum. Omnis autem conviciator ut est πολύλογος, et affectu ipso incitatur, ut eadem convicia repetendo nullum fere verborum finem inveniat; ita poeta, carminis ejusmodi auctor, Bat-

tari nomen meretur. An notus aliquis poeta, carmine invectivo clarus, sub eo nomine lateat, pro certo affirmare nequeo. Sed absurdum non fuerit Callimachum intelligere, quem diras in Apollonium, hostem suum, Ibidis nomine scripsisse constat, quemque Ovidius pari titulo et carmine imitatus est. Hic quum se a Battis Cyrenensibus ortum profiteretur, et Battiaden ipse nominaret, quid impediit, quo minus et Battarus appellaretur? Hunc igitur, sive alium, Cato quasi notum carminis exsecratorii auctorem imitaturus advocat, atque hinc primo statim versu diras, quas incipit, *Cyrnæas voces* appellat, quasi Cyrenæas, a Callimacho Cyrenensi. Sicut aliis carminibus poetæ Musam suam invocare solent: sicut pro carmine nuptiali Hymenæus, qui ejus auctor ferebatur; pro carmine, mores et actiones hominum exprimente, Mimus; pro lugubri cantilena Ialemus, Calliopæ infelix filius; pro hymno Iulus; pro messorio carmine Lityerses (1); pro reprehensione sæpe Momus dictus est; ita Battarum pro carmine conviciante et devovente positum, quis neget aut miretur? Ipsi versus Catonis hoc declarant, quibus pro Battaro subinde fistulam vel carmen nominat; ut quum versu 54 dixisset: *Tristius hoc memini revocasti, Battare, carmen*, tum versu 75 subjicit: *Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.* Fortasse *Indignationem*, cujus meminit Suetonius, prius scriptam Cato inscripserat Battarum, quasi conviciatorem et exsecrantem: quam quia repetere hoc carmine volebat, hinc Battarum sæpe excitat, ut priores imprecationes revocet vel repetat. Est au-

(1) Lityersæ meminit Theocritus, Idyll. X, 41. Atque ejus interpres narrat, eum nothum Midæ filium, qui Celænis ageret, hospites ad se venientes compulisse, ut secum meterent, deinde capitibus eorum præcisis, et corporibus manipulo involutis, canere solitum. Unde θεριστῶν ᾠδὴν ab eo institutam et Lityersan vocatam esse testatur Athenæus, lib. XIV, cap. 6; et interpres Theocriti hæc ex Apollodoro refert: « Quemadmodum in threnis Ialemus, et inter hymnos Iulus, a quibus Odæ ipsæ dictæ sunt, sic et messorum cantus Lityersas ».

tem crebra ejusdem versus repetitio, et quasi renovatio carminis, in devotionibus et incantationibus, quibus sane Diræ Catonis accensendæ sunt, perpetuo usitata. Qualis est hæc in Virgilii Pharmaceutria: *Incipe Mænalios mecum mea tibia versus*, et *Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.* Pertinet hic mos ad βαττολογίαν sive πολυλογίαν, quam gentiles quum in precibus ad Deos suos fusis usurpabant, tum similiter in devotionibus. Ea enim constricti superstitione erant, ut sibi non aliter evenire quidquam a Diis vellent, nisi ex formula suarum precum, atque uti verbis conceptis enuntiassent. Itaque non solum singula, quæ vellent, religiose enumerabant, sed et repetebant identidem et inculcabant, addendo sæpe *uti dixi*, *uti verbis nuncupavi*, ne quid omnino omisisse, aut mentem sententiamque suam parum explicasse viderentur. Observare hæc in formula precationis licet, quam M. Cato de Re Rustica, cap. 141, recitat; item in ea, qua P. Decius se pro legionibus Romanis devovet, apud Livium, lib. VIII, cap. 9, nec non aliis pluribus. Eadem in Diris Catonis passim attentius legenti occurrent, immo interpreti hoc magis observanda sunt, quod ab his subinde vel vera lectio, vel recta interpretatio loci obscurioris pendet. (Vid. c. g. vers. 3, 62, 66.) Itaque carmen hoc Catonis quum verum βαττολογίας exemplum sit, nemo negabit, Battari nomen ei optime convenire. Scaligeri autem sententia, qui Battarum pro flumine aut monte habuit, ex hactenus disputatis satis refellitur, et quod e vers. 64 et 65 pro confirmanda sententia sua argumentum ducit, vix levem veri speciem habet. Nam si Battarus propterea, quod fluvius est, dolores poetæ fluminibus tradere dicitur, mari potius tradere debuit, in quod flumina decurrunt. Nec scio, an inde fluvius existimari Battarus debeat, quod fontibus et fluviis amicus dicitur? Rectius id de Battari φλυαρίᾳ et πολυλογίᾳ dici potest, quæ cursum strepitumque labentium aquarum imitatur, unde βατταρίζειν ab Hesychio etiam per φθέγγεσθαι et κοππύζειν exponitur. Et si lugentes,

queruli, meditantes, qualis hic Battarus fingitur, sæpe solitudinem, agros et silvas, inprimisque ripas fluminum quærere dicuntur, quibus suas effundant querelas, cur hic de Battaro, cui amica dicuntur flumina, aliud cogitemus? Sic apud Virgilium, Georg. IV, 319, Aristæus, Cyrenes filius, propter amissas apes questurus apud matrem suam, *tristis ad extremi caput adstitit amnis, Multa querens.* Atque idem, luctu et dolore jacturæ abreptus, cætera omnia sua, silvas, stabula, messes et vites suas, nisi apes recuperet, exitio, plane ita ut Battarus, devovet, l. c. v. 329:

Quin age, et ipsa manu felices erue silvas,
Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes;
Ure sata, et validam in vites molire bipennem;
Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis.

Sic igitur Aristæus, apud Cyrenen matrem, Nympham fluminis, querens, dici potest, ut Cato ait, dolores suos flumini tradidisse; sed ipse propterea minime pro fluvio habendus. Denique ex his, quæ de Battaro dicta sunt, apparere reor, minus accuratam nec genuinam inscriptionem esse, quam Catoniano carmini quædam editiones præmittunt, quando inscribunt *Diræ in Battarum*, quod ita sonat, ac si carmen hoc invectivum sit in Battarum, quod minime est. Neque enim adversarius quidam Catonis Battarus e carmine ipso intelligitur, sed cum Battaro, tamquam noto conviciatore vel nugatore, ut alius poeta cum Musa sua, diras et querelas suas communicat, vel potius ipsum se ejus nomine et exemplo ad devovendum excitat. Rectius vetustæ quædam editiones inscripserunt *Carmen exsecratorium ad Battarum.*

Quoniam hoc carmen antiquitus inter minora et juvenilia Virgilii carmina relatum est, hinc sæpissime editum est cum exemplaribus Virgilii, quæ minora ea adnexa habent. Proinde in Appendicem Virgilianam retulit Jos. Scaliger, et inter poemata vetera Petrus Pithœus; uterque sub Valerii Catonis nomine edidit, et aliquam ei emendando et illustrando operam impendit. Singulari volumine Poetarum

Satiricorum minorum de corrupto rei publicæ statu, una cum Sulpiciæ Satira, et anonymi auctoris Franci Satira de Lite, Diras Catonis, commentario illustratas, prodire jussit Marcus Zuerius Boxhornius, Lugd. Bat. 1633, forma minima, qui in Satira de Lite, ad auctorem veterem referenda, miro errore lusus est, quem tamen ante eum jam erraverat Henr. Stephanus, Satira ea Epistoliis, dialogis, oratiunculis et poematiis, Græcis Latinisque, subjuncta an. 1577, octonis. Nam eam a recentissimo auctore Mich. Hospitalio, Franciæ Cancellario, qui A. C. 1573 obiit, profectam, interque Epistolas ejus sæpius editam fuisse observavit J. A. Fabricius, Bibl. Lat. lib. IV, cap. 1, pag. 676. Cautior Boxhornio fuit Jo. Mich. Dilherrus, et *Satiricos minores de corruptis sæculi moribus*, Valer. Catonem, Petronium, Sulpiciam poetriam, denique auctoris anonymi Franci Satiram de Lite, hanc tamen cum præmissa admonitione e sententia Casp. Barthii, priscum eum, vel certe semipriscum Juridicum aut Philosophum fuisse, nisi de recentiore aliquo suspicio sit, foras dedit Jenæ, 1636, forma duodena. Dilherrus hanc Syllogen Satiricorum minorum, ut ex præfatione intelligitur, auditorum suorum gratia, quibus interpretari eos, post Persii Satiras, voluit, typis exscribi curavit; sed præter ea, quæ de vita auctorum e veterum scriptorum locis in præfatione monuit, nihil adjecit commentarii. Separatim Diras Catonis copioso, nec inerudito, commentario illustratas edidit Christophorus Arnoldus, Professor Noricus, Lugd. Bat. 1652, forma minima, qui in Prolegomenis profitetur se in recensione duas optimas editiones sequutum esse; alteram Jos. Scaligeri in Catalectis Virgilii, alteram Mich. Dilherri, neque tamen neglexisse emendationes et varias lectiones Scaligeri, Dan. Heinsii, Lindenbrochii, Douzarum, Boxhornii atque Gronovii. Arnoldi exemplar nuper typis repetendum curavit G. A. Mirus, Rector Joannei Luneburgensis meritissimus, Luneb. 1778. Omnes hi passim quidem emendare mendosissimum Catonis car-

men studuerunt, sed, scriptis codicibus parum adjuti, incertis fere et auctoritate destitutis conjecturis usi sunt. Plures MSS et veteres libros contulit Nic. Heinsius, cujus animadversiones nondum antea editas produxit, et Scaligerianis suisque adjunctas texto Valerii Catonis subjecit Petr. Burmannus, ad calcem tomi II Anthol. Latinæ. Egregium auxilium opera Burmanni adlatum erat Catoni, si plures isti codices, quos ipse et Heinsius adducunt, multa dictarent saniora, neque ipsi pro mendosis locis impressorum exemplarium alia exhiberent æque corrupta, et plerumque in iis consentirent. Ipse codicem scriptum, quem medio sæculo XV exaratum bibliotheca Academiæ nostræ servat, recensendo et emendando Catoni adhibere potui, sed eumdem reperi cum libris ab Heinsio et Burmanno laudatis plerisque in locis convenire. Contuli tamen ad carmen istud emaculandum, quantum potui, et contexto e recensione Burmanni posito annotationes meas subjeci, quibus partim ingenio et conjectura, partim ope librorum vetustiorum, et animadversionibus doctorum virorum adjutus, poetam sane quam obscurum paullo luculentiorem reddere studui.

De PETRONIO, qui Catonem sequitur, nihil attinet dicere, quia de eo satis copiose in editionibus integri ejus operis agi solet. Ego hic ex ejus Satirico ea carmina vel fragmenta decerpsi, quibus vitia Romanorum perstringuntur. In his carmen illud longius *de Mutatione Reipublicæ*, ut Scaliger inscripsit, primum locum tenet. Quod quamquam primario de bello civili agit, magnam tamen partem sale satirico tinctum est, quod, dum caussas discordiarum civilium inquirit, luxum et superbiam Romanorum gravissime amarissimeque insectatur. Hinc *Carmen de luxu Romanorum* olim inscripsit et separatim cum notis suis excudi curavit Hermannus Buschius, Lipsiæ per Jacob. Thanner. 1500, in-4. Dillherrus in sua Sylloge inscripsit : *Petronii Arbitri Satira de pessimis Romæ moribus.* Postea per eumdem Jacobum Thanner.

Herbipolensem anno 1503 Lipsiæ impressa est hæc Petronii Satira. Titulus est : *Petronius Arbiter poeta Satiricus*. Inscriptio ipsius carminis : *Petronii Arbitri Satira in qua vitia Romanorum reprehenduntur* (1). Lucani quibusdam exemplaribus hoc carmen propter affinitatem argumenti adjectum esse constat. Recentius illud seorsum, versione Gallica et notis illustratum, additis duabus Ovidii epistolis, et conjecturis in Pervigilium Veneris, edidit Bouherius, Curiæ Divionensis Præses, Amstel. 1737, in-4 (2). Ego carmen Petronii ad exemplar Burmannianum recensebo, et passim emendatum dabo.

Corruptum rei publicæ statum sub malis Imperatoribus amplius persequitur *Fragmentum Satiræ in Neronem*, et Sulpiciæ poetriæ Satira. Illud primus ex membrana antiquissima codicis MS produxit Ludov. Balzacus in Gallicis Confabulat. literariis (*Entretiens littéraires*), Epist. IV, c. 4, p. 54, inde vero in ipso fine Anthologiæ Lat. tomo II, p. 645, exhibuit Petrus Burmannus, cui ipse debeo. Fragmentum est Satiræ multo longioris, quæ Neronis diritatem et scelera omnia, ab historicis memorata, longo ordine et multa cum libertate enarrasse videtur, atque, ut Balzacus loco allegato existimat, sub ipso Nerone scripta est. Idem fragmenti argumentum adjecta interpretatione exposuit, quo judice auctor invehitur in Musas, quæ turpiter se prostituissent per poetas, Neronis ejusque ministrorum panegyristas, eo progredientes nefaria adulatione, ut Neronis scelera atrocissima, quasi res præclare gestas, laudarent,

(1) Hermanni Buschii et Colladonii separatas in illud carmen notas exhibuit J. P. Lotichius in edit. Francof. 1629, in-4. Ed.

(2) Hujus libelli altera editio prodiit Parisiis, 1738, in-12. Titulus est : *Recueil de traductions en vers françois, contenant le poëme de Pétrone, deux épîtres d'Ovide, et le* Pervigilium Veneris, *avec des remarques; par M. le président Bouhier, de l'Académie Française*. Epistolæ Ovidii, quæ hoc libro traductæ in Gallicum sermonem apparent, sunt Leandri ad Heronem, et Elegia 1 libri primi Tristium.

et imperium ejus auream ætatem dicerent. Hos igitur poetas prædicare et extollere verbis refert, Neronem lætari ob populum fame enectum, et senatum veneficiis exstinctum, ardentis Romæ a se incensæ flammis, tamquam igne artificioso, delectari; ipsum denique Neronem Furiis agitatum suas illis furias opponere, matremque crudelius adhuc interficere velle, et impudicis nuptiis se polluere. Porro libertos Neronis et scelerum ministros, Menam, Polycletum insectatur, Titium inprimis, cujus nomine Tigellinum intelligit, crudelitatis Neronianæ arbitrum, cujus mandata infami adulatione poeta istius temporis vocaverat Deorum jussa, adeoque gigantas ab iis poetis, dicit, dejectis Superis, cælo imponi, Deosque ad regna inferna detrudi, quod *Manes sublimare, Deos infimare* vocat Apuleius, lib. I, p. 3, edit. Pric. De hoc igitur tam notabili poemate non immerito quæratur, quis ejus auctor haberi possit. Equidem Tacitus memorat Annal. lib. XIII, c. 28, et lib. XVI, c. 14 et 21, Antistium Sosianum Prætorem, factitatis in Neronem carminibus probrosis, C. Suetonio et L. Telesino Coss. exsilio mulctatum, tandemque ad mortem damnatum esse. Sed hic Antistius quum fere nullum inter poetas nomen meruerit, nec aliis carminibus factitatis clarus habeatur, eaque etiam carmina, quæ in Neronem scripsisse perhibetur, credibile sit, post damnatum auctorem abolita et deleta esse, minime videtur fragmentum carminis, de quo loquimur, effugere auctoris sui fatum et servari ad posteritatem potuisse. Quærendus igitur alius auctor videtur, quem meliore fato usum ipsique Neroni superfuisse sciamus. Tum vero malo ejus auctorem habere Turnum, celebrem eorum temporum Satirographum, idque non vanis rationibus adductus mihi persuadeo. Notitiam ejus Turni facit antiquus scholiastes Juvenalis, qui ad Sat. I, v. 20, ita notat: *Turnum dicit Scævæ Memoris, tragici poetæ, fratrem. Turnus hic libertini generis ad honores ambitione provectus est, potens in aula*

Vespasianorum Titi et Domitiani (1). Ejus aliquoties cum laude meminit Martialis, ut lib. XI, epigr. 10:

> Contulit ad Satiras ingentia pectora Turnus.

Nobiles ejus *libellos* laudat lib. VII, ep. 97, 8, et Satiricis præstantissimis cum Juvenali accenset Rutilius Numatianus, qui lib. I, v. 599, de Decio quodam, Satirarum scriptore:

> Hujus vulnificis Satira ludente Camenis
> Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.

Meminit etiam Sidonius Apollin. Carm. IX excusat. ad Felicem, v. 267. In ista celebritate Turni inesse rationem haud levem puto, ut fragmentum Satiræ, quod superest, ejus auctoris esse credamus. Fere enim præstantiorum modo, et qui maxime in honore essent, scriptorum opera frequentius descripta, et ad posteritatem servata sunt. Ætas Turni, qui sub Vespasianis maxime floruit, plane convenit auctori fragmenti, in quo de rebus Neronis, tamquam recentibus, vel nuper admodum gestis, agitur: convenit etiam magnus animus Turni, quem prædicat Martialis; hunc enim affatim probat auctor. ejus Satiræ, qui neque ipsius Neronis et libertorum ejus, et Tigellini Præfecti Prætorio potentiam, neque poetarum adulatorum invidiam reformidat, quin omnes hos nominatim insectetur. Præcipuam autem Satirarum Turni materiam fuisse scelera Neronis, testatur locus a scholiaste Juven. ad Sat. I, v. 71, e quadam ejus Satira productus, quem uti a Casaubono emendatus est, hic apponam:

> Ex quo Cæsareas soboles homicida Locusta
> Occidit, curæque veneni admota Neroni est.

Respicit artes Locustæ venenariæ, qua venenum præbente Britannicus ejusque pater Claudius, teste Suetonio in Ner.

(1) Quamobrem etiam Turnum a Quintiliano indicari puto, qui lib. X, cap. I, 95, nominatis Satiricis, Lucilio, Horatio, Persio, hæc subjicit: « Sunt clari hodieque, et qui olim nominabuntur ». Ed.

c. 33, et Tacito, Annal. XII, 66, sublatus est, ipse vero fragmenti auctor idem scelus Neronis tangit, *epulis infusa venena* memorans. Unde haud parum probabile esse arbitror, Turnum poetam, qui Satiris suis solitus sit scelera Neronis persequi, hujus etiam fragmenti, quod eorum plenum est, auctorem esse. Cæterum de Turno isto videri possunt Vossius de poetis Lat. cap. III, p. 48, et Is. Casaubonus de Satirica poesi et Roman. Satira, lib. II, cap. 3.

Sulpiciæ Satiram alii aliter inscribere solent. Quidam enim *Satiricon carmen* sive *Eclogam* inscribunt *de edicto Domitiani*, quo philosophos Urbe exegit; alii, *Satiram de corrupto rei publicæ statu temporibus Domitiani.* Occasionem quidem illius Satiræ scribendæ ipsa auctor versu 35 seq. fuisse profitetur edictum Domitiani philosophis funestum, in eo tamen solo non moratur, et corruptum rei publicæ statum non solum, ut tum erat sub Domitiano, deflet, sed inde et corruptissimum futurum auguratur, si quidem ejectis philosophiæ cultoribus necesse sit, pacis bellique artes, quibus adhuc Romana res steterit, adeoque ipsas vires et columina rei publicæ pessum ire. Prudentiam eruditæ feminæ hæc ratio satis declarat. De vi ejus satirica diversa sunt judicia eruditorum. Jul. Cæs. Scaliger in Hypercritico judicat, *in ea multum dexteritatis ad Satiricam amarulentiam aspirantis esse; numeros vero, ut in eo genere poematis, non contemnendos.* Contra Is. Casaubonus, de Satir. poesi lib. II, cap. 3: *Non erraverit judicio meo, qui Satiram id poema nominaverit; eruditionem tamen et probitatem nobilissimæ feminæ ex carmine potius laudes, quam acrimoniam et ad satiricos morsus* εὐφυΐαν. *Lacertis enim caret oratio et* ἀγωνιστικῷ *spiritu* (1). Ipsa

(1) Primum prodiisse Sulpiciæ Satira videtur in hoc opere: I. Publilii Gregorii Tiferni opuscula quædam; II. Joviani Pontani Nænia et epigrammata; III. Francisci Octavii Elegiarum libellus et epistolæ; IV. Sulpiciæ carmina LXX. Venetiis per Bernardinum Venetum, anno 1498, in-4. Memoratur in Notitia histor. literaria de libris ab anno 1480, usque ad ann. 1500 impressis, et in bibliothecis Aug. Vindel. exstantibus. Part. II,

ejus Satira inter Ausoniana carmina primum reperta, ideoque primum cum Ausonio edita est a Thaddæo Ugoletto, an. 1500, in-4. Omnino Veteres multi, necesse est, hanc Eclogam Ausonio tribuerint, quod inter ejus opuscula repertam non modo Ugolettus, sed Aldus etiam ac cæteri fere omnes, eum sequuti, cum Ausonio ediderunt (1). Vid. Barthius, Advers. XIX, 16, et Jan. Brouckhusius ad Tibull. p. 384. In eam opinionem adducti videntur, quod existimarent, *Sulpicillam Ausonianam*, quam Fulgentius, Mythol. lib. I, præfat. pag. 616, edit. Staver. nominat, esse Sulpiciam nostram, ubi tamen alii Bissulam legere malunt. Vid. J. N. Funccius de senescente Ling. Lat. p. 246. *Sulpiciæ Poetriæ carmina LXX*, cum Gregorii Tipherni et aliorum poematibus, e recensione Georgii Merulæ prodiisse legi Argentorati, per Thomam Schurerium, 1509, in-4. In qua editione Sulpiciæ nostræ Satira cum antiquioris Sulpiciæ carminibus, quæ in Tibulli libro IV exstant, conjuncta vel commixta esse videtur. Post Ausonianas editiones in exemplaria aliquot Petronii (2), et a Pithœo ac

p. 91. Ea prima editio post Thaddæum Ugolettum, qui cum Ausonio edidit Venet. an. 1500, in-4, repetita est Argentorati per Matthiam Schurerium, an. 1509, in-4, cujus voluminis hic est titulus: Hoc volumine hæc continentur: P. Gregorii Tipherni poetæ illustris Opuscula; Francisci Octavii poetæ Elegiæ; ejusdem Epistolæ amorum ad Juliam; Sulpiciæ carmina LXX (quæ fuit Domitiani temporibus), nuper Georgii Merulæ opera in lucem edita; Cornelii Galli poetæ tum clarissimi, tum vetustissimi Elegiarum fragmenta; Pomponii Gaurici Neapolitani Elegiacon. In fine: Argentoraci ex officina Schureriana, mense Julio M. D. VIIII Imp. Cæs. Maximiliano, etc. In his editionibus per carmina LXX Sulpiciæ non separata poemata intelliguntur, sed tot versus ipsius Satiræ. Unde plane delenda et ejicienda sunt, quæ infra, pag. 53, lin. 12, a vocibus *Sulpiciæ Poetriæ carmina LXX* ad verba *esse videtur*, scripta leguntur. Ed.

(1) Ut Elias Vinetus in Ausonii operibus, cum notis suis. Burdigalæ, 1590, in-4, p. 588 seqq. Ed.

(2) Primo prodiit Petronii Satiricon et Sulpiciæ Satira de edicto Domitiani, ex recensione Jani Dousæ cum ejusdem Præcidaneis. Lugd. Bat. 1585, in-8. Deinde post Jani Dousæ Præcid. in Petron. et J. Richardi

Scaligero in Catalecta recepta est, nec non Juvenalis et Persii exemplaribus sæpius annexa. Inde, qui hos poetas, etiam Sulpiciam quibusdam notis illustrarunt (1). Sigillatim animadversiones in eam Satiram scripsit Barthius, Advers. lib. XXVIII, cap. 13, et lib. LIX, cap. ult. unde multa hausit M. Z. Boxhornius, qui cum Jani Dousæ, Barthii et suis commentariis inter Satiricos minores edidit. Similiter in Observat. Miscell. vol. VI, tomo II, p. 353, quidam C. H. A. animadversiones in hanc Satiram satis amplas publicavit. Plurium operas in Sulpiciam collegit suisque ipsius notis auxit Petrus Burmannus superior, in fine tomi II Poetarum minorum, Leidæ a. 1731 editorum. Quibus denique symbolam adjecit Jo. Bouherius in epistola ad P. Burmannum, quæ inserta est Observ. Miscellaneis, vol. VII, t. II, p. 254. Recentissime Sulpiciæ Satiram cum A. Persio Flacco Italicis versibus redditam, et variis annotationibus illustratam, Marcus Aurelius Soranus, Patricius Venetus, edidit Venetiis 1778, forma octona, qui tamen, ut ex Ephemerid. liter. Goetting. an. 1779, p. 830, didici, nihil novæ opis præstitisse Sulpiciæ videtur, sed magis paratis priorum interpretum copiis usus est (2). Præter Satiram; plura carmina Sulpiciam versu Phalæco, iambo et scazonte scripsisse, ipsa fatetur versu 4 seqq. In quibus præcipue fuisse videntur ea, quibus amores suos et Caleni mariti celebravit, testantibus Martiali, lib. X epigr. 35 et 38, et Sidonio Apollin. Carm. IX, v. 262. Ex his superest fragmentum, quod commentator Juvenalis ad Sat. VI, v. 536 servavit. Plura de Sulpicia legi possunt apud Lil. Gyraldum,

notas, reperitur Sulpiciæ Satira cum Schediasmate Jani Dousæ, in edit. Petronii, Lutet. Paris. apud Guil. Linocerium, 1587, in-8. Schediasma Dousæ ad Sulpiciæ Satiram etiam adjectum est Petronio ex recens. J. P. Lotichii. Fraucof. 1629, in Appendice Petronii, p. 253. Ed.

(1) Cum Persio et Juvenale Sulpiciæ Satira, cum commentar. veter. ex bibliotheca Petri Pithœi, edita est Heidelb. 1590, in-8. Præterea exstat in Maittarii Corpore Poetar. Latin. Londini, 1713, t. II, p. 1167. Ed.

(2) Separatim Sulpiciæ Satiram in usum scholæ excudi curavit Schwartzius, Altorf. 1721, in-8. Ed.

Dial. IV de poetarum historia, col. 248, et Vossium de Poetis Lat. cap. III, p. 47 (1). Exstant libro IV Elegiarum Tibulli carmina mutua et amatoria Sulpiciæ, Servii filiæ, et aliorum ad Sulpiciam et Cerinthum; fueruntque eruditi, qui hæc ipsa Sulpiciæ, Caleni uxori, tribuerent, et ad calcem Elegiarum Tibulli a librario propter argumenti vicinitatem adjecta existimarent, præsertim Barthius, Advers. lib. LIX, cap. ult. et Brouckhusius ad Tibulli IV, 2. Alii contra Tibullum ipsum omnium auctorem esse, eumque Cerinthi, Deliam Sulpiciæ nomine designari crediderunt. Accurate hanc caussam disceptavit Ch. Gottl. Heyne, vir ill. ad eumdem Tibulli locum commentatus, qui ponderatis rationibus, quas ipsa carmina offerunt, pronuntiat, ea Tibulli ipsius ætate, nempe Augusteo ævo, a Sulpicia et aliis elegantibus et nobilibus hominibus variis de caussis scripta, et Elegiis Tibulli propter argumenti similitudinem adjecta esse, Tibullum tamen ipsum, quem Vulpius et Ayrmannus auctorem putaverant, ab iis removet. Ego facile in hoc assentior, Elegidia illa, quæ Sulpiciæ nomine scripta sunt, non posse ad Sulpiciam, uxorem Caleni, quæ Domitiani tempore vivebat, referri, sed potius ad Sulpiciam, nobilem feminam Augustei ævi, Servii Sulpicii filiam, pertinere, et fortasse ab eadem profecta esse, quum ipsa ibi docta puella appelletur, IV, 6, 2; quædam tamen alia, ad Sulpiciam vel Cerinthum scripta, non negem Tibulli ipsius esse, certe ab hoc alius nomine exarata, propterea quod carmen XIII manifeste a Tibullo est; nec contemnendum videtur veteris auctoris Vitæ Tibulli, in vetustis exemplaribus repertæ, testimonium, qui *epistolas ejus amatorias, quamquam breves*, laudat, et vix respicere alias, quam has breves Elegias l. IV, potest. Atque hanc præcipuam caussam fuisse existimo,

(1) In Laurentii Legati, Cremonensis, primitiis musei poetriarum editis Bononiæ 1668, in-4, de Ælia Endocia Augusta, de Proba Valeria Falconia, et de Sulpicia, earumdemque vita, carminibus et opusculis disseritur, consultis etiam inscriptionibus antiquis. Bibl. Lat. Fabric. Ernest. tom. I, pag. 383. Ed.

cur ista Elegidia carminibus Tibulli adjungerentur, tum vero cæteri, qui in iis memorantur, juvenes et puellæ ii ipsi sunt, quos Tibullus in prioribus libris celebravit, et quibuscum ipsi magna erat conjunctio et familiaritas, nempe Messala, Cerinthus, ipsaque Delia, Tibulli amica, quorum amores mutui et furtivi his Elegidiis, tamquam secretis ex epistolis deteguntur. Quod primum in his locum obtinet, et secundum libri IV est, carmen venustissimum in Sulpiciam, Calendas Martias celebrantem, valde suspicor auctorem Messalam habere, quem amatorem et procum Sulpiciæ valde studiosum fuisse, ex his ipsis Elegis constat, et carminibus elegantissimis amasiam suam celebrasse significat auctor Elegiæ ad Messalam, quam ipsi hoc tomo proponemus (1). Deliæ, Tibulli amasiæ, mentionem fieri arbitror IV, 3, 5, nec Dianam ibi intelligendam. Deliam amabat Cerinthus, forte etiam ducebat uxorem, Tibullo non impediente. Vid. lib. II, 2, 9 seq. et IV, 5, ubi Delia loqui videtur. Atque hæc quum sæpius rure et in villa ageret, Cerinthum venandi studio abducebat Urbe, quod moleste ferebat Sulpicia, perdite amans Cerinthum, parum ejus amori respondentem. Vid. IV, 3, 5, coll. II, 3, 1 seq. Messala contra Sulpiciam petebat invitam, quæ ab eo in rus invitata remanere in Urbe cum Cerintho malebat; IV, 8, 3 seq. Et alia amorum, offensionum, curarum inter hos homines agitatarum indicia ex his Elegidiis, vel epistolis, possunt colligi, quæ ubi lego, plane mihi videtur evenisse inter eos, quod Horatius ad ipsum Tibullum scribit Carm. I, 33, 5:

Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor; Cyrus in asperam
Declinat Pholoen; sed prius Appulis
  Jungentur capreæ lupis,
Quam turpi Pholoe peccet adultero.
Sic visum Veneri, etc.

(1) Etiam Plinius, Epist. V, 3, Messalam inter eos refert, qui carmina amatoria luserint. Ed.

Sed nunc ista quidem amplius non persequor, ne plane extra oleas vagari videar.

Sulpiciæ subjungendum duxi EUCHERIÆ *poetriæ* carmen, quum propter argumentum, cujus caussa locum inter Satiricos meretur, tum ut una exhiberem duarum feminarum Romanarum, quæ sola fere ex antiquitate supersunt, poemata. Carmen est invectivum in servum quemdam rusticum, qui nuptias Eucheriæ ambierat; vel potius in eos, qui se putent servi vel ignobilioris hominis conjugium non respuere, cujus indignitatem multis rerum contrariarum et dissidentium comparationibus, non sine sensu amarulentiæ, ostendit, plane ad eum modum, quo Val. Catonis Diræ, et Ovidii diræ in Ibin scriptæ sunt, ubi eadem sententia per plura exempla pluresque formas et comparationes rerum sæpe repetitur et exaggeratur. Multis variisque rebus, quæ pretiosa et in magno honore sunt, enumeratis, comparatisque cum aliis dissimilibus, quæ vilia sordidaque habentur, tandem concludit, quam ineptum fuerit contraria ista et dissimilia conjungere, tam indignum sua persona matrimonium servi vel rustici futurum (1). Servus antem ab Eucheria non intelligitur, qualis apud Romanos dicebatur, sed quales habebant veteres Galli et Germani, glebæ adscriptos, agrum et pascua exercentes, et modum frumenti vel pecoris pendentes domino, qui cum villis ac prædiis venibant, et scriptoribus ævi inferioris etiam villani et rustici dicuntur: de quibus videri potest Cangius in Glossario v. *servius* et *villanus*. Sub titulo VERSUS EUCHERIÆ hanc Eclogam edidit Pithœus lib. IV epigr. vet. pag. 158 edit. Lugd. sed POETRIÆ additum fuisse in codice Thuaneo, inter variantes hujus

(1) Argumentum carminis Eucheriæ Jo. Christ. Wolfius in Catalogo feminarum illustrium, qui annexus est mulierum Græcarum fragmentis et elogiis, pag. 331, sic describit: « Eucheria seu Enceria, Poetria Latina, cujus carmen de concordia rerum contrariarum discorde, sedecim distichis constans, exhibetur in Pithœi Epigramm. Veter. pag. 187, edit. Paris. in-12. ED.

carminis notatur in Actis Soc. Lat. Jenens. vol. V, pag. 10, idemque notaverat Pithœus in margine exempli Paris. et Scriverius in suo codice. Sic etiam edidit Petr. Burmannus secundus, Anthol. Lat. lib. V, ep. 133, qui idem cum MS bibliothecæ Leidensis contulit. Mihi Ecloga hæc optime inscribenda videbatur Eucheriæ Indignatio, quoniam indignitatem servilium nuptiarum exponit. Jo. Mabillonius, Analect. vet. tomo I, pag. 367, versus Eucheriæ e codice monasterii Elnonensis in Belgio descriptos dedit, nullo titulo præmisso, sed subjunctos et connexos quatuor versibus, qui in velo lecti dicuntur, quod Chintila, Vesigothorum in Hispania rex, sæculo septimo Romam misisse ad Sanctum Petrum dicitur. Duo hæc disticha, quibus velum dedicatur Petro, sensu et argumento immane quantum differunt a conjuncto Eucheriæ carmine, sed doctissimo librario placuit utraque conjungere, nullo discrimine facto.

De ipsius Eucheriæ persona et ætate nihil constat. Erat, quum suspicarer, esse eam, quæ Eucharis *Liciniæ liberta, docta, erudita omnes artes virgo, quæ vixit an. XIV*, dicitur inscriptione carmini ejus sepulcrali præmissa, apud Gruterum p. DCLV, n. 1, Smetium p. CXXIX, Boissardum tomo III Antiqq. tab. 100, Fleetwood. p. 218. Quamquam enim G. Fabricius, Antiqq. lib. II, p. 82, et P. Pithœus, Epigr. Vet. lib. III, p. 118, omissa illa inscriptione, hunc tantum titulum præfigunt Eucharis Licinia Elpidi, quos sequutus est P. Burmannus, Anthol. Lat. lib. IV, ep. 353; facile tamen recte attendenti apparet, hunc corruptum ex priore esse, et errore lectionis ultimam literam vocis *Liciniæ* et primam sequentis *Liberta* in unam vocem conflatas, et inde nomen *Elpidi* effectum esse, quod in aliis inscriptionibus occurrit. Et superiorem inscriptionem plures agnoscunt docti viri, et adjectum *Elpidi* ignorant, qui ipsum lapidem se vidisse testantur; Gudius etiam, qui nihil annotando ad Gruteri exemplum significat, eam inscriptionem, uti Gruterus exhibet, in ipso lapide a se lectam

esse. Equidem Gudius eum titulum sæculo tertio scriptum esse, neque adeo vetustum existimabat, attamen sepulcrale carmen adjectum melioris omnino ævi et notæ est, quam Eucheriæ Elegia, quæ, si ex nonnullis rationibus conjectura facienda est, mulier nobilis Aquitanica vel Gallica fuit, et sæculo post Christum natum quinto vel sexto adeo vixisse videtur. Seriorem ejus ætatem simul et patriam Galliam satis ostendunt quum vocabula Aquitanica et barbara in Eucheriæ carmine obvia, tum ipsum nomen ejus, in Gallia frequens inprimis, sed antiquioribus sæculis vix cognitum, quandoquidem Eucherii in historia ante sæculum IV non inveniuntur. Eminent in iis maxime Eucherius Stilichonis filius, Claudiano et Zosimo memoratus, et ab Honorio interfectus cum patre, et Eucherius episcopus Lugdunensis, Paulini Nolani et Salviani Massiliensis amicus, scriptisque clarus, tum alii plures ejus nominis episcopi, qui posteriore ævo in Gallia floruerunt. Præterea servi nomen in Eucheriæ poemate, non sensu Romano, sed veterum Gallorum usurpatum, item codices, e quibus carmen illud descriptum est, plerique in Gallia inventi, denique versus Chintilæ regis, ei carmini, ut vidimus, adjuncti in codice, quem Mabillonius viderat, satis clare probant, Eucheriam recentiore sæculo, et in Gallia quidem, vixisse. De reliqua ejus conditione et fatis nihil exploratum habemus (1). Ego carmen ejus e Pithœi et Burmanni recensione

(1) Fortasse tamen ea Eucheria fuit, quæ uxor Dynamii Patricii dicitur in utriusque Epitaphio, quod legitur apud Andream *du Chesne*, t. I scriptorum historiæ Francorum, p. 519. Vixit hic Dynamius circa finem sexti sæculi, fuitque vir illustris et Patricius, ut scribit Sigebertus Gemblac. cap. 114; quo titulo regni Francorum proceres dicebantur, Ducibus et Comitibus priores vel pares, qui provincias regebant et populis jus dicebant, docente Cangio in Glossario, voce *Patricius*. Erat amicus Venantii Fortunati, cujus duo carmina ad eum scripta libro VI exstant. Carmine undecimo Massiliæ Rectorem vocat, *Massiliæ tibi regna placent*, et carm. XII eum prædicat esse

Insignem specie, celsum lare, lege sagacem,
Omnibus æqualem spe, sale, pace, fide.

dedi, idem tamen contuli cum Mabillonii editione ex codice Elnonensi, et variantes quasdam lectiones ibi observatas meis adnotationibus inserui.

Idem inter scriptores nomen habet. Sigebertus Gemblac. testatur ab eo scriptam esse vitam S. Marii, qui abbas Bohacensis cœnobii fuit. Hodie exstat Dynamii istius Vita S. Maximi, primum abbatis Lerinensis, post episcopi Reiensis circa annum 433, scripta ad Urbicum, episcopum Reiensem anno 584, quam vitam recensuit et aliquot locis illustravit Barthius, Advers. LIX, cap. 12. Fabricius in annot. ad locum Sigeberti Gemblac. dubitat, anne apud eum legendum sit S. Maximi, quoniam de Mario Bobacensi nihil adhuc legerit *. Talis tamque illustris vir quum fuerit Dynamius, prorsus ætate et dignitate convenit Eucheriæ poetriæ, quam et sæculo sexto vixisse in Gallia et generis nobilitate clarissimam fuisse stylus et ratio carminis arguit. Juvat hoc loco *Epitaphium Dynamii Patricii* et *Eucheriæ conjugis*, quale a Duchesnio proditur, subjicere :

Conjugii dulcis hoc est commune sepulcrum,
   Quod nec post fatum liquit amicus amor ;.
Quos pietate pares, etiam post funera junctos
   Unus et affectus et locus unus habet.
Dynamius hic nam, pariterque Eucheria conjux,
   Martyris Hippolyti limina sancta tenent.
Stammate sublimes quamquam, sed moribus ortum
   Vicerunt probi nobilitate sua.
Hos pietas, hos prisca fides, hos gloria perpes,
   Pacifer hos sensus fecit ubique bonos.
Hos junxit sic castus amor, ut mente sub una
   Alter in alterius corde maneret homo.
Lustra decem felix tulerat post terga maritus,
   Quum dedit hanc sedem morte suprema dies :
Cujus nam geminis privata lumine lustris
   Vixisti conjux vita abeunte minus.
Non lugere pios placide post fata parentes,
   Vita brevis quorum præmia longa dedit.
Patricium te culmen habet, tu Rector in urbe es :
   Sit tibi perpetuo tempore læta dies.
Dynamius parva lacrymans hæc carmina fudit,
   Nomen avi referens, patre jubente, nepos. ED.

* Notandum tamen Dynamii Grammatici Epistolam ad discipulum vulgatam esse a Goldasto in Parænet. veter. p. 148, quem Goldastus alias Patricium iudigitari scribit, et eumdem pro auctore historiæ S. Maximi habet. ED.

Tandem Cl. Marii Victoris, rhetoris Massiliensis, epistolam ad Salmonem Abbatem suo merito in censum Satiricorum poematum retuli. Quamquam enim hic Christianus scriptor est, neque amarulento felle, ut gentilium Satirici, suffusus apparet, candide tamen et graviter perversos sui sæculi mores toto carmine, ut ipsa ejus inscriptio indicat, castigat, et poetæ non insulsi nec inelegantis ingenium prodit. Quod Salvianus Massiliensis libris VIII de Gubernatione Dei fecit, ut post infandas calamitates, patriæ suæ barbararum gentium incursione illatas, grassantia inter Christianos luxuriæ, libidinis, avaritiæ, superbiæ vitia deploraret, id ipsum sibi popularis ejus, Victor Massiliensis, qui eodem tempore vixit, hoc carmine agendum proposuit. Nam commemorata breviter, quam hostes varii, Sarmatæ, Vandali, Alani agris tectisque suis vastitatem intulerint, ista quidem damna posse cum tempore reparari, immo jam dum reparata a nonnullis esse ostendit, multo majus autem periculum esse, quod animis et moribus hominum a vitiis occulte gliscentibus, et omni externo hoste gravioribus, incumbat, cui amoliendo neminem esse qui curam adhibeat, quin actum esse de plerisque, et cives suos, publicis periculis nihilo meliores factos, servitute vitiorum premi, nec mores emendare. Inde ad vitia recensenda, primum virorum a versu 34, tum mulierum a versu 50, excurrit. Viris quidem avaritiam, fraudes, hypocrisin, et vanæ scientiæ studium objicit; mulieribus luxum, impudicitiam, superbiam, curiositatem, et, deposita sacrorum librorum lectione, iis Virgilium, Nasonem, Horatium, Terentium in manibus esse queritur. Georg. Fabricius de vastitate Italiæ a Barbaris inducta sermonem Victori esse existimat: mihi de Gallica potius loqui videtur, idque patria Victoris et accedens Salviani testimonium confirmat. De inscriptione carminis adhuc monendum duco, videri mihi perperam inscribi epistolam ad Salmonem. Re vera enim colloquium est, vel sermo coram habitus cum Salmone, et videtur mihi auctor,

Grammaticus et in lectione Veterum bene versatus, Horatium in Sermonibus vel Satiris imitari voluisse, qui, ut mores et vitia hominum traducat, homines invicem loquentes inducit, ita quidem, ut sermonum vices vix intelligantur. Hic tantum εἰρωνεία, lusus et jocus abest, Horatio familiaris, et omnia gravius dicuntur. Quantum ex ipso carmine perspicere possum, fingit auctor, se ex urbe provinciæ, nescio qua, profectum ad templum vel cœnobium ejus loci, quo Salmon vivebat, venire, ab eoque post sacra procurata invitari ad communem hospitem et amicum Thesbonem, ut mutuis ambo sermonibus fruantur. Tum igitur quærere eum ex Salmone, qui illius, et qui patriæ suæ, in qua vivebat ille, status sit, et, sermone hoc inducto, incipit deinde de præsentibus patriæ calamitatibus, et perditis civium suorum moribus queri. Sunt nonnulla obscura in carmine, quæ expediri et illustrari vix possunt, nisi notiores, quam nunc sunt, habeamus et locum, urbem vel provinciam, de quibus sermo est, et personam conditionemque virorum, qui nominantur, Salmonis, inquam, et Thesbonis, ipsiusque auctoris, qui hæc scripsit. E versibus extremis apparet, finiri sermonem appetente vespera, discedique ab ambobus ad preces vespertinas in cœtu sacro obeundas, reliquos vero sermones differri in diem posterum. Duobus locis interpellare Salmon sermonem Victoris, et duos versus interponere videtur, nempe v. 48 et 91, fortasse etiam pluribus locis. De Cl. Mario Victore, qui rhetoricam Massiliæ docuit, et Theodosio ac Valentiniano regnantibus mortuus est, plura videri possunt apud Fabricium, Biblioth. Lat. med. et inf. æt. tomo VI, p. 813, et Pol. Leyserum, Histor. poet. medii ævi, p. 51. Præter epistolam ad Salmonem scripsit in Genesin libros III carmine epico, quibus illa adjungi solet. Primum eos edidit, sed admodum interpolatos, Jo. Gagneius, Lugd. 1536, in-8: castigatiores dedit Guil. Morellus, omissa epistola ad Salmonem, Paris. 1560, in-8. Sed editionem Gagneianam

sequutus est G. Fabricius in Corpore Poetarum Christianorum, pag. 308 seq. et repetiverunt Bibliothecæ Patrum, ut Parisiensis Marg. *de la Bigne*, 1589, tomo VIII; alia Parisinesis anni 1654, tomo VIII; Coloniensis, anni 1618, tomi sive sæculi V parte III; denique Lugdunensis Maxima, quæ anno 1677 apud Anissonios prodiit, tomo VIII. Repetiit etiam Marii Victoris carmina Maittarius in Corpore Poet. Latin. tomo II, pag. 1567 seqq. Ego contextum poematis e recensione Georgii Fabricii exhibeo, neque licuit mihi alios, vel scriptos, vel impressos libros conferre, ut locos quosdam forte mendosos, corrigerem vel magis illustrarem. Quotquot enim exstant hujus carminis exempla, primas Gagneii et Fabricii editiones exprimunt, neque ab iis differre, nisi mendis et operarum erroribus, videntur.

II.

DE VAL. CATONE

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Q. Horatius Flaccus, Serm. lib. I, v. 10.

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
Defensore tuo pervincam, qui male factos
Emendare parat versus. Hoc lenius ille,
Est quo vir melior, etc.

Hi versus in antiquissimis exemplaribus Horatii præmissi sunt Satiræ x libri I. Quod autem Acron eos ignorasse videtur, et Satiram ab illo versu *Nempe incomposito* incipit, hinc Landinus eos in annotationem rejecit, aliique editores, eum sequuti, vel seorsum, ut ille, posuerunt, vel omiserunt plane. In antiquis tamen codicibus eos fuisse nemo negat, et non solum Gesnerus in recentissima Flacci editione revocavit, sed etiam Horatiano genio et stylo dignos Jac. Frid. Heusingerus singulari dissertatione, Wolfenbüttelæ 1759 edita, demonstravit.

II. P. Ovidius Naso, Trist. lib. II, v. 435.

Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser,
Et leve Cornificî, parque Catonis opus.

III. Suetonius Tranquillus, de illustr. Grammat. c. 11.

Valerius Cato, ut nonnulli tradiderunt, Burseni cujusdam libertus, ex Gallia: ipse libello, cui est titulus *Indi-*

gnatio, ingenuum se natum, ait, et pupillum relictum, eoque facilius, licentia Sullani temporis, exsutum patrimonio. Docuit multos, et nobiles; visusque est peridoneus præceptor, maxime ad poeticam tendentibus: ut quidem apparere vel his versiculis potest,

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit, ac facit poetas.

Scripsit præter Grammaticos libellos, etiam poemata, ex quibus præcipue probantur *Lydia*, et *Diana*. Lydiæ Ticida meminit,

Lydia doctorum maxima cura liber;

Dianæ Cinna,

Sæcula permaneat nostri Diana Catonis.

Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie, et pæne inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, ut auctor est Bibaculus:

Si quis forte mei domum Catonis,
Depictas minio assulas, et illos
Custodis videt hortulos Priapi,
Miratur, quibus ille disciplinis
Tantam sit sapientiam assequutus,
Quem tres cauliculi, et selibra farris,
Racemi duo, tegula sub una,
Ad summam prope nutriant senectam.

Et idem rursus:

Catonis modo, Galle, Tusculanum,
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati sumus unicum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnes solvere posse quæstiones,
Unum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

IV. Gyraldus, de Poetar. histor. dial. IV, pag. 195, tomo II Oper.

Fuit, quum ego poema illud, quod inter Virgiliana *Diræ* inscribitur, Catonis hujus esse existimarim, et quod de *Lydia* in eo agitur, et mentio fit civilis belli, quo ipse est patrimonio, ut ait Tranquillus, exsutus, id quod etiam ipsemet Cato in libello, cui est titulus *Indignatio*, ostendit, et propterea non *Diræ*, sed *Indignatio*, poema ipsum inscribi posse videbatur.

V. Hier. Columna, Comment. ad Ennii fragm. pag. 275, edit. Hessel.

Non solum hujusmodi Thyestæ preces, ut Horatius in Epodo ait, in proverbium abierunt, sed etiam illud apud Græcos celebre est, Οἰδίποδος ἀρά. Hujus argumenti fuit Callimachi Ibis; quem postea imitatus Ovidius suam Ibin scripsit. In quo genere egregium illud poemation scriptum est, quod cum Virgilianis legitur *Diræ* inscriptum; cujus auctorem Val. Catonem Grammaticum fuisse eruditi credunt.

VI. Jos. Scaliger, Comment. in Append. Virgil. in Diras Val. Cat. pag. 169.

Hujus poematii auctor est Val. Cato Grammaticus. Quod deprehenditur ex iis, quæ de eo scripsit Suetonius Tranquillus: nempe patrimonium suum amisisse bello Sullano; tum amasiam quamdam Lydiam celebrasse carminibus suis. Utrumque in hac Ecloga apparet: nam et Lydiæ ejus sæpe meminit, et amissa bona sua deplorat. Quæ fuit unica caussa, quare hoc eidyllion Virgilio attribueretur, quod et ipse quoque bello civili agros suos prope Mantuam amisisset. Sed quis sanus unquam hoc poema attribuat Virgilio, etiam si non constaret de nomine auctoris? Hoc dico, non quod malus fuerit poeta Val. Cato (Dii melius), sed quod

dissimilis Virgilio. Bonum enim poetam fuisse qui mihi non credet, audiat de eo elogium tale Furii Bibaculi:

> Cato Grammaticus, Latina Siren,
> Qui solus facit, ac legit poetas.

Etiam Catullus eum amice appellat eo hendecasyllabo,

> Ride, quidquid amas, Cato Catullum.

Scripserat et alium librum continentem similem conquestionem de agris amissis, cui titulus erat *Indignatio*, ut inquit idem Suetonius. Itaque in hoc, quem posterius scripsit, manifeste innuit de illo altero, quum ait:

> ......repetamus carmine voces.

Ostendit enim etiam antea se de eadem re scripsisse, etc.

DE

ARGUMENTO DIRARUM

VAL. CATONIS.

I. Jos. Scaliger in Comment. ad Diras, pag. 170.

Dividitur hoc opusculum in duas partes. Prima continet devotum carmen, plenum imprecationum, et vere, quas vocat Horatius, Thyesteas preces. Secunda tota ad amasiæ Lydiæ amissionem spectat. Quæ quidem quamvis egregia sint et luculenta, tamen eorum nitori maxime officiunt menda, quæ in illis injuria temporum inoleverunt.

II. M. ZUER. BOXHORNIUS IN ANIMADVERS. IN DIRAS, PAG. 124 ET SEQQ.

Quum autem Diræ duum generum sint, aut quum aliis, aut quum nobis irascimur, utrumque hic absolvit Cato. Prima pars consistit in Diris adversus agellos suos, quibus exturbatus erat, evomendis; secunda in deploranda calamitate sua, quod Lydiam suam videre et amplecti non posset.

III. CHRISTOPH. ARNOLDUS HOC UBERIUS ARGUMENTUM DIRIS CATONIS PRÆMISIT, IN QUO ET DOCUMENTA SUÆ INTERPRETATIONIS SPARGIT.

Appellat Cato, more poetarum, Battarum fluvium, perinde ac Deum (*rectius, Battarum poetam, auctorem carminis conviciantis, quem imitatur*), ut ille Dirarum adjutor esse velit; quas sedibus suis (hæ ipsæ enim primam poematii partem constituunt) in milites descriptis, sempiterna libertate animoque maximo indicere constituit: Lycurgum scilicet imitatus, ut montes et silvæ, et fruges, et agri, et segetes, et pascua, et vindemia, et flumina, et omnia jam addicta vastitati, fœde interirent; ceu modo precatus fuit. Hæc forte potuissent sufficere: sed rursus incipit Satiricus, in modum irati, qui permittit illi iracundiæ dominatum animi sui; ut dum dicere definit, cito abiturus, citius revertatur, ac maledicta sua non semel, sed iterum, ac sæpius referat. Hinc rursus, et hoc iterum mox repetere, mox revocare jubet; ac denuo in agros et silvas et, quod pæne oblitus esset, in prata, atque fontes recentem impetum facit, ne quid restet, quod prodesse possit. Supersunt tamen jucunda adhuc et suavia; verum ne ab his quidem abstinet, sed aufert etiam florentia serta, et purpureum avenæ colorem, et auras dulces cum suavi ac sano agellorum spiritu; et oculis, qui se vario florum nitore pascere potuerant, simul ac auribus omnem prorsus dulcedinem eripit; ut nempe

visus, auditus, odoratus (gustui autem et tactui fruges jam antea abstulerat), hisce careant, quæ ipsos oblectare queant. Et ne tantillum lætitiæ aut voluptatis reliquum sit, virides umbras et læte comantes ramos ex parte ferro, ex parte fulmine vovens destruit; ut spes revirescendi una flaccescat et decidat. Postquam vero terra Dirarum furore satis agitata esset, turbulenter et turbide aerem inquietat, ut nimirum maxima multitudo ventorum admirabiles concursus faciat; et ignem subjicit, ut flamma a flamma flammam capiat; ut denique, quidquid est, esse desinat, ac cinis fiat. Porro ex aere in aquas descendit, et fluctibus vehementer et dire imperat, ut arena, pestis segetum, humore alligata, campos et arva (quæ arata dicuntur) opperiat ac opprimat; ne sulci forsan, aut ulla arationis vestigia in illis conspiciantur; sed ut ibidem loca periculosa, instar Syrtis, nec non terribilia, propter marina portenta atque monstra, (uno verbo) ut omnia illius rura mare fiant, atque etiam dicantur: ne nesciant alii, sed omnes diro incensi odio exsecrentur plane, ac fugiant; præterea ut nauta quoque detestetur, Caveto, ait; perinde ac si dicat: O rem totam odiosam, miseram et calamitosam! Nunc finem dicendi facturus, dolet fere, quod nihil amplius supersit, disperditioni opportunum; dum vero ita est μετέωρος et multis cogitationibus impeditus, alia insuper cogitatio meticulosa incidit, novos forte colonos in rus pariter ac jus ipsius successuros esse. Consilium igitur hoc init, et constituit campos incurrentibus undis circumfundere, ne exire queant; et putidarum paludum lividissimis voraginibus et juncis omnia implere, ne ullum pro improbo labore fructum exinde percipiant: et ne quid de hoc sperare vel exspectare istos oporteat, precatur, ut imbres continui, campis et stagnis omnibus inundantes, dominos intercludant; et ab infestis undis, velut inimicis, circumventos multis malis contumaciter vexent, atque exagitent, ut hæc omnia relinquant et negligant. Ideo urget (ceu solent iracundi) modo interrogando,

modo exclamando; gravis enim injuria rupit tandem diuturnum ejus silentium, quo doloris sui caussam hactenus præteriit, nempe civilis belli crimen, quod ipsi agros e manibus ita extorsit, ut non adire amplius, nec levi saltim oculo intueri concessum sit.

Quapropter his valedicit, consalutans simul Lydiam suam (siquidem hujus jactura altera carminis pars est) non sine ingenti dolore; quod ea ipsa deinceps carere debeat, quam hostium manus auferre potest, oblivio minime potest; et cujus tam jucunda est suavitas, ut quidem agri eam ament, aves autem et prata et flumina cum stupore admirentur. Præ invidia itaque ad tabitudinem redigitur; quum scilicet miser homo brutorum felicitatem adsequi nequeat, ut semper soli cum sola esse liceat. Ad ultimum Solem et Lunam tristitiæ suæ oculatos testes facit, qui tamen sine suis gaudiis et affectibus nunquam inveniuntur; et novissimo fati sui abrupto stans, publice protestatur, se nihil, quod pœnitere possit, fecisse; nec parum honesta vita, more majorum, Deos unquam læsisse: verum, quia probum fuisse nil juvat, jam demum improbus esse desiderat. Quid, quod Cælicolæ, velut Jupiter, et Mars, et Aurora talia olim fecere, et quidem impune? Sed hæc perversa sors (quæ in illum, haud secus ac in infortunii urnam, immissa est) adeo eumdem excruciat atque macerat, ut colorem decoremque cum vita perdat; et omnium miserrime pereat.

I.

VALERII CATONIS

DIRÆ.

BATTARE, cycneas repetamus carmine voces:
Divisas iterum sedes et rura canamus,
Rura quibus diras indiximus, impia vota.
Ante lupos rapient hædi, vituli ante leones,
Delphini fugient pisces, aquilæ ante columbas,
Et conversa retro rerum discordia gliscet

1. De Battaro diximus in procem. — *Cycneas* quidem Scaliger commode interpretatur de vocibus desperantis, qui proverbialiter dicebatur τὸ κύκνειον ᾄδειν; sed vix dubito, legendum esse *Cyrnæas*, h. e. Cyrenæas, a Callimacho Cyrenæo, cujus diras in Ibin imitatur Cato; vel *Cyræas*, quod idem est, a Cyra monte, in quo condita Cyrene, quique pro hac ponitur ab Ovidio in Ibi, 541: « Conditor ut tardæ, Blæsus cognomine, Cyrrhæ ». Vid. Justinus, XIII, 7, 5. — *Repetamus* vel ipsam hanc Callimachi imitationem respicit, vel *Indignationem* Catonis prius scriptam; vel proprium vocabulum est Dirarum, quæ eadem sæpius repetunt et inculcant.

2. *Divisas*, h. e. adsignatas veteranis, bello Sullano, quod memorat Suetonius; vel etiam creditoribus Catonis. Nam quod Scaliger h. l. *divisas* intelligit *devotas*, hoc ex adducto Propertii loco, I, 12, 10, *an quæ Lecta Prometheis dividit herba jugis*, probari nequit, ubi verbi *dividit* alius sensus est. — *Iterum*, ut innuat se in *Indignatione* hæc jam dixisse. ED.

3. *Dura quibus* habent codd. quidam, et primæ editiones. Hic versus repetitur infra, v. 62. — Pro *indiximus*, in aliis est *inscripsimus*. Heins. conj. *en scribimus*. ED.

5. *Aquilæque columbas* conjecerat Francius. ED. — *Delphini fugient*, qui alias piscibus dicuntur terrori esse. Sic Statius, Theb. IX, 242: « Qualis cæruleis tumido sub gurgite terror Piscibus, arcani quoties devexa profundi Scrutantem delphina vident ».

Multa prius, fuerit quam non mea libera avena.
Montibus et silvis dicam tua facta, Lycurge,
Impia, Trinacriæ sterilescant gaudia nobis,
Nec fecunda sinus nostri felicia rura,
Semina parturiant segetes, non pascua colles;
Non arbusta novas fruges, non pampinus uvas.
Ipsæ non silvæ frondes, non flumina montes.
Rursus, et hoc iterum repetamus, Battare, carmen.

7. *Multa prius fient* cod. Petav. Thuan. Medic. Voss. cum Helmst. et utraque ed. Aldina, quæ *dicat* versu seq. habent. Gronovius ad lib. IV Theb. Stat. emendat: *Muta prius fuerit, quam non mea libera avena.* Sed ego prætulerim lectionem primarum edit. Brix. Vincent. et Venetæ, quæ aliter distinguunt: *discordia gliscet Multa prius; fuerit quam.* Certe quum prioribus membris additum fuerit *ante*, ultimo huic etiam *prius* adjungendum est.

8. *Tua facta, Lycurge*, h. e. furorem eum, quo correptus Lycurgus Thrax securi arbores et vites cædebat. Hinc *bipenniferum* Lycurgum vocat Ovidius, Trist. V, 3, 39, et Met. IV, 22; *Securigerum* Seneca in OEd. v. 471. Vid. Scholiast. Horat. ad Carm. II, 19, 16. — *Dicam*, h. e. indicam, vel imprecabor, ut v. 3. Est hoc verbum solenne dirarum et incantationum. Petronius, c. 134, de carmine sagæ mulieris: *Tantum dicta valent.*

9. *Impia* refer ad *facta* versus prioris, nisi velis cum Heinsio *irrita gaudia* legere. Sic et distinguit edit. Virg. Haganoensis, 1531. — *Trinacriæ gaudia* intelligo de læta frumenti abundantia, sicut Acheloia pocula Virgilius aquam dixit. Sicilia ob repertas fruges et Cererem Hennæam celebris. Vid. Cicero in Verr. IV, c. 48. — *Vobis* legunt duo libri Gallicani, sed hoc mutare non necesse. Quod Heinsius ex hoc loco, et ex vs. 40, 41, 42, colligere vult, villam Catonis in Sicilia fuisse, id recta interpretatione verborum facile confutatur.

10. Vulgatæ habent *fœcunda senis nostri*, quod corruptum, certe obscurissimum est. Scaliger legit *sinus nostri*, quod et maritimos Catonis agros fuisse arbitratur: Heinsius vult *sinu vestro*. Ego Scaligeri lectionem servo, quam et Boxhornius, Dilherrus, Arnoldus dederunt, qui tamen in reliquo versu, nescio qua auctoritate, scribunt *vel mitia ruri Semina.*

12. *Non arbusta novas fruges.* Etiam Cicero, in lib. de Senectute, vitem in frugibus ponit. Ed.

13. *Flamina* legit cod. Medic. et Aldina secunda an. 1534, idque defendit Heinsius, et pluribus locis probat, quibus venti dicuntur in montibus gigni et habitare. Sed vetustiores edd. omnes habent *flumina*, eaque multa ex montibus oriri, notum. Lindenbrogius tamen corrigit *non flumina fontes*, idque probo, quia versu 18, quo hæc ipsa repetuntur mutatis verbis, dicitur *et fontibus humor.* Idem placebat Boxhornio et Tollio.

14. *Repetamus*, qui mos est notus

Effetas Cereris sulci condatis avenas:
Pallida flavescant æstu sitientia prata:
Immatura cadant ramis pendentia mala:
Desint et silvis frondes et fontibus humor;
Nec desit nostris devotum carmen avenis.
Hæc Veneris vario florentia serta decore,
Purpureo campos quæ pingit avena colore.
Hinc auræ dulces, hinc suavis spiritus agri
Mittant pestiferos æstus, et tetra venena.
Dulcia non oculis, non auribus ulla ferantur.
Sic precor; et nostris superent hæc carmina votis.
Tu nemus, et multum nostris cantata libellis

devotionum et incantationum. Re ipsa versibus quatuor sequentibus eadem dicuntur, mutatis verbis, quæ quatuor præcedentibus.

15. *Effetas avenas*, quæ defrugant segetem; Tollius explicabat frumento carituras, non recte. Ed.

19. *Nec desit:* Quamvis repetere videar, quæ ante dixi, ne desit tamen avenæ aliud carmen, aliud malum, quod imprecer.

20. A segete ad flores devovendos transit Cato, quos *Veneris stipendia* mox dicet v. 116. *Hinc Veneris vario* et versu seq. *pinxit* cod. Voss.— *Purpureos campos* edd. vetust. sed *purpureo* utraque Aldina. *Nec Veneris* edid. Dilherrus et Arnoldus, qui *avena* tuetur, quod locum hic minime habere potest; importune enim hic *avena* toties inculcatur, hoc certe loco nullius est rei, nec melius quidquam reperio emendatione Heinsii, *ne pingant verna.*

22. *Spiritus agris* cod. Helmst.

23. *Mutent pestiferos* in utraque Ald. et edd. vetustioribus, codd. Petav. Thuan. Med. Voss. Leid. et Helmst. *mutant* margo Pithœi; nec tamen hoc ferri potest, et contrarium menti poetæ sensum infert.

24. *Dulcia non oculis* respiciunt ad flores et pulchrum eorum adspectum versu 21; *non auribus*, ad auras dulces et suavem spiritum v. 22, qui auribus percipitur: neque igitur *naribus* legendum est, ut Heinsius volebat, quod de odoribus nihil insinuat poeta. — *Ferantur*, h. e. offerantur, vel se offerant.

25. *Et nostris superent*, h. e. supersint præter hæc, quæ precatus sum, et alia carmina, quibus imprecer. Infra denuo repetitur hic versus.

26. Mendosam lectionem *Ludimus et multum*, cui nullum a libris auxilium, sic emendat Scaliger: *Tu nemus et multum nostris*, quod et edidit Dilherrus, cui ego adsentior. Nam quod Heinsius conjiciebat *Lydia, et o multum*, ut amicam suam alloquatur Poeta, prorsus alienum videtur. — *Nostris cantata libellis* respicit fortasse ad carmen *Diana* inscriptum, cujus Suetonius meminit. — Vid. supra in Testim. auctor. hoc tomo p. 65. Ed.

Optima silvarum, formosis densa viretis
Non fundes virides umbras, nec læta comantes
Jactabis molles ramos inflantibus auris,
Nec mihi sæpe meum resonabit, Battare, carmen.
Militis impia quum succidet dextera ferro,
Formosæque cadent umbræ, formosior illis
Ipsa cades: veteris domini felicia ligna
Nequidquam nostris toties devota libellis,
Ignibus æthereis flagrabunt. Jupiter ipse,
Jupiter hanc aluit: cinis hæc tibi fiat, oportet.
Thracis tum Boreæ spirent immania vires:
Eurus agat mixtam fulva caligine nubem:

28. Pro *Tondemus virides*, quod est in vulgatis, Scaliger legit *Non deinum virides*. Boxhornius et Dilherrus dederunt *Non fundes*. Sed vetustæ editiones habent *Tonderis*, unde forte efficiendum *Tondebis*, h. e. amittes umbras; prætuli tamen *Non fundes*.

29. *Molles ramos*, h. e. qui molles, faciles, flexibiles sunt *inflantibus auris*. Heinsius tamen legi vult *nec læto comantes Jactabis collis ramos*, atque collem hunc Battarum fuisse opinatur. Quod mihi non ita videtur. Et cæteras Heinsii conjecturas omitto.

30. *Resonabit* editiones plurimæ, nec illud mutandum. Sensus est: Nec silva adeo densa erit amplius, ut, si carmen meum incepero, cujus initium *Battare*, id mihi sæpe resonet.—Sic Propert. I, 18, vers. ult. « Sed qualiscumque es, resonent mihi Cynthia silvæ, Nec deserta tuo nomine saxa vacent ». Ed.

31. *Succedit* vetustæ edd. habent, *succedet* edidit Pithœus et Scaliger; sed *succidet* vetustus codex cum Aldo, quod rectum est, et a cl. Dilherro commodissime sic editum.

33. Multum hic variant libri. Pro *veteris* quidam *iterum* habent; pro *toties* Petav. Medic. et Helmst. *potius*; Thuan. *potis*: pro *flagrabunt* alii *flagravit* et *flagrabit*. Ego interpunctione adjuvandum locum arbitror, hoc modo: Quæ quondam fuerunt *veteris domini felicia ligna*, *nequidquam* frustrave fuerunt, nam *potius devota libellis nostris ignibus æthereis flagrabunt*.—*Nostris cantata libellis* supra, v. 25, dixit. Ed.

36. *Jupiter hanc aluit*. Hæc verba parenthesi includenda videntur.—*Jupiter ipse* (quamquam ille hanc silvam aluit), *oportet hæc tibi cinis fiat*, h. e. oportet hanc in cinerem redigas. Neque vero displicet conjectura Tollii: *Jupiter, ipse Jupiter hanc adfla*. Boxhornius vult *Jupiter incaluit*.

37. *Threcis* dant scripti Gallicani, Petav. Thuan. Leid. Helmst. Hoc etiam prætulit Heinsius ad Ovid. Epist. XIX, 26.

38. *Purus agat* pro *Eurus* edd. vet. et cod. Petav. Thuan. sed *Eurus* recte in Aldinis cæterisque.—*Furva*

Africus immineat nimbis minitantibus imbrem:
Quum tua, Cyaneo resplendens æthere silva,
Noscet iter, ducens Erebo, tua Lydia, Ditis.
Vicinæ flammæ rapiant ex ordine vites:
Pascantur segetes, diffusis ignibus aura
Transvolet, arboribus conjungat et ardor aristas.
Pertica quæ nostros metata est impia agellos,

caligine malebat Heinsius, sed utraque lectio passim confunditur a librariis.

39. *Immineat*, ut alias *incumbere venti* dicuntur apud Virg. Æn. I, 84, et *supra caput adstitit imber*, Æn. III, 194. — Pro *minitantibus* Helmst. *imitantibus*, primæ edd. et Juntina *mutantibus* vel *nutantibus hymber* pro *imber*.

40. Hunc et sequentem versum sic ediderunt Aldus et eum sequutus Pithœus. Eam lectionem amplexus Heinsius primo putavit scribendum *Cyaneo æquore*, intellexitque de imagine silvæ in æquore, cui incumbit, resplendentis. Deinde altero versu putavit de Ætna agi, quæ *iter Ditis ducens Erebo;* per crateras enim Ætnæ Plutonem erupisse Proserpinæ raptorem. Unde etiam silvam vel villam Catonis in Sicilia ad mare sitam, ex hoc loco conjicere voluit. Sed inania hæc somnia sunt ex lectione male constituta. Nam alterum versum omnes antiquitus excusi cum codice Puteani, Thuanique, Vossiano et Helmst. sic exhibent : *Non iterum dicens Erebo tua Lydia dixti;* ubi tamen in multis falso legi *Erebo* puto, sed, ut in antiqua Haganoensi Secerii, quæ ad manus est, manifeste exstat, pro *Erebo* legendum *crebro*. Hæc lectio non alia opera, quam bona distinctione et interpretatione indiget. *Cyaneo æthere* igitur genuinum existimo, positumque pro sudo et cæruleo, quo resplendebat olim silva Catonis, post autem caligine involuta ardebit. Præterea *dicens* mutandum censeo in *dices*, atque sic duo versus expono : *Quum*, exusta silva mea, tu *Lydia non iterum dices, tua* hæc *silva Cyaneo æthere resplendens*, nam *crebro*, *Lydia*, *dixisti tua silva*. Sic Eurydice Orphei apud Virgil. Georg. IV, 498 : « Invalidasque tibi tendens, heu! non tua, palmas ».

42. *Vicinæ flammæ*, silvæ ardentis, *rapiant*, accendant *vites*, *ex ordine*, namque vicinæ sunt. Nescio, quæ ratio Heinsium cogat, ut hic vicinas Ætnæ aut Vesuvii flammas intelligat, ideoque vicinam his Catonis villam fuisse suspicetur.

44. *Arbor aristas* habent vetustiores edd. omnes. Scaliger legi jubet, *contingat et ardor aristas : contingat* etiam in cod. Leid. et Helmst. Utrumque minus bene, *contingat* et *arbor*. Probo emendationem Heinsii, legentis : *auras Transvolet, arboribus conjungat et ardor aristas*, quocum consentiente Gronovio, Observ. lib. II, cap. 3.

45. *Pertica qua* ex nonnullis editis profert Scaliger, et fere necessarium est, ita legi. Perticis antiquitus metabantur agros, eoque et dividebant veteranis et colonis. Sic

Qua nostri fines olim, cinis omnia fiant.
Sic precor, et nostris superent hæc carmina votis.
Undæ, quæ vestris pulsatis litora lymphis,
Litora, quæ dulces auras diffunditis agris,
Accipite has voces: migret Neptunus in arva
Fluctibus, et spissa campos perfundat arena.
Qua Vulcanus agros pastus Jovis ignibus arcet,
Barbara dicatur Libyce, soror altera Syrtis.
Tristius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen.
Nigro multa mari dicunt portenta natare,
Monstra repentinis terrentia sæpe figuris,
Quum subito emersere furenti corpora ponto.

Propert. IV, 1, 130: « Abstulit excultas pertica tristis opes ». Frontinus de limit. agr. pag. 43, edit. Goesii: « Solum quodcumque coloniæ est adsignatum, id universum pertica appellatur ».

48. *Quæ nostris* pleræque edd. vetustæ, at *vestris* utraque Aldina. Sed Heinsius bene emendat *vitreis lymphis*: namque alterum prorsus friget.

50. *Accipite has vites*. Helmst. cod. *migrat*, Petav.

52. *Pastus Jovis ignibus* utraque Aldina et scripti Petav. Thuan. Medic. Leid. at *pastor Jovis* edd. vetustiores: *pastos* Helmst. et ed. Flor. Junt. *pastos Jovis ignibus ardet* in Vossiano. Scaliger emendat: *Qua Vulcanus agro pastus Jovis ignibus ardet*, quod edidit Dilherrus. Heinsius, *Qua Vulcanus agros pastos Jovis ignibus uret*. Mihi hæ emendationes nihilo meliores videntur vulgata lectione, quam primo loco posui, immo ne sensum quidem verum poetæ attingere. Itaque lego: « Qua Vulcanus agros pastus Jovis ignibus arcet », hoc sensu: ea regione, qua Vulcanus pepercit agris, vel agros arcuit et abstinuit ab ignibus, ibi propter arenas fluctibus invectas exsistat Syrtis similis ei, quæ est in Libya.

53. Hunc versum Burmann. aliter profert: « Barbara dicatur Libycæ soror altera Syrtis ». Ed.

54. *Revocasses* quidam Mscripti Gallicani habent, quod aptius puto, et *memini* pro existimo vel credo positum.

55. *Pigro mari* vult legere Heinsius, quia Oceanum Atlanticum, in quo innatare maxima monstra dicebant, pigrum, limo et uligine stupentem putabant Veteres. Vid. fragmentum Albinovani de Navigat. Drusi. Fest. Avienus in Ora marit. v. 121: *Sic segnis humor æquoris pigri stupet*; et conf. Halieutic. a Columna editum, v. 65. — Nostræ huj. ed. tomo I, pag. 234. Ed. — Vid. Auson. Mos. 144. — *Monstra natantia* Hor. Carm. I, 3.

57. Pro *furenti* Heinsius *virenti* voluit. — *Corpore* Thuan. *Corpora* de monstris marinis proprie, ut in Ciri Virgil. v. 451, « Æquoreæ pe-

Hæc agat infesto Neptunus cæca tridenti,
Atrum convertens æstum maris undique ventis,
Et fuscum cinerem canis exhauriat undis.
Dicantur mea rura ferum mare: Nauta, caveto
Rura quibus diras indiximus, impia vota.
Si minus, heu! Neptune, tuis infundimus aris;
Battare, fluminibus tu nostros trade dolores:
Nam tibi sunt fontes, tibi flumina semper amica.
Nil est quod perdam ulterius, merita omnia dixi.

stes, immania corpora ponti, Undique couveniunt ».

59. *Converrens* legit Scaliger, et sic putat Heinsius, edidi tque Dilherrus, qnod *verrere* et *converrere* sæpe de ventis dicitur apud Lucretium et Maronem. Sed non minus *vertere*, *evertere*, *convertere*, idqne hoc loco aptius videtur.

63. *Hæc* pro *heu* edidit Aldus et Pithœus, idque rectum videtur, et a codd. MSS firmatur : *hæc* scilicet vota. — *Tuis auris* libri scripti cum Aldo in ntraque; unde *arvis* conj. Is. Vossius : *tuis aris* edd. vetust. Scaliger et Pithœus : *tuis iris* couj. Scaliger. Heinsius : *tuas infundimus auris*, i. e. *aures*, quod maxime probandum videtur : *infundere aures* pro *fundere in aures*, ut infra, v. 108, *vos nunc arridet*. Sic *incidere invidiam*, et *incidere manus serviles* Symmachus, Epist. VII, 89; VIII, 2. — Sed videtur Heinsii conjectura esse magis aptnm, quod libri scripti et utraque Aldi editio præfert, *tuis auris*. Nam superius dictis hoc optime respondet, ubi venti Neptuno tribnnntur, versn 59, et auræ litoribus, v. 49. Atque igitur hic sensus est : *Si hæc*, nempe maria, monstra marina, undas et tempestates, *minus infundimus*, i. e. minus efficere possumus ut infundantur, *tuis, Neptune, auris*, auxilio ventorum quorum tu, Neptune, potestatem habes. Ed.

64. *Nostros dolores*, ultiouem doloris nostri, *trade*, committe.

65. *Tibi flumina amica*, quia sæpe soles ad flumina carmen meditari (vid. Calpurn. IV, 3), et cum strepitu aquarum murmur imprecationum tuarum conjungere ; vel, quia flnmina inprimis apta snnt tuis increpationibus, ad stragem el ruinam dandam. — Hæc postrema ratio vera videtur cur flumina dicantur Battaro amica ; nam nbi exundant pariter dicuntur ira concitari, ut ille, qui Diras imprecatur. Sic auctor Elegiæ ad Liviam, v. 233 : « Quamquam amnes decet ira, tamen, Tiberine, quiescas ». Et Lucanus, X, 316 : « Quis te tam leue fluentem, Moturum tantas violenti gurgitis iras, Nile, putet ». Similia Ovidius de Acheloo. Ed.

66. *Merita omnia dici* edd. antiquæ ; *ditis* cod. Petav. Thuan. Medic. Helmst. *dictis* Aldns et MSS Pierii : *dixi* dedit Junt. Pithœus, Scaliger. Heinsius putabat, *Nil est, quod perdnm ulterius : merita omnia diras*, vel *quo pergam ulterius*. Et prubarem *diras* maxime, si vestigia

Flectite currentes lymphas vaga flumina retro,
Flectite, et adversis rursum diffundite campis.
Incurrant amnes passim remeantibus undis,
Nec nostros servire sinant erronibus agros!
Dulcius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen.
Emanent subito sicca tellure paludes,
Et metat hic juncos, spicas ubi legimus olim;
Occupet arguti grylli cava garrula rana.

lectionum eo ferrent : nunc præfero *merita omnia dici*, boc est, quia omnia jam perdidi, nec haheo, quod ulterius perdam agrorum et possessionum mearum, omnia ctiam merentur diris devoveri.— *Dicere* et *indicere* vocem esse imprecationum et dirarum, jam notavimus ad v. 8.

68. *Adversi rursum* Aldus; *adversus* Petav. priscæ editiones *adversi cursum*, unde Scaliger fecit *aversi cursum*. Dilherrus edidit *aversis eursum*. Sed vulgatum *adversis* retinendum; nam campi, in quibus diffunditur flumen retro flexum, sunt adversi, ut flumen ipsum adversum campis.

66. *Rimantibus undis*, mendose, habent scripti omnes, et utraque ed. Ald. sed *remeantibus* recte in omnibus Aldinas antecedentibus. Sic de Meandro Ovid. Metam. VIII, 164 : *Occurrensque sibi venturas adspicit undas.*

70. In codicibus scriptis et priscis edit. plerisque legitur *Nec nostros exire sinant erroribus agros*. Et Scaliger hoc *exire* habet pro verho alienationum : *exire in jus*, *exire in potestatem*. Sed facilius hunc versum explicat Jac. Tollius : neque sinant nostros agros unquam liberari flexibus suis, aut eximi. Sed merito præfertur *servire sinant*, qnod Aldus ex Bembi membrana, cum eoque Pithœus et Scaliger expressserunt. Hic etiam legere jussit *erronibus*, quod ipsum etiam agnoscit Aldina. Erronum nomine convicium facit veteranis, quasi fugitivis vel desertoribus, quibns agri erant adsignati. Eum sensnm erronis indicat versus Tibulli, II, 6, 6, « Atque iterum erronem sub tua signa voca ».— Et Ovid. Epist. XV, 53, « At vos erronem tellure remittere nostrum ». Ed.

73. *Et metat hic miles* vetustiores edd. habent ante Aldum, qui edidit *Et metat hic juncos*. Et *juncos* sane necessarium est, quod de tellure in paludem versa sermo est.— *Miles* fortasse illatum est a librariis, quod desiderari videbatur nomen illius, qui metat juncos. Ob eam caussam et mihi versus nondum sanus videtur. Melins constahit ille, si legamus : « Et metat hic juncos, spicas uhi legerat olim ». Sed *legimus* constanter omnes libri scripti et editi. Ita sic scribo : « Et natet hic juncus, spicas uhi legimus olim ». — Sic Sil. Ital. lib. IV, 751 : « Plana natant, putrique gelu liquentibus undis, Invia limosa restagnant arva palude ». Ed.

74. *Grylli* sunt vermiculi, locustis similes, qui retro ambulant, et terram terebrant. De iis Keuchen. ad Seren. Sam. v. 292. *Arguti* vocantur, quia instar locustæ stre-

Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen,
Præcipitent altis spumantes montibus imbres,
Et late teneant diffuso gurgite campos:
Queis dominis infesta minantes stagna relinquant,
Unde relapsa meos agros pervenerit unda.
Piscetur nostris in finibus advena arator,
Advena civili qui semper crimine crevit.
O male devoti, prætorum crimen, agelli;
Tuque inimica tui semper discordia civis.
Exsul ego, indemnatus, egens mea rura reliqui,
Miles ut accipiat funesti præmia belli.
Hinc ego de tumulo mea rura novissima visam?

punt.—Idemque epitheton iis, forte ex ejus loci imitatione dat Flamin. lib. III, Carm. 7. Ed. — *Cava* sunt foramina terræ excavatæ, latebræ animalium. Horat. Sat. II, 6, 80, « murem mus paupere fertur Accepisse cavo ». Ed.

76. *Fumantes montibus* libri scripti Petav. Thuan. Medic. et omnes vetustæ edd. ante Aldum, qui *spumantes* edidit.

77. *Diffuso gurgite*, ut versu 68 *lymphas diffundite campis.*

78. Sic legunt edd. vet. ante Aldum, ediditque Pith. et Scalig. *Quid dominis* et *relinquunt* cod. Petav. et Thuan. *Qui dominis* et *relinquunt* Medic. *quique domos relinquunt* utraque Aldina, cod. Pierii et Helmst. In his omnibus nihil sanum; neque satis facit Heinsius, qui volebat: « Quin dumis infesta inaratis stagna relinquant ». Lego: *Quos* sc. campos *domini infestos, mirantes stagna, relinquant, Unde relapsa meos agros pervenerit unda.* Versus alter pendet a *mirantes.* Pro *relapsa* veteres edd. *elapsa.*

80. *Visetur nostris* ediderunt Dilherrus et Arnoldus.—*Advena raptor* et paullo post *raptorum crimen* legebat Salmasius.—*Civili crimine*, quod bello civili inesse solet: *civile nefas* dicunt alii. Lucan. VII, 398: « Crimen civile videmus, Tot vacuas urbes ». Adde v. 432.

82. *Pratorum crimine* Aldina prima et Junt. *prætorum crimine* secunda Ald. cod. Medic. Pierii, margo Pithœi. Idque probabat Boxhornius: *raptorum crimine* ed. Dilh. et Arnold. *raptorum crimen* Scaliger, ut sit epexegesis, quemadmodum infra *felix nomen agelli.* Forte *prædonum* Heinsius, sed veram scripturam esse *prætorum crimen agelli* putat, idque eo libentius amplector, quod *crimine* e priori versu male repetitur. In sequenti malo *tuo civi.*

84. *Indemnatus*, i. e. inauditus, nec ab ullo judice legitimo convictus, adeoque non rite damnatus, ut in illo Ciceronis Verr. V, cap. 6, « Ut quam damnatis servis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus Romanis reservares ». Ed.

86. *Tunc ego* Boxhorn. *de cumulo* omnes ed. Aldinis *vetustiores*, male.

Hinc ibo in silvas? obstabunt jam mihi colles :
Obstabunt montes, campos nec adire licebit.
Dulcia rura valete, et Lydia dulcior illis,
Et casti fontes, et felix nomen agelli.
Tardius, ah! miseræ descendite monte capellæ;
Mollia non iterum carpetis pabula nota.
Tuque resiste, pater : en prima, novissima nobis,
Intueor campos longum : manet hostis in illis.
Rura valete iterum; tuque optima Lydia salve :
Sive eris, et si non, mecum morieris, utrumque.
Extremum carmen revocemus, Battare, avena.
Dulcia amara prius fient, et mollia dura :
Candida nigra oculi cernent, et dextera læva :

—*Tumulum* hic capio de colle terreo demissiore, pro quo sæpe cumulum supposuerunt. Vide Burmanni notas ad Lucan. III, 375; et multis in locis Ovidii et aliorum duas has voces a librariis passim confusas fuisse docent notæ ad Claudian. B. Gild. 39, et Rapt. Pros. III, 342. Ed.

87. *Obstabunt jam mihi*, h. e. obstare et impedire videbuntur, quia mihi non licebit adire campos. Interrogative hæc omnia legenda videntur.

90. *Felix nomen agelli*, per epexegesin; nam *agellos* non *agellum* passim villam suam vocat Cato. Sic Virg. Ecl. I, 74, « Ite meæ, quondam felix pecus, ite capellæ ».—Et Ecl. III, 3 : « Infelix o semper, oves, pecus! » Ed.

92. *Pabula nota*. Heinsius conj. *rupis notæ*. An forte *motæ* scilicet stabulis?

93. *Pater*, nimirum capellarum, de quibus agunt præcedentia; *hædorum pater* infra, et *taurus pater armenti*; nisi malis *resiste caper*.—*Et prima* scripti cum Aldo : *hæc prima* edd. vet. Sed Heinsius conj. *Tuque resiste, pater, per rura* vel *per prata novissima nobis*, ex versu 86. Dilherri et Arnoldi editio cum Scaligero hunc versum post 96 ponit, et sic scribit : « Tuque mihi ipsi par, tu prima novissima nobis ».

94. *Intueor campos : longum manet hostis in illis;* sic distinguunt Pithœus et Scaliger, vetustas edd. et Aldum secuti, sed male : *longe* mavult Heinsius.

95. *Rura valete, ... Lydia salve*. Pariter *salve* et *vale* dicebant iis quos nunquam visuri erant. Idcirco ita et mortuos alloquebantur. Ed.

96. Varie et distinguunt et exponunt hunc versum. Mihi hoc placet : *Sive eris* mecum, *et si non* eris, i. e. vives mecum, *utrimque mecum morieris*, h. e. utrocumque modo id evenerit, non nisi mecum morieris : non enim memoria tua apud me, nisi me ipso moriente, intercidet. Hoc ipsum sequentibus amplius declarat. Igitur h. l. pro *utrumque* lego *utrimque*.

97. *Extremum*, id quod extremo

Migrabunt casus aliena in corpora rerum,
Quam tua de nostris emigret cura medullis.
Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo.
Gaudia semper enim tua me meminisse juvabit.
Invideo vobis agri, formosaque prata,
Hoc formosa magis, mea quo formosa puella
Est vobis; tacite vestrum suspirat amorem.
Vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit,
Vos nunc adloquitur, vos nunc adridet ocellis,
Et mea submissa meditatur carmina voce,

loco dixi, *revocemus* repetendo confirmemus.

100. *Casus*, omnes scripti et editi; *casus rerum* interpretor res accidentes, ortus, mutationes rerum: *cineres* reponit Burmannus. — *Aliena in corpora*, in formas vel corpora plane contraria et a natura sua aliena: τῷ *migrabunt* bene respondet sequentis versus *emigret*.

102. *Quamvis ignis eris*. Etiamsi fieret, ut in alienas et contrarias plane res mutareris: proverbialis dictio videtur, ex illo: ἀλλ' ὑμεῖς μὲν ὕδωρ, καὶ γαῖα γένοισθε. Ed. — Ejusdem sententiæ hoc est Propertii, I, 15, 32: *Sis quodcumque voles, non aliena tamen;* et similia e disciplina Pythagoræa profert Tibullus, sub finem Paneg. ad Messalam, IV, 1, 204, seqq. Fortasse per ignem et aquam Cato intelligit prima elementa rerum, in quæ reverti homines et alia omnia dicebant quidam philosophi. Calpurn. VIII, 35: *Omniparens æther, et rerum caussa liquores;* ubi vid. annotata nostra. — Huj. ed. tom. I, pag. 531. Ed.

103. *Meminisse licebit* cod. Gallicani et Helmst. cum edd. ante Aldum: *libebit* in cod. Voss. et Leid.

105. *Mea quod formosa*. Dilherrus cum Ald. et aliis vet. edd. Douza volebat *mea quod formosa puella est Vobiscum, et tacite*. Sed *Est vobis* defenditur ex v. 124: « Et vobis nunc est, mea quæ fuit ante, voluptas ». Helmst. babet: « Nec formosa magis mea quam formosa ».

106. Pro *vestrum* in codd. Gallicanis, Voss. et Medic. item in utraque Ald. *nostrum*. Scaliger malebat *vestri suspirat amore*. — Nihil tamen mutandum: sic enim loquutus est Tertull. Apolog. cap. xv: « Cybele pastorem fastidiosum suspirat erubescentibus vobis ». Ed. — Heinsius « In vobis tacite nostrum suspirat amorem ».

107. *Vobis mea Lydia ludit, Vos nunc adloquitur*. Hæc hemistichia desunt in Helmst.

109. *Submissa*, h. e. tenui et leui. Tibullus, III, 1, 22: « Atque hæc submisso dicite verba sono ». Et Noster, v. 118: « Et secreta meos furtim narrabit amores ». — Burmannus tamen accedere videtur sententiæ eorum qui *submissa voce* pro tenui, ne ab aliis exaudiatur, recte dici negant, et *suppressa* præferunt. Sed satis hoc prolatis supra exemplis refellitur. Ed.

Cantat et interea, mihi quæ cantabat in aurem.
Invideo vobis, agri : discetis amare.
O fortunati nimium, multumque beati,
In quibus illa pedis nivei vestigia ponet;
Aut roseis digitis viridem decerpserit uvam,
Dulci namque tumet nondum viticula Baccho;
Aut inter varios, Veneris stipendia, flores
Membra reclinarit, teneramque illiserit herbam,
Et secreta meos furtim narrabit amores.
Gaudebunt silvæ, gaudebunt mollia prata,
Et gelidi fontes, aviumque silentia fient.
Tardabunt rivi labentes currere lymphæ,
Dum mea jucundas exponat cura querelas.
Invideo vobis agri : mea gaudia habetis,
Et vobis nunc est, mea quæ fuit ante, voluptas.
At mihi tabescunt morientia membra dolore,
Et calor infuso decedit frigore mortis,
Quod mea non mecum domina est: non ulla puella
Doctior in terris fuit, aut formosior; ac si

110. *Interea* videtur hoc loco, ut *interim* apud sequiores scriptores, positum pro *interdum*.

116. *Veneris stipendia*. Douza pater malebat *dispendia*. *Venerem stipantia* codice Voss. *vitem stipendia* Medic. et sequente versu *Veneremque illiserit herbam*. Calpurn. X, 42, *uvas illidere planta*.

120. *Aviumque silentia fient*. Calpurn. II, 17 : « Euri per totos fecere silentia montes ». Alia ejus loci cum Nostro comparanda.— Et vid. Sereni Fragm. XXIX, hujus edit. t. I, part. II, p. 640. Ed.

121. *Labentes currite lymphæ*, cod. Medic. Helmst. et primæ editiones; *currere* Aldus. *Tardabunt rivi labenti currere lympha* legit Scaliger, quem sequutus est Dilherrus : *rivi labentis* concinnius putat Heinsius.

122. Heinsius hoc versu mavult *expromat cura*.—*Mea cura*, intelligamus, puella mea.

124. *Mea quæ*. Heinsius vult *mihi quæ*, ut τῷ *vobis* respondeat.

125. *At male tabescunt* cod. Thuan. et Medic. *Et male* Petav. *Hei male* Voss. et edd. vet. *At mihi* cod. Pierii et Aldus. Pro *morientia* Heinsius vult *marcentia*, quia *mortis* sequitur. Sed libri scripti et excusi non aliter, quam *morientia*, cui et *tabescunt* bene convenit, et usus linguæ favet. Tibull. lib. II, Eleg. ult. *Tunc morior curis*. Versu seq. *decepit frigore* cod. Thuan. Petav. Leid. et vet. edd.

128. *Doctior* intelligendum est de

Fabula non vana est, tauro Jove digna, vel auro :
Jupiter avertas aures: mea sola puella est.
Felix taure, pater magni gregis et decus, a te
Vaccula non unquam secreta cubilia captans,
Frustra te patitur silvis mugire dolore :
Et pater hædorum felix, semperque beate,
Sive petis montes præruptos saxa pererrans;
Sive tibi silvis nova pabula fastidire,
Sive libet campis; tecum tua læta capella est.
Et mas quocumque est, illi sua femina juncta;
Interpellatos nunquam ploravit amores.

lasciviore et nequiore, quæ artem placendi et dissuaviandi probe callet. Hanc notionem maxime firmat epigramma in puellam Dionysiam, Anthol. Lat. lib. IV, 357, ubi videndus Petr. Burmannus. *Ditior* hic in aliis legi notavit Arnoldus.

129. *Tauro Jove digna vel auro.* Sic post Aldum edidit Scaliger, et ita legendum in notis suis monuit Pithœus, quum alii scripti et editi haberent *tanto Jove*. Respicitur ad Europæ raptum et aureum imbrem Danaæ. — Sic et Statius, Silv. I, 2, 37, leves addens etiam Ledæ amores : « in hanc vero cecidisset Jupiter auro ». Ed.

130. *Jupiter avertas aures*, ne te forte fruendæ puellæ cupiditas subeat, si eam audis solam et viduatam esse. Scripti et excusi quidam legunt *avertas auro*. Et edit. Juntina, *Jupiter avertas : auro mea digna puella est*. Sed Aldus recte edidit *avertas aures*.

132. Pro *vaccula* Heinsius mavult *bucula*, quia istud inusitatum. Sed reperitur tamen in Catulli carm. in Priap. v. 14 : « Tenerque matre tegumine, vaccula, Deum profundit ante templa sanguinem ». Habent etiam Apuleius, Tertull. Arnob. quamvis *bucula* usitatius. Vid. Calpurn. III, 66.

133. *Mugire dolorem* utraque ed. Ald. et scripti Petav. Thuan. Medic. Leid. Helmst. idque recipiendum putat Heinsius. Sic *sonare* et *resonare* cum quarto casu sæpe in Calpurnio occurrebat.

135. *Montis prærupti saxa* scribere jubet Heinsius : malim tamen cum Burmanno : « Sive petis montes, præruptaque saxa pererras ».

136. Pro *Fastidire* Heinsius voluit *fastus adire*, item *fas sit adire*. Sed hoc verbum in omnibus scriptis et editis. Helmstadiensis tantum legit *fastiditur*. Itaque cum Scaligero potius sentio recte explicandum esse. *Fastidire* non solum est *rejicere*, sed etiam delicatius, ut novum et melius, legere. Hinc *nova pabula fastidire* erit in magna pabuli copia tentare et gustare nova multa cum plurium fastidio, ut optimum eligas, sive delicatius pasci. — Simili sententia fragmentum Petronii de vitando fastidio : « Taurus amat gramen mutata car-

Cur non et nobis facilis natura fuisti?
Cur ego crudelem patior tam sæpe dolorem?
Sidera per viridem redeunt quum pallida mundum,
Inque vicem Phœbe excurrens, atque aureus orbis
Luna tua est tecum; cur non est et mea mecum?
Luna dolor nosti quid sit, miserere dolentis.

pere valle, Et fera mutatis sustinet ora cibis». En. — Sic de curiositate et novi quæstus inventione usurpare videtur Plautus, Trucul. IV, 5, 40. «Omnes homines ad suum quæstum callent et fastidiunt», h. e. multa tentant, alia rejiciunt, alia optant.

140. *Fuisset.* Sic Aldinæ edd. et aliæ veteres. *Fuisti* correxerunt Salmasius et Heinsius, quod verum arbitror. Infra v. 180: *Quo facilis natura fuit.* Burm.

142. *Viridis mundus* insolenter dictum videtur Heinsio, qui conj. *teretem.* At *viridem* puto esse cyaneum, cæruleum, ut supra, v. 40, sicut æquor et cæruleum et viride dicitur. Pro *redeunt* Heinsius maluit *radiant* vel *rident*, quod non probo: nam de ortu et vicissitudine siderum sermo est.

143. Aldus et scripti *Phœbe currens*, et deinde *Luna tui tecum est.* Scaliger putat τὸ *Phœbe* conflatum ex *ephebus*, quod erat in fine versus, et sic legit: «Inque vicem excurrent; atque aureus orbis ephebus Luna tui est tecum». Per ephebum vero intelligit faciem in orbe lunæ, de qua Plutarchus scripsit. Erudite hæc Scaliger, sed audacius. Mihi ita videbatur legendum: «Inque vicem, Phœbe, excurrens tuus aureus orbis; Luna tua est tecum».

145. Sequentes quinque versus perobscuri sunt, nec leves codicum variationes quidquam juvant. Ego vero ex mera conjectura versus poetæ concinnare, ut non difficile, ita non sufficiens ad veram lectionem et sententiam poetæ restituendam esse arbitror. Itaque obscura verba satis est utcumque corrigere et interpretari. Altero versu legendum puto *celebrabis*; deinde, *Et quæ pompa Deum nisi silvis* Aldus et scripti: *quæ Pana Deum nisi silvis* margo Pithœi; deinque *omnia, vos nostis*, idem margo. Primum Lunam et Phœbum, quos prioribus versibus alloquutus erat, admonet amoris, quem ipsi olim senserint, ut sui misereantur, deinde et cæteros Deos. *Luna, nosti* ipsa, et experta es in Endymione, *quid sit dolor* ex infelici amore conceptus, itaque *miserere dolentis.* Et tu *Phœbe*, quoties *laurum geres*, *in te* ipso *celebrabis amorem* tuum in Daphnen. *Et* quis est reliquorum Deorum, *quem pompa*, ordo Deorum agnoscit, *non* aliqua *fama* furtivi amoris in *silvis loquuta est.* Unusquisque eorum, *vos* ipsi *nostis*, Phœbe et Luna, *sua gaudia* vel documenta gaudii et amoris sui, *secum gestat*, ut Phœbus laurum, Pan fistulam e nympha Syringe, *aut* passim *inspersa* vel sparsim collocata *mundo*, h. e. cælo *videt, quæ dicere longum est*, e. g. ursam in cælo, Ariadnæ coronam.

Phœbe gerens in te laurus celebravit amorem,
Et quem pompa Deum, non silvis fama loquuta est.
Omnia vos estis, secum sua gaudia gestat,
Aut inspersa videt mundo, quæ dicere longum est.
Aurea quin etiam quum sæcula volvebantur,
Conditio similis fuerat mortalibus illis.
Hæc quoque prætereo, notum Minoidos astrum,
Quæque virum virgo, sicut captiva, sequuta est.
Lædere, Cælicolæ, potuit vos nostra quid ætas?
Conditio nobis vitæ quo durior esset?
Ausus egon' primus castos violare pudores?
Sacratamque meæ vittam tentare puellæ?
Immatura meæ quoque noxæ solvere fata?
Istius atque utinam facti mea culpa magistra

146. Aruoldus expressit *geres in te laurus celebrabis.* — Couj. Heinsius *virens* et *celebravit.* Ed.

147. Scaliger *fama sequuta.*

148. Aruoldus *vos testes.*

149. *Quæ dicere longum est.* Sic Virg. in Ciri, 137 : *sed dicere magnum est.*

151. *Conditio similisque foret* codd. scripti el primæ edd. ut et utraque Aldi et Juntina : *fuerat* tamen alii codd. et manus Pierii iu margine Juntinæ.

152. *Hæc quoque : præterea notum* veteres excusi. Minoidos astrum, Ariadnæ corona.

153. *Sicut captiva.* Briseida intelligit ; quæ ipsa apud Ovid. Epist. III, 69 : « Victorem captiva sequar, non nupta maritum ».

154. *Nos nostra quid* Thuan. *nostra quod optas* Vossiau. *quid obstans* Helmst. — *Lædere Cælicolas*, illustratur a Brouckus. ad illud Tibulli I, 10, 6 : « Numina formosis lædere vestra semel ». Ed.

157. *Vitam tentare* scripti et edd. primæ cum Aldina utraque et Juntina ; sed *vittam* optime correxit Scaliger : vittam autem pro pudicitia posuit. Præterea pro *tentare* rescribendum *temerare* notavit Brouckhusius ad Tibull. I, 7, 73 ; cui asseutit P. Burmannus sec. Sed *tentare* de eadem re usitatum. Vid. quæ notavimus ad Gratii v. 63. — Nempe iu excursu ad hunc vers. hujus nostr. ed. tom. I, p. 78. Ed.

158. *Immatura meæ quoque necis* cod. Medic. *nece solvere* Thuan. Leid. Helmst. Scaliger legit *nexæ*, h. e. clientæ meæ. Ego nihil melius comminiscor, quam legendum *Immatura mea quoque noxa solvere fata*, h. e. mortem cujuspiam accelerare mea culpa.

159. *Istius atque utinam.* Atque utinam primus hoc malum exemplum posteris reliquissem, ut dicerer auctor occulti amoris ; ut apud Horatium : *culpa potare magistra.* Sic infra : *Auctor ut occulti noster*

Prima foret: letum vita mihi dulcius esset.
Non mea, non ullo moreretur tempore fama,
Dulcia quum Veneris furatus gaudia primus
Dicerer, atque ex me dulcis foret orta voluptas.
Nam mihi non tantum tribuerunt impia vota,
Auctor ut occulti noster foret error amoris.
Jupiter ante sui semper mendacia furti
Cum Junone prius, conjux quam dictus uterque est,
Gaudia libavit dulcem furatus amorem;
Et mecum tenera gavisa est ludere in herba,

foret error amoris. Auctore errore meo, alii auderent furari dulcem fructum amoris. *Auctor error*, et *magistra culpa* idem. Sic Scaliger. Heinsius tamen legendum censet *me magistro.*

160. *Letum vita mihi dulcius esset.* Sic recte Aldus et Scaliger: *læto mihi vita diutius esset* ed. Vincentina, et duæ Venetæ: *lætum mihi vita dulcius* cod. Medic.

163. *Dulcis voluptas* hic offendit P. Burmannum, quum præcedant modo *dulcia Veneris gaudia*, atque paullo ante *vita dulcius*, tum mox insequatur *dulcem furatus amorem.* Itaque mavult legere *jugis voluptas*, h. e. perpetua, longa, vel *docilis*, quia præcessit *mea culpa magistra.* — Eadem vocis *jugis* et *dulcis* mutatio est in loco Horat. Epist. I, 15, 16: *puteosque perennes Jugis aquæ*, ut recte Bentleius pro *Dulcis aquæ*, quod in aliis legitur. Ed.

164. *Impia vota.* Heinsius legendum censet *invida fata*, idemque mihi videtur.

166. *Semper mendacia factus* habent scripti plurimi, et edd. veteres: *furti* cod. Medic. et Pierii, et utraque Aldina. Sed Scaliger *fastus.* Heinsius sic fingit, *ante sui nempe et mendacia pacti*, nuptiale pactum innuens: *mendacia pacti*, quia fefellit maritale pactum adulteriis. Elegans hæc conjectura; sed *furti* vix possum dimittere propter similem Pap. Statii locum de Junone adhuc virgine, et Jovi desponsata, Theb. X, 63: « Lumine demisso pueri Jovis oscula libat Simplex, et nondum furtis offensa mariti ».

168. *Gaudia libavit* quasi primitias Veneris. Vid. Calp. IX, 7.

169. Deesse hoc versu nomen Deæ, aut plura adeo videntur, quia de Veneris cum Anchise vel Adonide amoribus sermonem esse, sequentes versus 172 et 173 indicant. Hinc Heinsius legebat *Et Dea clam tenera*, et J. Fr. Gronovius: « Et tecum tenera Dea visa elidere in herba ». Sed quoniam et nomen illius, quocum luserit Dea, abest, sic mihi obscurus et mancus versus, licet paullo audacius, refingendus videtur: *Et Dea cum tenero gavisa est ludere Adoni*, vel, quod præferre huic, et ipsi texto inferre ausim: *Et Dea cum Cinyræ gavisa est ludere ephebo.* Huic emendationi egregie quadrat versus 171, et *candida brachia* Veneris, *formosum collum* Adonidis intelligendum est,

Purpureos flores quoties super accumbebat,
Candida formoso supponens brachia collo.
Tum, credo, fuerat Mavors distentus in armis,
Nam certe Volcanus opus faciebat, et illi
Tristi turpabat malas fuligine barba.
Non Aurora novos etiam ploravit amores,
Atque rubens oculos roseo celavit amictu?
Talia Cælicolæ; numquid minus aurea promo?
Ergo quod Deus atque Heros, cur non minor ætas?
Infelix ego, non illo qui tempore natus,
Quo facilis natura fuit! sors o mea læva
Nascendi, miserumque genus, et sera libido!
Tanta meæ vitæ cordis fecere rapinam,
Ut maneam, quod vix oculis cognoscere possis.

neque altera lectione editionis Aldinæ opus est, quæ *grandia brachia* exhibet. Nam plane, nt hic, Venerem super herbas et flores accumbentem Adonidi pingit gemma apud Begerum, Thesaur. Brand. tomo I, p. 200. Alterum versum recte sic refingit Heinsius : « Purpureos flores quotiens super accumbebat ». Vulgatæ habent *quos insuper accumbebat.*

172. *Tum credo.* Hæc omnia εἰρωνικῶς.

174. Sic omnino legendum est cùm Scaligero. Ipsum hoc codex Helmst. insinuat, qui legit *turpabat mala.* Antea in vulgatis erat *Tristi turpabatque mala fuligine barbam.*

175. *Amores*, ut Tithoni, Cliti, Cephali.—Pro *celavit* Brouckhusius *velavit* legit ad Propert. II, 13, 54. Sed hæc permutantur haud raro : Petronius de Mutat. Reip. v. 259 : *Oraque mille Vulneribus confossa cruenta casside velat;* ubi *celat* requiri videbatur.

177. *Talia Cælicolæ* poterant, vel solebant : *numquid ea promo* vel dico, quæ *minus aurea*, minus digua aurea ætate, sunt.

180. *Quo facilis natura.* Vid. v. 140. Horat. Serm. I, 2, 74 : « Dives opis natura suæ ». — *Sors o mea lenta nascendi* emendabat Heinsius ad Hesiod. p. 279 : idem ad hunc locum conjicit *Nascentis miserumque genus, o sera libido!* vel *proh sera libido!* codd. scripti et primæ edd. habent *quo sera libido est.*

182. *Tanta* Græcismum putat esse Scaliger, τόσσα, hæc omnia. Pro *cordis* Scaliger *cum Dis;* Heinsius vult *sortis* vel *morbis.* Scripti exhibent *Tantum vitæ meæ cordi*, et *tantum vitæ cordis*, et *Tam vitæ meæ.* Hinc Heinsius corrigit : *Tantam fata mei morbis fecere rapinam.*

183. *Quod vix oculis cognoscere possis.* Tali sententia Propertius, lib. I, 5, 21 : « Nec jam pallorem toties mirabere nostrum, Aut cursim toto corpore nullus ego ».

II.

T. PETRONII ARBITRI

DE

MUTATIONE REIPUBLICÆ ROMANÆ.

ARGUMENTUM.

Eumolpus apud Petronium hoc carmen fundere dicitur, qui sociis suis verum poeseos ingenium describere cupiens, non satis esse ad carmen pangendum, docet, versum utcumque pedibus instruere, et teneriorem sensum verborum ambitu contexere: requiri generosiorem spiritum, et mentem ingenti flumine literarum inundatam. Effugiendam esse omnem verborum vilitatem, sententiasque ita intexendas, ut non eminere extra corpus orationis videantur: neque res gestas solum versibus comprehendendas, quasi fide historici, sed spiritum liberum, tamquam Deo quodam agitatum, et furenti similem, per ambages et Deorum ministeria, et fabulosum sententiarum tormentum, præcipitandum esse. Talis operis, a se informati, quasi exemplum et specimen proponit, belli civilis poeticam descriptionem, in qua haud dubie Lucani paullo ante publicatum opus deprimere conatur; neque rerum gestarum enarrationem peragit, sed potius caussas et initia belli, vitia rei publicæ conversionem minantia, furores animorum et iras ducum, interveniente ubique Deorum ministerio, pingit. Itaque descriptis gravi mordacique stylo vitiis et moribus Romanorum profligatis, tamquam caussis belli civilis, Ditem Patrem fingit ex hiatu agri Puteolani caput efferre, et Fortunam, quæ res Romanas adhuc foverat, invidiosa oratione stimulare, ut eos bello intestino collisos evertat, et Orco

dedat. Fortuna operam promittit. Ostentis et prodigiis crebris Dii imminentem cladem significant. Cæsar, e Gallia veniens cum exercitu, ultionem ob injurias acceptas spirat, et, ex Alpibus prospiciens in Italiam, bellum indicit Romanis. Cæsaris per nives et glaciem et tempestates Alpinas iter, tum Fama ejus et terror Romam perveniens, tumultus et fuga civium, ipsiusque Pompeii, toties victoris, discessus describitur. Cum civibus trepidantibus etiam Deos mitiores, Pacem, Fidem, Justitiam, Concordiam cessisse Roma dicit, contra emersisse inferorum pestes, Erinnyn, Bellonam, Insidias, Mortem, Furorem, terrisque incendia et turbas importasse; omnes denique Deos relicto cælo discessisse in partes vel Cæsaris vel Pompeii. Tum Discordiam, ab inferis ascendentem, in jugo montis Apennini constitisse memorat, et atrocibus verbis gentes Italiæ, cives Romæ et primores quosque rei publicæ in furorem atque odia egisse, ut ageret quisque, quod ad bellum civile excitandum valeret. Atque hoc tandem pronuntiat evenisse ita, ut Discordia jusserat.

T. PETRONII ARBITRI

DE

MUTATIONE REIPUBLICÆ ROMANÆ.

ORBEM jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque,
Nec satiatus erat: gravidis freta pressa carinis
Jam peragebantur, si quis sinus abditus ultra,
Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum,
Hostis erat; fatisque in tristia bella paratis

1. *Romanus*, sc. populus.—*Orbem totum*, τὴν οἰκουμένην, jactabant Romani sub suo imperio esse. Florus, lib. IV, 11: «Jam pæne toto orbe pacato majus erat imperium Romanum, quam ut ullis externis viribus exstingui posset».

2. *Sidus currit utrumque*. Barthius et Erhardus interpretautur de sole oriente et occidente; ego cum Burmanno solem et lunam intelligo. Quamquam enim sidus haud raro ponitur pro sole, et *sol uterque* eo sensu dicitur a Claudiano, Bell. Gild. v. 48, *Phœbus uterque* a Rutilio, II, 28; quæro tamen adhuc locum, quo generale uomen *sidus utrumque* de uno sole usurpetur. Certe de sole et luna id accepit Plinius, lib. II, cap. 13: «ut quindecim diebus utrumque sidus quæreretur, nostro ævo accidit».

3. *Nec satiatus erat*, sc. opibus e spoliis gentium devictarum.—*Gravidis*, onustis multo milite. *Pulsa carinis Jam peragrabantur* habent vulgatæ, sed *pressa carinis jam peragebantur* cod. Tragur. quod præferendum: nam carinis melius premi, quam pelli, dicitur mare; et *peragere* pro pervagari mare alii usurpaut: Ovid. Her. XV, 65, «Factus inops agili peragit freta cærula remo»; Juveu. V, 93: «quando omne peractum est, Et jam defecit nostrum mare». Alii voluerunt *perarabantur*. — Eadem phrasi Petronius utitur iu Trojæ Halosi, v. 32: «Remorum sonus Longe refertur, quum premuut classes mare». ED.

6. *Fatis in tristia bella paratis*, quum jam a Fato destinatæ essent caussæ, e quibus bella nascerentur, h. e. quum imminerent bella civilia.

Quærebantur opes: non vulgo nota placebant
Gaudia, non usu plebeio trita voluptas.
Assyria concham laudabat miles in unda,
Quæsitus tellure nitor certaverat ostro;
Hinc Numidæ crustas, illinc nova vellera Seres,
Atque Arabum populus sua despoliaverat arva.
Ecce aliæ clades, et læsæ vulnera pacis:
Quæritur in silvis Mauri fera, et ultimus Ammon
Afrorum excutitur, ne desit bellua dente

9. Hujus versus in omnibus exemplaribus mira varietas. Cod. Tragur. *Æs pireum quum laudabat* : alii *Ac spireum*, alii *Ac se pyrecion*. Unde quidam voluerunt *Hesperia coccum laudabat miles in ora*, alii *Æs Ephyreœum* vel *Ephyreiacum*, h. e. Corinthiacum, sicut et Virgilius *Ephyreia æra* dixit Georg. II, 464. Sed mihi non deserenda videtur lectio Tornæsii aliorumque editorum *Assyria concham*, quam et scriptura codicis Trag. admittit, et sententia sequentis versus fere necessariam reddit. Nam ibi *nitorem tellure quæsitum* distinguit ab eo, qui quæritur in unda, et qui *ostro* continetur. Intelligenda igitur purpura vel murex in Assyrio vel Phœnicio mari inveniendus, e quo ostrum conficitur. *Assyrium venenum* dicit Virgil. l. c. et idem in Culice, v. 61: « Si non Assyrio fuerint bis lauta colore Attalicis opibus data vellera ».

10. *Nitor*. Hunc Salmasius, Exerc. Plin. de minio intelligit, Vossius ad Melæ III, 10, de cinnabari. — Melius per *nitorem* intelliguntur res nitentes et pretiosæ, quas in sequentibus versibus dicit variis e terris parari. Ed. — *Certaverat ostro*, h. e. cum ostro contenderat de palma, utrum magis expeteretur.

11. Tragur. cod. *Hinc Numidæ accusatus*. Scaligeri cod. *accusant*, unde ille *crustas* dedit. Alii codices *accusatius*, *accusat*, et *accurant* habuerunt. Unde Heinsius primo *acculant* exaratum fuisse putat, pro *accumulant*, quod recipit. Ego vero *vellera* non trahi ad Numidas, sicut ad Seres, posse existimo, neque igitur verbum *accurant* vel *accumulant* hic aptum. Sed Numidicum marmor celebratissimum, cujus *crustis* vel segmentis distingui alia marmora in ædificiis solebant, quod testatur Seneca, epist. 87.—Reiskius in Animadversionibus ad Petron. in Misc. Lips. Nov. vol. VI, pag. 676, hunc versum sic explendum putat: *Hinc Numidæ gallos, illinc sua vellera Seres*, et intelligit gallos Numidicos, qui Romæ erant in deliciis. Ed.

12. *Sua despoliaverat arva*, de ture et odoribus capiendum.

13. *Et læsæ* Tragur. Scaliger et alii *elisæ* ediderunt.—*Vulnera pacis* sunt, quando in pace et externæ gentes spoliantur, et instrumenta apparantur perdendorum hominum, quorum exempla mox refert.

14. Tragur. *in silvis a reo fera*: alius liber *auro fera*, alius *arco fera*, vulgo *an reo fera*. Inde nihil melius erui puto, quam *Mauri fera*, vel

Ad mortes pretiosa suas; premit advena classes
Tigris, et aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem.
Heu pudet effari, perituraque prodere fata!
Persarum ritu male pubescentibus annis
Subripuere viros, exsectaque viscera ferro
In Venerem fregere; atque ut fuga mobilis ævi
Circumscripta mora properantes differat annos.
Quærit se natura, nec invenit: omnibus ergo
Scorta placent, fractique enervi corpore gressus,

Mauro, h. e. a Mauro venatore. In Mauritania multi et magni leones, teste Horat. Carm. I, 22, 21. Henr. Stephanus dedit *circo*, non male. — *Ultimus Ammon*, quia hac parte Africam finiri, et nihil ultra esse putabant Romani. Ed.

16. Veteres codices et editiones constanter habent *ad mortes pretiosa fames*. Sed vox ea admodum turbat interpretes, qui, quo referenda sit, nesciunt. Feliciter, nec sine auctoritate, ut puto, libri veteris, Scaliger, Wowerius et alii emendarunt *ad mortes pretiosa suas*, ut sermo sit de elephanto, qui ob dentes suos pretiosus est, et magno emitur, ut occiso auferantur dentes.—Sed de quavis alia bellua *pretiosa* dici posset, magno sumptu parata, scilicet ut de Africa Romam advehatur. Ed.

17. *In aula*. Splendidam caveam intelligit, qua inclusæ ex Africa feræ vectabantur, quam et inaurare solebant: *ilignas domos* vocat Claud. de Laud. Stilich. III, 323. Alias *aula* vocatur septum spatiosum et cancellatum, quibus animalia continentur et aluntur. Vid. Horat. Epist. I, 2, 65, et Grat. v. 167. Petronius ingentes et inauratas caveas sic vocat, ut invidiam luxuriæ faciat.

19. *Peritura fata* cum Cupero interpretor perditura, vel fata earum rerum, quæ perituræ sunt; ut Quintil. Declam. 8, initio: « Nec persuaderi miseræ potest, perituro laborasse fato, in quo inventum est, quod sanaret alium ».

21. *Subripuere viros*, h. e. virilitatem. Sic Arnobius, lib. I, dicit *Attyn spoliatum viro*. —*Viscera* præcipue dicuntur de partibus utriusque sexus, quæ inserviunt genituræ. Vid. notata nostra ad Nemes. Cyneg. v. 239. — Huj. operis tom. I, pag. 114. Ed. — *Exactaque* legit Tragur. et alii.

22. *Fregere*, enervarunt, emolliverunt. Pap. Stat. Silv. III, 4, 74: *nunc frangere sexum, atque hominem mutare nefas*. — *In Venerem*, ut abutantur ad Venerem. Fusius et apertius hæc declarat Claudian. in Eutrop. I, 342: « Parthica ferro Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram, Servatoque diu puerili flore coegit Arte retardatam Veneri servire juventam ».

24. Tragur. *Quare se natam non invenit*.

25. *Fracti*, molli incessu tremuli.

Et laxi crines, et tot nova nomina vestis,
Quæque virum quærunt. Ecce Afris eruta terris
Citrea mensa, greges servorum, ostrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quæ turbant censum: hostile ac male nobile lignum
Turba sepulta mero circumvenit, omniaque orbis
Præmia correptis miles vagus exstruit armis.

26. *Laxi crines*, fluentes et immissi humeris. Ovid. Art. Am. III, 145 : « Hanc decet inflatos laxe jacuisse capillos ». — *Nova nomina vestis* pertinent ad luxum et mollitiem, quibus fit, ut nova commodiora, nitidiora genera vestium quærantur, et hinc etiam nomina. Hoc in mulieribus reprehenditur apud Plaut. in Epid. Act. II. 2, 45 : « Quid istæ, quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova ».

27. *Quæque*, sc. vestes, molliores et viris non decoræ, ostendunt illos esse molles. Quem autem videbant mollem victu, ore, vestitu esse, de eo Romani dicere solebant : *Hic virum quærit :* Ovid. Art. Am. I, 524. Pertinet huc Lucani illud, I, 164 : « cultus gestare decoros Vix nuribus, rapuere mares ».

28. Hunc versum sequenti postponit Gronovius, Observ. III, 11, adsentiente Ferrario, Elect. lib. I, cap. 7, Burmannoque et Bonherio. Sed Tragnriensis et editiones anteriores omnes sic versus ordinarunt, uti nos. — *Antea mensa* et *revidens* Tragur. mendose : nam *citreæ mensæ* ex Atlantide silva insano pretio a Romanis emebantur, de quo vid. Martialis, XIV, ep. 89 ; Ciacconius de Triclin. pag. 20, et Salmas. ad Tertull. de Pall. p. 433. — *Ostrum renidens* ad lectos accubitorios refer, qui non minus ex citro interdum, quam ipsa mensa, et ostro insternebantur. Virgil. Cir. 440 : « Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro ».

29. Tragurianus et Sambuci liber *maculis mutatur vilibus aurum*, h. e. redimitur, quod probatur Lipsio, Heinsio et Burmanno, et confirmatur Martialis et Tertulliani testimonio. Potest tamen et ferri *imitatur*, h. e. pari pretio est. Bouherius sic corrigit : « Ecce Afris eruta terris Ponitur (heu ! maculis mutatur vilibus aurum) Citrea mensa ».

30. Alii : *Quæ sensum turbant, hostile ac mobile lignum.* Tragur. habet *ac male nobile :* quidam legunt *Quæ sensim trahat; hoc sterile ac male nobile.* Bouherius vult, *Quæ censum trahat :* primus Wowerius acute vidit, quod edidimus, *Quæ turbant censum.* Sic *turbare rationes* dicuntur, quæ magno sumptu parantur, et *conturbatores* noti. Similiter Seneca, de Benef. VII, 9 : « Video istic mensas ac lignum æstimatum senatorio censu ». Lipsius ad h. l. vult : *Quod censum trahat*, h. e. auferat et absumat. — *Hostile* est peregre advectum ; nam *hostis* antiquis peregrinus et hospes vocabatur, observante Laurembergio in Antiquar.

32. *Correptis miles vagus exstruit armis*, h. e. miles eo prolapsus est luxuria, ut arma corripere, ferre, jussus, non alio fine his uti velit,

Ingeniosa gula est. Siculo scarus æquore mersus
Ad mensam vivus perducitur, inque Lucrinis
Eruta litoribus vendunt conchylia cœnas,
Ut renovent per damna famem: jam Phasidos unda
Orbata est avibus; mutoque in litore tantum
Solæ desertis adspirant frondibus auræ.
Nec minor in campo furor est, emptique Quirites
Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertunt;

quam ut *orbis* devicti præmia, prædas et delicias *exstruat* in fercula: *conceptis armis*, quod Gonsalii et Hadrianidis editio præfert, nihili est. Pro *exstruit* duo codices *esurit*, quod eodem tendit.

33. *Ingeniosa gula est*, quæ nova et inaudita deliciarum genera excogitat. *Ingenia cœnarum* apud Plin. Pan. c. 49.—*Scarus* piscis nobilissimi genus, et peregrini maris, *cerebrum Jovis* dictus ab Ennio. In eo luxus exemplum est, quod quum Siculi, eoque remoti, maris profundo mersus, et vix extractus est, tamen gulosis hominibus non aliter, quam vivus, perducendus ad cœnam est. Quod hic de scaro, idem de mullo refert Martial. XIII, 79: « Spirat in advecto, sed jam piger, æquore mullus ». Verbosius etiam Seneca, Natur. Quæst. lib. III, cap. 18. Petronius in alio fragm. « Ultimis ab oris Attractus scarus est ». Plura de scaro diximus ad Halieut. et fragmentum Ennii. —Vid. huj. operis tom. I, pag. 229 et 240. Ed.

35. *Vendunt conchylia cœnas*, h. e. pretiosas et gratas faciunt, commendant, ut appetantur. Cuperus maluit *tendunt* pro extendunt: alii *condunt*, quod *claudere cœnas* dixit Martialis, XIII, 14.

36. *Ut renovent per damna famem*, h. e. ut magno pretio irritent appetitum, quia desiderantur maxime, quæ cara et rara sunt. Claud. in Eutrop. II, 329: « Qui ventrem invitant pretio ». Sen. Cons. ad Helv. cap. 9: « Miserabiles, quorum nisi ad pretiosos cibos non excitatur fames. Pretiosos autem non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas et difficultas parandi facit ». — *Phasis*, Colchidis fluvius ingens, et omnium Ponti amnium clarissimus, a quo Phasiana avis nomen accepit, de qua vid. Martial. XIII, 69. Vid. infra, Petronii Fragm. VI, v. 1.

39. *In campo*, Martio, ubi comitia habebantur. De corruptis illo tempore suffragiis, et de honoribus per ambitum raptis, magnæ ubique querelæ. Vid. Casaubonius ad Suet. Cæs. c. 19. Lucanus, lib. I, 178: « Hinc rapti pretio fasces, sectorque favoris Ipse sui populus; letalisque ambitus urbi Annua venali referens certamina campo ». Ipse Petronius, cap. 14: « Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat ».

40. *Suffragia vertunt*, h. e. convertunt *ad strepitum lucri*, ut Persius præf. v. 12: *Quod si dolosi spes refulserit nummi*. Quidam legunt *suffragia vendunt*. — Sed multo aptius *vertunt* cum *ad* construitur. Ed.

Venalis populus, venalis curia Patrum.
Est favor in pretio, senibus quoque libera virtus
Exciderat, sparsisque opibus conversa potestas,
Ipsaque majestas auro corrupta jacebat.
Pellitur a populo victus Cato: tristior ille est
Qui vicit, fascesque pudet rapuisse Catoni.
Namque hoc dedecus est populi, morumque ruina:
Non homo pulsus erat; sed in uno victa potestas,
Romanumque decus: quare tam perdita Roma
Ipsa sui merces erat, et sine vindice præda.
Præterea gemino deprensam gurgite prædam
Fenoris ingluvies, ususque exederat æris.

42. *Libera virtus*, ipsa libertas, ut *provida virtus* pro prudentia apud Prudent. in Psychom.

43. *Sparsis opibus*, divisa pecunia. — *Conversa potestas*, magistratuum vis imminuta.

45. *Victus Cato*, qui nundinationi et largitionibus resistens ipse in præturæ petitione repulsam tulit. Refert hoc et alia ejusdem commatis Plutarch. in Cat. cap. 42; Val. Max. lib. VII, 5, 6.

47. Legendum videtur: *Namque hoc dedecori est populo;* nam Tragur. habet *dedecoris populo*. Sed insititius et spurius hic mihi versus videtur.

49. Prima editio et multi ex scriptis *tam prodita*.

50. *Sui merces*, præmium. Plane sic Florus, lib. III, c. 13: « Misera res publica in exitium suum merces erat ». Magis declarat Val. Max. VII, 6, 4: « quo tempore non rei publicæ victoria quærebatur, sed præmium victoriæ res erat publica ». — Hic totus locus conferri potest cum Calp. I, 45 ad 73; vid. huj. oper. t. I, p. 400 seqq. Ed.

51. *Gemino depr. gurgite prædam*. Non dubito *gemino gurgite* hic esse gemina in calamitate vel pernicie a geminis vitiis, de quibus egit hactenus, avaritia et prodigalitate: nam frequens ea metaphora, gurges malorum, vorago, et *deprendi* de naufragio vel tempestate actis. Horat. Carm. II, 16, 1: *in patenti prensus Ægæo*. Virg. Georg. IV, 421: *deprensis statio tutissima nautis*.—*Prædam* offendit Burmannum propter inconcinnam repetitionem ex versu priore, ideoque reponit *plebem*. Verum repetiit fortasse per emphasin: Quum non solum præda esset Roma sine vindice, sed et gemino in gurgite vitiorum depressa, accedebat etiam fenoris ingluvies, quæ eam voraret, hoc est plane mergeret et deglutiret. Id enim vult *exederat*. Licet etiam cum Burmanno τὸ *gemino* accipere pro simili.

52. *Ingluvies* est voracitas. — *Usus* dicunt usurpatum pro usura; ego simpliciter habeo pro mutuatione sive usu æris alieni. Pro *exederat* Tragur. et prima edit. *exciderat*, male. Comparandus cum his Luca-

Nulla est certa domus, nullum sine pignore corpus :
Sed veluti tabes tacitis concepta medullis
Intra membra furens curis latrantibus errat.
Arma placent miseris, detritaque commoda luxu
Vulneribus reparantur; inops audacia tuta est.
Hoc mersam cœno Romam, somnoque jacentem,
Quæ poterant artes sana ratione movere,
Ni furor, et bellum, ferroque excita libido?
Tres tulerat Fortuna duces, quos obruit omnis
Armorum strue diversa feralis Enyo.
Crassum Parthus habet, Libyco jacet æquore Magnus,
Julius ingratam perfudit sanguine Romam :
Et, quasi non posset tot tellus ferre sepulcra,

nus, I, 181 : « Hinc usura vorax, avidumque in tempora fenus, Et concussa fides ».

53. *Certa domus;* nullius certum et plenum dominium domus est, nulla certa habitatio feneratoribus multa obtinentibus. — *Nullum corpus*, nulla res non oppignorata. Sallust. in pari materia, Orat. II ad Cæs. c. 5 : « Eos inertia atque inopia incertas domos habere subegit ».

55. *Curis latrantibus*, sic Tragur. alii *lacerantibus* vel *latitantibus*. Janus Gulielmus, ad Plaut. Quæst. in Mostell. cap. 4, cumque eo Erhardus, commodissime volunt hic legi *hiris latrantibus :* hiram esse intestinum jejunum ; quod ut inane et vacuum semper est, ita istos gumias nunquam satiatos, sed luxu et avaritia semper luisse. Sed nihil usitatius Latinis, quam *curas latrare*, ut Statio, in Theb. II, 338 : *et magnas latrantia pectora curas*, ad quem locum plura Barthius. Unde non est, cur a scriptura cod. Tragur. recedamus.

56. *Detritaque commoda*, i. e. consumpta : alias attritæ opes, res accisæ dicuntur, ut Horat. Sat. II, 2, 114. — *Commoda* respicit emeritæ militiæ, quæ quum veterani luxu consumpsissent, sacramento iterum adigi cupiebant, novis spoliis amissa reparaturi. Hoc et Cæsarem sensisse testatur Suetonius, cap. 27 : « Quos gravior criminum, vel inopiæ luxuriæve vis urgeret, quam ut subveniri posset a se, his plane bellum civile opus esse dicebat ».

58. *Hoc mersam cœno*. Frequens *cœnum* de vitiis et voluptatibus, ut *mergere* et *mersare* pro exitio dare. Plane ita Florus, lib. III, c. 12 : « Illæ opes atque divitiæ afflixere sæculi mores, mersamque vitiis suis, quasi sentina, rem publicam pessum dedere ». Lactant. VII, 6 : « qui animas ad cælestia genitas suavitatibus mortiferis, tamquam luto cœnove, demerserunt ». Et Petron. in fragm. « Non satis est quod nos mergis, furiosa juventus ». Sequente versu *movere* est excitare et extrahere.

62. *Armorum strue diversa*, di-

Divisit cineres : hos gloria reddit honores.
Est locus exciso penitus demersus hiatu,
Parthenopen inter magnæque Dicarchidos arva,
Cocyta perfusus aqua; nam spiritus extra
Qui furit, effusus funesto spargitur æstu.
Non hæc autumno tellus viret, aut alit herbas
Cespite lætus ager; non verno persona cantu,
Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur :
Sed chaos, et nigro squalentia pumice saxa
Gaudent ferali circum tumulata cupressu.

versa in parte orbis bellorum mole oppressos exstinxit.—*Strues* proprie est lignorum, et respicitur ad rogum, quem illi quasi armis suis combusti invenerunt. — Pro *Enyo* Traguriensis habet *Erinnys*.

66. *Divisit cineres.* Similiter Martial. de Pompeio et filiis, lib. V, 75 : « Quid mirum, toto si spargitur orbe? jacere Uno non potuit tanta ruina loco ».

67. *Est locus.* Hic describi sulphurarium agrum Puteolanum ad Avernum lacum, e Montefalconii Diario Italico Burmannus docet. Vidit etiam Giul. Ces. Capaccio, *Antichità di Pozzuolo*, cap. 12. Et conf. ill. Heynii Excursus II ad Virg. Æn. VI. — Nostræ ed. t. III, p. 216. Ed. — *Parthenope*, Neapolis. *Dicarchis*, Silio dicta Dicarchæa et Plinio Dicæarchia colonia, Puteoli. Similiter eum locum describit Corn. Sever. in Ætna, v. 429 : « Neapolin inter Et Cumas locus est, multis jam frigidus annis, Quamvis æternum pinguescat ab ubere sulphur ».

69. *Cocytia*, quod est in Tragur. non convenit versiculi modulo. *Cocyta* rectum est, ut *Ceraunum* saxum pro Ceraunio, *Romulus* pro Romuleus apud alios.

71. *Autumno viret*, sc. arboribus pomiferis, autumni caussa, ut autumno poma ferant; et *autumno* tertio casu accipio.

72. *Non verno persona cantu*, etc. Non persona, quæ non resonant. *Vernus cantus* intelligitur avium, quæ vernare dicuntur. — *Discors strepitus* est virgultorum, quando vento colliduntur. Calpurn. VIII, 30, *vento garrula pinus*, et Ausonius ad Paulin. « Est et arundineis modulatio musica ripis, Atque arguta suis loquitur coma pinea ventis ». — His verbis attingit rationem, ob quam lacus Avernus dictus est, quoniam scilicet aves ob noxias ejus exhalationes, neque morari circa eum, neque supervolare poterant. Lucret. VI, 740 : « Principio, quod Averna vocantur, nomen id ab re Impositum est, quia sunt avibus contraria cunctis » ; et Virg. Æn. VI, 237 : « Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu; Quam super haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pennis.... Inde locum Graii dixerunt nomine Aornon ». Vid. Strabo, lib. V, pag. 244. Ed.

75. *Circum tumulata*, tumuli in speciem cincta et ornata cupressu :

Has inter sedes Ditis pater extulit ora,
Bustorum flammis et cana sparsa favilla,
Ac tali volucrem Fortunam voce lacessit:
« Rerum humanarum divinarumque potestas,
Fors, cui nulla placet nimium secura potestas,
Quæ nova semper amas, et mox possessa relinquis,
Ecquid Romano sentis te pondere victam?
Nec posse ulterius perituram attollere molem?
Ipsa suas vires odit Romana juventus,
Et quas struxit opes male sustinet: adspice late
Luxuriam spoliorum, et censum in damna furentem.
Ædificant auro, sedesque ad sidera mittunt;
Expelluntur aquæ saxis; mare nascitur arvis,

nam cupressus inferis sacra, et funestis domibus bustisque adposita ab Antiquis. Ovid. Trist. III, 13, 21 : « Funeris ara mihi ferali eincta cupressu Convenit ». Bouherius seribit *circum cumulata*, quasi quæ ad horrorem ejus loci cupressus ferales, quasi cumulum, adjecerint. Quo sensu Virg. Æn. IV, 436, « Quam mihi quum dederis cumulatum morte remittam » ; et Ovid. Her. II, 57 : « Turpiter hospitium lecto cumulasse jugali ».

76. *Ditis* recto casu. Sic enim æque ac Dis dicitur, notante Servio ad Virg. Æn. VI, 273. Glossæ, *Ditis pater*, Πλούτων.

79. *Rex humanarum* legit Tragur. et sequentem versum non agnoscit, quem et Scaliger totum omisit. Mihi iste non supervacuus aut ineptus videtur, neque propter geminatum *potestas* rejiciendus : nam ejusmodi repetitiones sæpius admittit Noster. Vid. v. 50 et 51, 192 et 195, 244 et 245. — Et plane hoc de Forte expressisse Petronius e Plauto videtur, qui Merc. III, 4, 12 : « Divum atque hominum quæ spectatrix atque hera eadem est hominibus ». Ed.

82. *Romano pondere*, nimia magnitudine imperii Rom. Calpurn. I, 84 : *Romanæ pondera molis.*

84. *Ipsa suas vires.* Horat. Epod. XVI, 2 : *suis et ipsa Roma viribus ruit.* Propert. III, 11, 60 : *Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.*

86. *In damna*, ut sumptus expensasque insanas faciat. Supra, v. 36, *ut renovent per damna famem.*

88. *Expelluntur aquæ*, arcentur atque excluduntur molibus et aggeribus in mare immissis, et ædificiis superstructis. Eumdem luxum tangit Horat. Carm. II, 18, 20; III, 1, 33 seqq. et Seneca Thyeste, v. 459 : « Non classibus piscamur, et retro mare jacta fugamus mole ». — In verbis *mare nascitur arvis* respicit ingentes piscinas et stagna, maris instar, porticibus et ædificiis conclusa, quæ Nero inprimis molitus est, teste Suetonio, cap. 31. — Vid. quæ observavimus in procem. ad Halieut. tom. I, Poet. min. huj. edit. tomo I, parte 1, pag. 201. Ed.

Et permutata rerum statione rebellant.
En etiam mea regna petunt : perfossa dehiscit
Molibus insanis tellus; jam montibus haustis
Antra gemunt, et, dum varius lapis invenit usum,
Inferni manes cælum sperare jubentur.
Quare age, Fors, muta pacatum in prælia vultum,
Romanosque cie, ac nostris da funera regnis.
Jampridem nullo perfundimus ora cruore,
Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus,
Ex quo Syllanus bibit ensis, et horrida tellus
Extulit in lucem nutritas sanguine fruges.»
Hæc ubi dicta dedit, dextræ conjungere dextram

89. *Rebellant*, adversantur et indignantur terra et mare, quod contra naturam, permutata statione naturali, terra in mare, et mare in terram migrare coactum est. Pertinent huc exsiccatæ Pomptinæ paludes, et portus Julius, immisso in Lucrinum lacum mari, et molibus in mare projectis munitus; de quibus Horat. Art. Poet. v. 63 seqq. Virg. Georg. II, 161, Æn. IX, 710; Suet. Aug. c. 16; Sil. Ital. IV, 297, seqq. et alii.

90. *Dehiscit*, aperitur.

91. *Montibus austris* Tragur. alii *auctis*, male. — *Molibus insanis*, ut moles insanas recipiat, h. e. fundamenta molium et substructionum ad miraculum usque magnarum, vel insano luxui placentium.

92. *Antra*, sc. terræ, in quibus fundamenta ponuntur, *gemunt*, vix paria sunt ferendæ moli, *jam montibus haustis*, quum jam integros montes, lapidibus excisis, receperint.—Traguriensis legit *vanus lapis invenit usum*, alii *varios lapis invenit usus*. Ad Traguriensem propius accedit lectio, quam hic exhibeo, quamque Burmannus probat. Sed tessellata et sectilia, quæ ille sub vario lapide intelligit, non hujus esse loci videntur, atque hic potius sensus verborum est: dum multi variique lapides per luxum ad multiplicem variumque usum apti et necessarii reperiuntur, eoque eruendis iis montes et valles excavantur, fit inde, ut inferi lucem cælestem ad se perventuram sperare possint.—*Sperare fatentur* Tragur. Forte sumpsit Petronius a Marone, Georg. IV, 325: *Quid me cælum sperare jubebas?*

95. *Cie Romanos*; h. e. quasi classico excita in prælia; similiter infra, v. 135, *et tuba Martem Sideribus transmissa ciet*. Sic apud Virg. Æn. VII, 512, *Alecto* Furia e superiore loco classicum canit.

98. *Syllanus ensis*, bellum civile et proscriptio Syllana, innumeris civibus funesta.—*Bibit ensis*, imbutus est sanguine. Virg. Æn. II, 600, *inimicus et hauserit ensis*. — *Horrida*, nempe hastis, imago belli. Ed.

99. *Nutritas sanguine fruges*, quia pinguescere tellus sanguine, adeoque nutriri seges dicitur. Ovidio,

Conatus, rupto tellurem solvit hiatu.
Tum Fortuna levi defudit pectore voces :
« O genitor, cui Cocyti penetralia parent,
Si modo vera mihi fas est impune profari,
Vota tibi cedent; nec enim minor ira rebellat
Pectore in hoc, leviorve exurit flamma medullas.
Omnia, quæ tribui Romanis arcibus, odi,
Muneribusque meis irascor; destruet istas
Idem, qui posuit, moles Deus, et mihi cordi
Quippe cremare viros, et sanguine pascere luxum.
Cerno equidem gemina jam stratos morte Philippos,

Her. I, 54, *Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.*

102. Malim *fudit de pectore*; namque *defundi* proprie vinum dicitur, quando de dolio in pateram vel crateras funditur: alias, *rumpi de pectore* voces, questus dicuntur, sed *fudit* convenientius adjecto *levi*.

105. Prima quidem editio et Sambuci *vota mihi cedunt*, quod et Burmannus amplexus est: Traguriensis corrupte *vota mihi credent*; sed reliquæ vulgatæ *tibi cedent*, atque hoc magis placet, quia his verbis Fortuna respondere et annuere vult postulationi Ditis. — Pro *rebellat* Erhardus vult reponi *rebullit*, nec ineptum hoc verbum de ira, quæ et fervere, et coquere dici solet. Sed *rebellat* Nostro familiare est, vid. v. 89 et 287, et pariter Seneca, Epist. 69, *cito rebellat affectus*.

107. *Artibus* legunt Tragur. et alii; sed *arcibus* rectum est; sequitur enim *moles istas destruet*.

109. *Idem, qui posuit, moles Deus*, Fortuna est Erhardo, sed manifeste indigitatur Mars, Romanorum pater, quocum vim suam communicat Fortuna. — *Est mihi cordi* legendum putant alii, quibus et facile adsentior; sed *cremare*, quod sequitur, alienum videtur.

110. Hoc versu, pro *cremare*, Gronovius suspicatur scribendum esse *armare*, neque aptius quidquam reperio. — *Sanguine pascere luxum* interpretor, occisorum bonis ditare alios, eoque luxum eorum alere. — Reiskius in Miscell. Lips. nov. vol. VI, p. 678, legit *Cæde creare viros*, h. e. cæde multa civium alios potentes et magnos viros facere, fortunas aliorum erigere. Sed hoc exquisitius videtur. Ed.

111. Traguriens. legit *jam strictos morte*; alii volunt *strictos Marte*, alii *structos morte*, i. e. auctos struicibus cadaverum: sed nostra lectio plurimis editionibus recepta est, et adserta a Gronovio, Obs. III, c. 11. — *Stratos* intellige instratos et tectos, *morte*, hoc est, occisione vel strage Romanorum, *gemina*, sive iterata vel simili. Namque geminas exercituum occisiones, Pharsalicam, et eam, quæ Philippensis dicitur, intelligi vult poeta; et Philippos, Macedoniæ urbem, ita nominat, ac si eadem, quæ Philippi Thessaliæ,

Thessaliæque rogos, et funera gentis Iberæ:
Jam fragor armorum trepidantes personat aures,
Et Libyæ cerno, et tua, Nile, gementia claustra,
Actiacosque sinus, et Apollinis arma timentes.
Pande, age, terrarum sitientia regna tuarum,
Atque animas arcesse novas: vix navita Porthmeus
Sufficiet simulacra virum traducere cymba;
Classe opus est; tuque ingenti satiare ruina,
Pallida Tisiphone, concisaque vulnera mande:
Ad Stygios manes laceratus ducitur orbis.»
  Vixdum finierat, quum fulgure rupta corusco
Intremuit nubes, elisosque abscidit ignes.
Subsedit pater umbrarum, gremioque reducto

vel saltem ejusdem Thessaliæ urbs, sc. Pharsalus, esset, ad quam primum civilis belli prælium habitum est. Quo more et alii poetæ de eo bello loquuntur, Virg. Georg. I, 490, *Romanas acies iterum videre Philippi*; Ovid. Metam. XV, 824, *Æmathiaque iterum madefacti cæde Philippi*. Conf. Manil. I, 907; Lucan. VII, 847, seqq. Calp. I, 50.

113. *Jam fragor*. Hic versus in MS Tragur. et antiquis editionibus præponitur alteri, *Et Libyæ*; Barthius et Hadrianides eum postponunt. — *Personat aures* Tragur. et pleræque edd. *auras* vult Tornæs.

114. *Et Libie cerno tua ville gementia castra* Tragur., *tua Nile gementia castra* prima edit. aliæ *claustra*. Heinsius volebat *tua mole gementia claustra*. Versus adhuc in mendo cubare videtur Burmanno.

115. *Apollinis arma* hic nominat, quia Apollo in pugna ad Actium præcipue tutatus Augustum credebatur. Vid. Propert. IV, 6. Illud *timentes* non video quo referendum sit, nisi ad *aures* superioris versus, quem huic præponunt quidam; aut intelligendum est de hostibus Cæsaris Aug. Actium Apollini sacrum et Apollinis tela timentibus.

116. *Terrarum*, de regno Plutonis, non placet: fortasse *Dirarum* legendum est, quia ipse Pluto, v. 97, dixit: *Nec mea Tisiphone*.

117. Codex Tragur. *navita Protheus*, et sequente versu *Sufficit ad simulacra*. Recte *Porthmeus*, qui est Charon, animas navigio traducens: πορθμὸς est fretum, πορθμεὺς transfretator. Idem vocabulum occurrit in Juvenal. III, 266, et in carmine sepulcrali, Anthol. lib. IV, ep. 172, 3. Alias *portitor* usurpatur a poetis. Eleg. ad Liv. de morte Drusi, v. 358: « omnes exspectat avarus Portitor, et turbæ vix satis una ratis ». — *Simulacra virum*, animas vel umbras hominum: infra *umbrarum facies*.

120. Prima editio et Sambuci *conscissaque vulnera manda*. Tragur. *consissaque vulnera mande*. Burmannus vult *lambe*.

124. *Gremioque reducto*, introrsus

Telluris, pavitans fraternos palluit ictus.
Continuo clades hominum venturaque damna
Auspiciis patuere Deum; namque ore cruento
Deformis Titan vultus caligine texit;
Civiles acies jam tum spirare putares.
Parte alia plenos exstinxit Cynthia vultus,
Et lucem sceleri subduxit; rupta tonabant
Verticibus lapsis montis juga, nec vaga passim
Flumina per notas ibant morientia ripas.
Armorum strepitu cælum furit, et tuba Martem
Sideribus transmissa ciet: jamque Ætna voratur

recedente et refugiente, utpote exhorrescentis et pavitantis; sic *reducta* vallis, specus, sæpe dicitur.

127. *Auspiciis patuere Deum,* prodigiis a Diis factis, quibus præsignificata sunt damna ventura.

128. *Deformis titubans* habet Tragur. et vet. ed. sed *Titan* legendum esse vidit Janus Passeratius et Delbenius. Porro *deformis* referendum est ad *ore cruento*. Simile est illud, quod videtur respexisse, Virg. Georg. I, 467 : « Quum caput obscura nitidum ferrugine texit ».

129. *Spirare putares*, scil. ipsum solem, quia cruentus erat.

132. *Verticibus lassis* Tragur. et vet. edit. sed *lassus* et *lapsus* a librariis semper confunduntur. Sensus est : rupti montes, decidente vertice, ingentem sonitum edebant.

133. *Morientia flumina* sunt deficientia vel exarescentia : nempe quia decreverant vel in subterraneos specus recesserant flumina, hinc non ibant vaga per notas ripas, solito et naturali more. Interpretationem meam firmat Virg. Georg. I, 479, qui inter prodigia a Petronio expressa refert : *sistunt amnes, terræque dehiscunt.* Quippe omnia fere prodigia repetita hic e Virg. l. c. et Ovid. Metam. XV, 783, seqq. profecto apparent.

134. *Armorum strepitu cælum furit;* ad hæc verba conferri potest versus 1373 Periegeseos Avieni : « tremit Indica tellus Pressa pede et toto tonuerunt classica cælo ». At Petronius potius videtur hoc loco prodigium de cælo factum significare, ut Tibull. II, 5, 73 : « Atque tubas atque arma ferunt crepitantia cælo Audita, et lucos præcinuisse fugam ». Ed. — Tragur. *tuba mortem Sideribus trinis acta ciet;* sed *mortem ciere tuba* quis dixerit? *tuba* poscit *Martem*.

135. Prima editio et Sambuci *sideribus armis actu ciet;* alii volunt *sideribus transacta*, alii *transmissa*, alii *demissa*, alii *tremefacta* vel *tumefacta*. Burmannus acute conjicit : *Sideribus tribus acta ciet*, eodem fere modo, ut Florus, III, 21, « Tribus, ut sic dixerim, sideribus agitatum est ». Ut tria sidera hic tres duces, Crassum, Pompeium et Cæsarem notent. Ego, si nihil melius succurrat, elegerim *trans-*

Ignibus insolitis, et in æthera fulmina mittit.
Ecce inter tumulos, atque ossa carentia bustis,
Umbrarum facies diro stridore minantur.
Fax stellis comitata novis incendia ducit,
Sanguineoque recens descendit Jupiter imbre.
  Hæc ostenta brevi solvit Deus; exuit omnes
Quippe moras Cæsar, vindictæque actus amore
Gallica projecit, civilia sustulit arma.
Alpibus aereis, ubi Graio nomine pulso
Descendunt rupes, et se patiuntur adiri,
Est locus Herculeis aris sacer, hunc nive dura
Claudit hiems, canoque ad sidera vertice tollit.
Cælum illinc cecidisse putes: non solis adulti

missa, quod Scaliger et plures exhibent. Fortasse et hoc placeat: *Sideribus tenus alta ciet.* — *Ætna vocatur* Tragur. sed lectionem *voratur* firmat Horat. Carm. III, 4, vs. 75: « nec peredit Impositam celer ignis Ætnam ».

137. *Ossa arentia bustis* Tragur. quod fere prætulerim, quia jungitur tumulis. Gronovius mallet *ossa calentia*, i. e. recens cremata.

139. *Incendia ducit*, quasi dux præit, incendium post se trahens.

140. *Sanguineoque recens* Tragur. et omnes edd. quas vidi: *repens* tamen expressit Burmannus, Heinsium in not. ad Ovid. Metam. XII, 61, sequutus. Possis etiam *rubens*, quod Cuperus in Obs. voluit.

141. *Solvit Deus*, h. e. ostendit, quid portendant et significent; ut *ænigmata solvere* Juven. VIII, 50.

144. *Graio nomine*. Graiarum Alpium meminere geographi vett. — *Nomine pulso* Tragur. et omnes edit. veteres: alii *pulsæ* vel *vulsæ* legere voluerunt. Burmannus conj. *celsæ* vel *pronæ*. Ego rectam esse scripturam veterem, atque hoc velle Petronium, puto; ubi Alpes Graiarum nomine amisso magis descendunt in planitiem, et Maritimæ vocari incipiunt: nam per Alpes Maritimas Cæsarem transiisse constat ex historicis. Bouberius hic legendum censet « ubi Graio Numine pulsæ descendunt rupes », et intelligit de Hercule, qui primus ibi viam fecisse per Alpes ferebatur, quæ Maritimæ dicuntur, ad portum Herculis Monœci, ubi Cæsarem suas copias traduxisse dicit Virg. Æn. VI, 830.

146. *Herculeis aris sacer*, quod Hercules ibi transiisse, et aras collocasse credebatur, teste Nepote in Hann. cap. 3, et Plin. lib. III, 17.

147. *Claudit hiems*, h. e. gelu adstringit, vel potius tegit, obruit, occultat nive. Virg. Georg. II, 317, « Rura gelu tum claudit hiems ».

148. *Cecidisse putes*. Pulchre quidem Gronovius, Observ. III, 11, emendat *cælum illic sedisse putes*, in modum Atlantis scilicet; propterea mox *Totum ferre potest humeris minitantibus orbem*. Sed salvam esse puto

Mansuescit radiis, non verni temporis aura ;
Sed glacies concreta riget, hiemisque pruinis
Totum ferre potest humeris minitantibus orbem.
Hæc ubi calcavit Cæsar juga milite læto,
Optavitque locum, summo de vertice montis
Hesperiæ campos late prospexit, et ambas
Intentans cum voce manus ad sidera, dixit:
« Jupiter omnipotens, et tu Saturnia tellus,
Armis læta meis, olimque onerata triumphis,
Testor ad has acies invitum arcessere Martem,
Invitas me ferre manus, sed vulnere cogor,

lectionem *cecidisse*, eaque indicari, propter altitudinem rupis videri ibi cælum demisisse se, et appropinquasse terræ. Sic et Lucanus, VII, 135 : « summis cernens in montibus æquor, Ætheraque in terras, dejecto sole, cadentem ».—Hic quidem bene lectionem *cecidisse* defendit Wernsdorfius, et adsentior; sed citatus locus Lucani a re probanda mihi alienus videtur et expungendus. Hoc manifeste deprehendet, quicumque attente perlegerit. Ed.

149. Tragur. *non solis adusti Mansuescunt radiis, nam verni*. Scaliger edidit *non solis adulti Mansuescunt radii, non verni*; alii *non solis adulti Mansuescit radiis*. Et hæc sola est lectio, quam intelligam : nam de loco perpetua glacie rigente sermo est. — *Solem adultum* Erhardus dicit esse meridiem : ego solem æstivum esse puto, qui maxime ardet, et hiemali opponitur; sic certe accipiendus videtur apud Sen. Herc. OEt. v. 1288 : « vicitque faces solis adulti glaciale jubar ». — Pro sole meridiano etiam *adultum* accipit Zinzerling. Crit. Juven. promuls. cap. 9. Sed meam sententiam de sole æstivo confirmat alius locus Senecæ, in Med. v. 588 : « Aut ubi in rivos nivibus solutis Sole jam forti, medioque vere Tabuit Æmus. Ed.

150. *Glacie concreta rigens*. Sic omnes edd. quod tamen minime stare potest : *concreta algens* tentavit Colladon. Sed verum, immo necessarium esse puto *Sed glacies concreta riget*, quod et edidi.

151. *Humeris minitantibus*, eminentibus in cælum. Virg. Æneid. I, 166, « geminique minantur In cælum scopuli » : perperam *trepidantibus* interpretatur Colladonius. Versus adhuc mendosus videtur.

153. Traguriensis *Oravitque locum*. Scaliger et alii *optavitque*; alii *intravitque*.

156. *Saturnia tellus*, Italia.

157. *Onerata triumphis*, cumulata et aucta : malim tamen *ornata*; triumphos ponit pro victoriis, ut infra v. 163.

158. *Testor*, scilicet te, Italia.— *Ad has acies* omnes; sed Erhardus vult *ad has arces*, Massiliamque et subjecta Insubriæ oppida intelligi.

159. *Vulnere cogor*, injuria, qua affectus sum.

Pulsus ab urbe mea, dum Rhenum sanguine tingo,
Dum Gallos iterum Capitolia nostra petentes
Alpibus excludo; vincendo certior exsul,
Sanguine Germano sexagintaque triumphis
Esse nocens cœpi: quamquam quos gloria terret,
Aut qui sunt, qui bella volunt? mercedibus emptæ,
Ac viles operæ, quorum est mea Roma noverca:
Ut reor, haud impune, nec hanc sine vindice dextram
Vinciet ignavus: victores ite furentes,
Ite, mei comites, et caussam dicite ferro.
Namque omnes unum crimen vocat; omnibus una
Impendet clades; reddenda est gratia vobis:
Non solus vici. Quare, quia pœna tropæis

160. *Sanguine vinco* Tragur. Scaliger et alii; sed recte mihi videtur repositum *tingo*: sic infra, v. 294: « Thessaliæque sinus humano sanguine tinge ».

162. Reiskius h. l. in Miscell. Lips. nov. legit *vincendo exerceor exsul*, sed non tam felici sensu. Ed.

163. *Sexaginta triumphis* dixit αὐξητικῶς. Solinus, cap. 6, quinquaginta prælia Cæsarem vicisse adserit. — *Esse nocens cœpi*, h. e. reus peragi. Simile dictum Cæsaris, post aciem Pharsalicam cæsos adversarios prospicientis, refert Sueton. c. 30: « Hoc voluerunt: tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petiissem ». — Quod exprimit Noster, v. 169: *Caussam dicite ferro*. Ed.

165. *Qui bella vident* Tragur. et Scaliger: *bella volunt* editi plerique; at *jubent* unum ex scriptis habere Boschius affirmat, et sic vult Gulielmus, Plaut. Quæst. Mostell. c. 4; quocum facit Burmannus: *vetant* scribendum putat Gronov. Observ. III, 11. Mihi *volunt* præferendum videtur, et respicere dictum Cæsaris, *Hoc voluerunt*.

166. *Quorum est mea Roma noverca*, qui exteri sunt aut libertini, vel qui non sunt neque moribus, neque fortunis, veri cives. Simile dictum Scipionis ad concionem tumultuantem: « Qui possum vestro clamore moveri, quorum noverca est Italia ». Velleius Paterculus, II, c. 4, et Valerius Maxim. VI, 2, 3. Talia dicta, haud dubie e bonis scriptoribus hausta, poemati suo innectit Petronius, ut ostendat, quod in poeta requisiverat, se pectus flumine literarum inundatum habere.

167. *Haud impune*, referendum est ad vers. 165: haud impune hoc illis erit, *qui bella volunt*.

168. *Furentes* Traguriens. *ferentes* prima ed. Samb. et Scal. cum aliis: alii volunt *frequentes* vel *sequentes*; præstat *furentes*, h. e. dolore accensi et stimulati.

171. *Gratia nobis* Tragur. sed *vobis* evincunt ea, quæ sequuntur.

Imminet, et sordes meruit victoria nostra,
Judice Fortuna cadat alea; sumite bellum,
Et tentate manus : certe mea caussa peracta est.
Inter tot fortes armatus nescio vinci.
  Hæc ubi personuit, de cælo Delphicus ales
Omina læta dedit, pepulitque meatibus auras;
Nec non horrendi nemoris de parte sinistra
Insolitæ voces flamma sonuere sequenti.
Ipse nitor Phœbi vulgato lætior orbe
Crevit, et aurato præcinxit fulgure vultus.
  Fortior ominibus movit Mavortia signa
Cæsar, et insolitos gressu prior occupat ausus.
Prima quidem glacies; et cana vincta pruina
Non pugnavit humus, mitique horrore quievit :

173. *Sordes*, nempe reorum, qui sordidati in judicium veniebant.

174. *Judice Fortuna cadat alea*, celebre dictum Cæsaris. Lucanus, I, 226 : « Te, Fortuna, sequor : procul hinc jam fœdera sunto. Credidimus fatis, utendum est judice bello ». Sueton. Cæs. 32 : « Eamus, quo Deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat. Jacta alea esto ».

175. *Tentate manus*, h. e. lacertos, experimini quid manus et vires possint : infra, v. 220 : « est magis, arma Qui tentata velit ».

177. *Delphicus ales*; corvus, qui et *ales Phœbeius*; Ovid. Met. II, 545, et Manilio, lib. I, 781.

178. Tragur. *pepulitque e mentibus auras*. Scaliger et alii *e montibus* sed vetus cod. Sambuci *meatibus*, quod rectum est.

179. *De parte sinistra*, quæ felix plerumque habebatur. Virg. Æn. II, 693 : *subitoque fragore Intonuit lævum*. — Pro *sequenti* cod. Sambuci habuit *frequenti*.

181. *Lætior orbe* Tragur. et Scal. alii *fortior*, alii *lætior*, quod verum est : *læta* enim proprie dicuntur, quæ sunt boni ominis; supra *omina læta dedit*.

184. Tragur. *insolito gressus prior occupat haustus*; alii *insolito gressu prior occupat haustus*. Scaliger *ausus*. Alii *insolito gressus prior occupat ausu*. Optimum mihi videtur scribere *insolitos gressu prior occupat ausus*, h. e. primus gradu facto, vel præcedendo, aggressus est ausus insolitos, militesque perduxit.

185. Alii *cana juncta*; sed Tragurensis *canavincta*, unde apparet *vincta* legendum esse. Ipse mox ait *nimbos fregere ligatos*, et *undarum vincula rupit*.

186. Tragur. *mitique honore quievit*; alii *mitique horrore*; Scaliger *mitique quievit honore* : horrore miti dictum putant pro frigore adhuc tolerabili : sed mihi *horror* potius pro tremore dictus videtur : primo glacies a militibus calcata hac-

Sed postquam turmæ nimbos fregere ligatos,
Et pavidus quadrupes undarum vincula rupit,
Incaluere nives; mox flumina montibus altis
Undabant modo nata, sed hæc quoque justa putares:
Stabant, et vincta fluctus stupuere pruina,
Et paullo ante lues jam concidenda jacebat.
Tum vero malefida prius vestigia lusit,
Decepitque pedes; passim turmæque, virique,
Armaque, congesta strue deplorata jacebant.
Ecce etiam rigido concussæ flamine nubes
Exonerabantur, nec rupto turbine venti
Deerant, aut tumida confractum grandine cælum;
Ipsæ jam nubes ruptæ super arma cadebant,
Et concreta gelu ponti velut unda ruebat.
Victa erat ingenti tellus nive, victaque cæli
Sidera, victa suis hærentia flumina ripis;

tenus quiescebat, ut leniter quati et intremere videretur. Forte *miti humore* legendum est: prima glacies caleata quievit, ita ut paullum humoris redderet.

190. *Jussa putares* habent Tragur. Scaliger edidit *missa putares*. Stephanus in margine notat *spissa:* sed *justa* rectum; quamvis flumina essent modo nata, tam magna tamen erant, ut possent pro justis vel legitimis fluviis haberi.

191. Traguriensis relicta lacuna: *Stabat. . . junctà fluctus stupuere pruina*. Scaliger *Stantibus at victa fluctus;* alii *Stabant et vincta fluctus*. Vetustus codex Sambuci *vinctaque mox stabant*, quam lectionem recepit Burmannus. Mihi rectius videtur Traguriensem sequi cum aliis: « Stabant, et vincta fluctus stupuere pruina ». — Sed me offendit repetitio cum versu 185. Ed.

192. *Paullo ante lues*, h. e. quæ modo eluvio, liquata et fluens aqua erat, *jam jacebat*, consistebat ita dura glacies, ut *concidenda*, frangenda ferro vel calcibus esset.

194. Pro *passim* Tragur. *partem;* alii *pariter*.

197. Tragur. et impressi *nec rupti turbine venti*. Erbardus, quem Hadrianides et Burmannus sequuntur, legit *rupto*, ad modum Virgilii, Æn. II, 416: « Adversi rupto ceu quondam turbine venti ».

198. *Aut tumida:* sic cod. Dousæ, Wower. Hadrian. sed *ac tumida* Tragur. Tornæsius, Burmannus.

200. Tragur. *ponti velut umbra*.

201. Fortasse *vincta*, et mox *vinctaque cæli*, iterum *vincta suis*, et denique *Nondum Cæsar vinctus* conj. Colladon. quia supra v. 168, *nec hanc sine vindice dextram Vinciet ignavus;* sed adsentiri non possum.

Nondum Cæsar erat; sed magnam nixus in hastam
Horrida securis frangebat gressibus arva.
Qualis Caucasea decurrens arduus arce
Amphitryoniades, aut torvo Jupiter ore,
Quum se verticibus magni demisit Olympi,
Et periturorum dejecit tela Gigantum.
Dum Cæsar tumidas iratus deprimit arces,
Interea volucer motis conterrita pennis
Fama volat, summique petit juga celsa Palati,
Atque hæc Romano attonito fert omnia signa:

205. *Caucasea arce*, i. e. Caucaso monte Scythiæ, ubi Hercules aquilam, Promethei cor exedentem, sagitta peremit. — Pro *arce* alii *axe:* sed arcem pro monte poni, jam vidimus versu 107; et conf. Gratii Cyneg. v. 524. — Huj. edit. tom. I, pag. 75. Ed.

208. Tragur. *dejecit tella;* unde Gronovius volebat *bella Gigantum*. Scaliger *dejecit tela*, quocum faciunt primæ edd. Alii *disjecit*, sed Virgilius, qoem forte respexit Petronius, Georg. I, 283: *Ter pater exstructos dejecit fulmine montes;* et Petronius per *tela Gigantum* ipsos Gigantas, vel montes et arma, quæ in cælum torquebant, intelligit. — Reiskius in Miscell. Lips. nov. vol. VI, p. 680, græcismum esse dicit *dejecit tela Gigantum*, pro contra Gigantes jecit tela: κατέβαλε βέλη τῶν γιγάντων, i. e. ἔβαλε βέλη κατὰ τῶν γιγάντων. Ed.

209. Pro *tumidas* alii *timidas: arces* sunt Alpes, ut v. 205. — Alias *premi* arva, montes, ab euntibus dicuntur: *deprimit* ad Cæsaris magnitudinem spectat, quod tamen paullo frigidius videtur. Sed commodius hæc interpretatur Bouherius, qui *timidas arces* legit, et oppida municipiaque intelligit, quæ Cæsar in Italiam veniens, terrore ejus perculsa, in deditionem accipiebat, inprimis Corfinium, tum a L. Domitio trepidanter et timide defensum. De quibus ipse Cæsar, Bell. Civ. I, 14, ait: « Quibus rebus Romam nuntiatis, tantus repente terror invasit, etc. »

210. *Volucer*, recte, et sic habent omnes edit.: nam veteres promiscue *volucris* et *voluccr* dixerunt utroque genere, docente Vossio, Analog. lib. II, cap. 21.

211. *Juga Palati* hic nominat, quia inter Romanos colles is præcipuus, ubi sedes Romani imperii.

212. Tragur. sic: « Atque hæc Romano tonitru ferit omnia signa ». Prima editio, et Sambuci. « Atque hæc Romano tonitoni ferit omnia signa ». Scaliger edidit « Atque hæc Romano attonito fert omnia signa ». Wowerus: « Atque hoc Romano attonito fert omnia signa ». Bouherius legit, non male: « Atque hoc Romanos tonitru ferit, omnia signans ». Quidam præterea volnerunt *omnia sæva*, vel *omina dira*. Ego adquiescendum puto in lectione Scaligeri, quæ scripturæ codicum apprime convenit. Vult Petronius,

Jam classes fluitare mari, totasque per Alpes
Fervere Germano perfusas sanguine turmas.
Arma, cruor, cædes, incendia, totaque bella
Ante oculos volitant: ergo pulsata tumultu
Pectora per dubias scinduntur territa caussas.
Huic fuga per terras, illi magis unda probatur,
Et patria est pontus jam tutior; est magis, arma
Qui tentata velit, fatisque jubentibus actus,
Quantum quisque timet, tantum fugit: ocior ipse
Hos inter motus populus, miserabile visu,
Quo mens icta jubet, deserta ducitur Urbe.
Gaudet Roma fuga, debellatique Quirites
Rumoris sonitu mœrentia tecta relinquunt :

omnia signa hæc futuri belli, quæ hactenus commemoravit, Famam pertulisse ad Romanos, ea propter summopere attonitos.

216. *Pulsata tumultu* : tumultus est rumor confusus et turbulentus arma nuntians et ad arma concitans : *pulsata* pro commota. Noster in fragmentis de eadem Fama: *Effluit, et subitis rumoribus oppida pulsat;* et Ovid. Met. XII, 227: *quæ te vecordia, Theseus, Euryte, pulsat, ait.* Ex usu posterioris ævi *pulsare* sæpe tantum adire, appellare, adloqui notat. Statius, qui sæpissime eo verbo utitur, Theb. XII, 240 : « Quas non ille domos pecorumque hominumque modesto Pulsavit gemitu ». Plura exempla usum hujus verbi significantia vide apud Barth. ad Theb. IV, 477.

217. Tragur. *Pectora perque duas.* Colladonius et Gronovius malunt *territa curas.* Et sane *caussa* et *cura* sæpe confunditur a librariis. Cæterum apertissime imitatus hic est Virgil. Æn. II, 39 : « Scinditur incertum studia in contraria vulgus ».

219. Reiskius hic legit *etiam magis est timor, arma Qui tentata velit.* Et firmat hoc versu Statii Theb. X, 488 : *Est, ubi dat vires nimius timor.* Ed. — Tragur. *Et patria est pontus, et jam timor.* Prima edit. et Samb. *patriæ est portu, et jam timor.* Colladonius conj. *Et patria est pontus jam tutior,* quod et Scaliger et Wowerius edidit. Ego nihil melius extrico, nisi hoc velis : « Et patriæ in portu est etiam timor ».

220. Tragur. *fatisque jubentibus icti;* eod. Samb. *acti;* alii conj. *jubentibus uti.* Scaliger et reliqui edid. *jubentibus actus.* — Pet. Seriverius in Anecdot. Philolog. n. 21, p. 32, hoc loco sic rescribendum arbitratur : « Est magis, armos Qui tentare velit, fatisque jubentibus uti ». Ed.

223. *Mens icta,* perculsa et territa. Corn. Sev. in fragm. de morte Ciceronis : « ictaque luctu Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ ».

225. Conferri cum his et sequentibus meretur alia Romæ conster-

Ille manu trepida natos tenet; ille Penates
Occultat gremio, deploratumque relinquit
Limen, et absentem votis interficit hostem
Sunt qui conjugibus mœrentia pectora jungant,
Grandævosque patres; onerisque ignara juventus
Id, pro quo metuit, tantum trahit; omnia secum
Hic vehit imprudens, prædamque in prælia ducit.
  Ac velut ex alto quum magnus inhorruit Auster,
Et pulsas evertit aquas, non arma ministris,
Non regimen prodest; ligat alter pondera pinus,
Alter tuta sinu tranquillaque litora quærit;
Hic dat vela fugæ, fortunæque omnia credit.
Quid tam parva queror? gemino cum consule Magnus,
Ille tremor ponti, sævi quoque terror Hydaspis,
Et piratarum scopulus; modo quem ter ovantem

natio a Silio Ital. exposita, lib. IV, v. 26, seqq.

228. *Votis interficit hostem.* Sic *votis debellare* Livius, XXII, 14. Stat. Theb. II, 133: « Sic excitus ira Ductor in absentem consumit prælia fratrem ».

229. *Pectora jungunt*, amplexando et portando pectori applicant. Sic malo intelligere *pectora*, quam mutare hæc in *pignora*, quod Stewechius ad Arnob. V, p. 117, voluit, ut filii una cum patribus et conjugibus intelligantur asportati; nam de liberis jam versu 226 dixit.

230. *Oneris ignara*, h. e. non sentiens onus, quod fert, quia pietas leve facit. Stephanus in margine *humeris ignara.*

232. Tragur. et Scaliger *Hinc vehit;* alii *Hic velut.*

234. Tragur. *Et pulsat et vertit aquas.* — *Ministris* pro gubernatoribus navis, ut Noster, cap. 108, *navis ministerium* dixit. Et Virgil. Æn. VI, 302, *velis ministrare* pro vela dirigere. — *Arma* sunt instrumenta nautica.

235. *Ligat pondera pinus*, intelligo de velis antennisque substrictis et malo alligatis; quod fieri solet in tempestate.

238. *Gemino cum consule Magnus* Pompeius cum duobus consulibus Marcello et Lentulo.

239. Tragur. *sævique repertor Hydaspis:* quod Burmannus edidit. Scaliger et alii dederunt *sævi quoque terror Hydaspis.* Stephanus tamen in margine *sævique repertus*, quod sane scripturæ codicis Tragur. respondens admodum placet, et relatum ad præcedens *tremor* significat Pompeium post alios multos duces, contra Mithridatem toties rebellantem missos, demum repertum, qui illius regis potentiam frangeret, et Partho etiam terrori esset. Nam, Ponti Hydaspisque nomine, et regnum Mithridatis et Parthicum designari

Jupiter horruerat; quem fracto gurgite Pontus,
Et veneratus erat submissa Bosphorus unda,
Proh pudor! imperii deserto nomine fugit,
Ut fortuna levis Magni quoque terga videret.
Ergo tanta lues Divum quoque numina vidit,
Consensitque fugæ Cæli timor? ecce per orbem
Mitis turba Deum, terras exosa furentes
Deserit, atque hominum damnatum avertitur agmen.
Pax prima ante alias, niveos pulsata lacertos,

arbitror. Intelligitur Medus Hydaspes, quem vocat Virg. Georg. IV, 210. — *Scopulus piratarum* propter bellum piraticum dictus Pompeius, ut eodem tempore tribunal L. Cassii *scopulus reorum*, ut refert Val. Max. III, 7, 9; et Florus, IV, 9, 1, Antonium *scopulum securitatis publicæ* vocat.

241. *Jupiter*, sc. Capitolinus ternos triumphos, de tribus orbis partibus, agentem *horruerat*, quasi nimia gloria et summo potentiæ fastigio elatum. Ejusdem sententiæ sunt versus Albini, quos Priscianus adducit lib. VII, p. 741 : « Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis Sponte Deum patuere, cui freta nulla repostos Abscondere sinus, non tutæ mœnibus urbes ». — *Fracto gurgite Pontus* sunt gentes ad Pontum et Bosphorum victæ et domitæ, quemadmodum Horat. Carm. II, 9, 22, dicit *Medum flumen minores volvere vortices*.

243. *Imperii deserto nomine*, epexegesis, id est, imperio deserto: similiter omnino *nomen agelli* pro agello apud Catonem in Diris est, v. 90. Nodotius post hunc versum alium interserit, quem unde ceperit, ignorat Burmannus, in nullo enim codice nullaque editione legitur : « Ignavaque fuga Romam famamque relinquit ».

245. *Ergo tanta lues.* Sic codex Tragur. Scaliger, Toruæsius, Wowerius et plures alii : sed *Tergo tanta lues* Gonsalius, Erhardus, Hadrianides; et *tergo videre* explicant fugientem videre, ut apud Catullum de Achille : « Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus ». Præferenda hæc lectio videtur, si modo cum Bouherio sic distinguatur : « Tergo (tanta lues!) Divum quoque numina vidit », h. e. Fortuna non modo Pompeium, sed Deos adeo fugientes vidit, *tanta lues*, i. e. calamitas et communis consternatio erat. — Aptius autem lues explicatur de eluvione erumpentis et fugientis turbæ ut apud Silium, XII, 184 : « Fertur acerba lues disjectis undique portis, Effusæque ruunt inopino flumine turbæ ». En. — Et hoc versu fortasse rectius legitur *Divum quoque numina fudit*, i. e. in fugam dedit ». Ed.

246. *Fugæ* Pompeii *consensit Cæli*, Deorum, *timor*, h. e. Dii æque fugerunt timidi, ac Pompeius.

248. *Avertitur*, aversatur, ἐνεργητικῶς · ut Virg. Georg. III, 499 : « Victor equus, fontesque avertitur ».

Abscondit galea victum caput, atque relicto
Orbe fugax Ditis petit implacabile regnum.
Huic comes it submissa Fides, et crine soluto
Justitia, ac mœrens lacera Concordia palla.
At, contra, sedes Erebi qua rupta dehiscit,
Emergit late Ditis chorus, horrida Erinnys,
Et Bellona minax, facibusque armata Megæra,
Letumque, Insidiæque, et lurida Mortis imago.

250. *Abscondit galea victum.* Mirantur quidam *pacem galeatam* hic dici, atque hinc Colladonius conj. *Absconditque olea caput*, et Nodotius edidit *Abscondit olea vinctura caput.* Sed frustra offendit *galea.* Nam, quod Bouherius ad h. l. bene monuit, videtur Petronius per galeam intelligere galerum, cucullum, vel quodvis tegumentum galeæ simile, quo abscondere caput solebant, qui mœrebant, vel agnosci nolebant; de quo more vid. Schol. Juvenal. ad Sat. VI, 120, et Salmas. ad Tert. de Pall. p. 318. Sic Pietatem mœrentem et fugientem pingit Stat. Theb. XI, 496: « Dejectam in lumina pallam Diva trahit, magnoque fugit questura Tonanti ». Contra, *olea abscondere caput* nemo facile dixerit. An forte de *galea Orci* hic cogitandum, qua quis dicebatur invisibilis reddi? Certe Pax hic Ditis regnum petere dicitur. — Reiskius pro *galea* legit *cavea*, quasi in antrum se abscondit. Ed. — De verbis *Abscondit galea victum caput*, re diu et accurate pensitata statuo, nihil in iis mutandum esse, et imagine ista Pacis galea caput abscondentis, pingi subitam rei publicæ perturbationem et tumultum civilem, quo ii etiam, qui et pacem amant et pacis negotia tractant, ut tutius lateant aut defendant se, cedere tempori et sumere arma coguntur, saltem ne dissidere a cæteris videantur, eoque sibi periculum contrahant. Nam simili plane imagine utitur Claudianus de tumultu ejusmodi loquens, Bell. Get. v. 465: « Nec tentat clypeum projectis sumere rastris Bellona ridente Ceres ». Similiter Ovidius, continuum belli motum pingens, Trist. V, 10, 25: « Sub galea pastor junctis pice cantat avenis, Proque lupo pavidæ bella verentur oves ». Cæterum eam ipsam phrasin usurpavit Juvenalis VII, 201: « Nec galea faciem abscondit ». Ed.

252. *Crine soluto:* non habitus usitatus Justitiæ ibi indicatur, sed signum mœrentis; quo etiam respicit, quæ sequitur, *lacera palla* Concordiæ. Alias enim hic habitus Discordiæ, ut indicat Virgil. Æn. VIII, 702: *Et scissa gaudens vadit Discordia palla*, quem locum respexisse videtur Arbiter; et vid. infra, v. 276. Traguriensis hic habet *crure soluto.*

254. *Qua rupta dehiscit:* hiatum illum designare videtur, quem supra descripsit versu 67.

257. *Imago Mortis*, inquit Bouherius, est *Mors;* at Letum principio versus memoratur; itaque ne bis inducatur, est emendandum: *Fletusque, Insidiæque.* Sed quia Fle-

Quas inter Furor, abruptis ceu liber habenis,
Sanguineum late tollit caput, oraque mille
Vulneribus confossa cruenta casside velat :
Hæret detritus lævæ mavortius umbo,
Innumerabilibus telis gravis, atque flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.
Sentit terra Deos, mutataque sidera pondus
Quæsivere suum : namque omnis regia cæli
In partes diducta ruit, primumque Dione
Cæsaris acta sui ducit ; comes additur illi
Pallas, et ingentem quatiens Mavortius hastam.

tus non relatus in Deos Inferos a poetis est, hinc Jo. Schraderus in libro Observationum, pag. 30, non ita levi immutatione, præferre non dubitat *Luctusque Insidiæque*, quomodo Virg. Æn. VI, 273, Luctum apud Inferos ponit. Ed.

258. *Abruptis habenis*, i. e. vinculis vel catenis, quibus alias vinctus fingitur per pacem. Virg. Æn. I, 298 : « Furor impius intus Sæva sedens super arma et centum vinctus ahenis Post tergum nodis ».

261. *Detritus*, longo nimirum usu.—*Umbo* media pars clypei, pro ipso clypeo. Cod. Tragur. mendose legit *Heret deterritus*.

264. *Sentit terra Deos*. Singulare Deorum pondus sentiri, quocumque loco versentur, Veterum opinio erat. — Similis plane locus est Silii Ital. IX, 300, de Diis descendentibus : « venientum gressibus alma Intremuit tellus, . . . vacuo descensum ad prælia cælo ». Ed. — Hercule in cælum veniente, Ovid. Met. IX, 274, *Sensit Atlas pondus*. Contra hic, cælo decedentibus Diis, *sidera pondus quæsivere suum*, i. e. senserunt abesse.—*Mutata* sidera dicuntur propter *mutatum* pondus.—Pro mutata Reiskius legit *mulctataque*. Ed. — Bouherius vult *nudata*. Similiter Juven. XIII, 47 : « contentaque sidera paucis Numinibus miserum urgebant Atlanta minori Pondere ».

265. *Quæsivere*, pro senserunt abesse, quomodo in Eleg. in obit. Mæcen. v. 129 : « Quæsivere chori juvenem sic Hesperon illum ». Ed. — *Regia cæli*, concilium Deorum.

266. *In partes deducta*. Sic prim. edit. et cod. Trag. *diducta* reliqui omnes, recte. Sic Noster, cap. 108 : « Totiusque navigii turbam diducit in partes ». — *Ruit*, abit, discedit.

267. *Cæsaris acta sui*. Colladonius conj. *astra sui*. Passeratius ad Propert. IV, 1, p. 558, legendum putat *Cæsaris arma sui*. Ego non moveo *acta* : nihil frequentius apud historicos, quam *acta Cæsaris*. — *Ducit acta* interpretor, præsidem et ducem eorum se profitetur. *Cæsaris sui*, qui a Venere genus ducat.

268. *Mavortius*, substantive, pro Mavorte vel Marte, quod quum insolitum putet Bouherius, mavult legere *Mars horridus*. Et Salmasius

Magnum cum Phœbo soror, et Cyllenia proles
Excipit, ac totis similis Tirynthius actis.
Intremuere tubæ, ac scisso Discordia crine
Extulit ad Superos Stygium caput: hujus in ore
Concretus sanguis, contusaque lumina flebant;
Stabant ærati scabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atque inter toto laceratam pectore vestem

in suo exemplari correxerat *Marsocius*. — Sed defendi potest *Mavortius*, eo quod Avienus etiam Phænom. v. 126, *Titanius* pro *Titan* dixit, et in Halieutico altero, v. 96, *Phœbea* exstat pro *Phœbe* sive Luna; vid. h. l. tomo I, p. 236, lin. 10. En.

269. Vitiose hic codex Tragur. et omnes editi priores legunt *Magnaque cum Phœbo soror*. Primus Barthius, Advers. XXXVI, 24, et cum eo Gevartius, Elect. I, 6, emendavit *Magnum*, sc. Pompeium, *cum Phœbo soror*. Plane necessaria et evidens hæc emendatio. Nam Arbiter concilium Deorum in duas partes divisum esse dixit, et nisi hic *Magnum* legamus pro *Magnaque*, omnes Deos nominatos Cæsaris partibus adsignasse videbitur, nullos Pompeii.

270. Herculem favisse Pompeio ait, eo quod ejus acta suis similia essent. Ita sensisse ipsos Romanos de rebus gestis Pompeii, probat instituta a Plinio collatio ejus et Herculis, lib. VII, cap. 26, ubi victoriis Pompeii Magni ait « æquatum non modo Alexandri Magni rerum fulgorem, sed etiam Herculis prope ac Liberi Patris ».

271. *Intremuere tubæ*. Sic codex Trag. et Scaligeri ed. alii ediderunt *infremuere*; et sunt, qui *insonuere*, *intonuere*, vel *ingemuere* velint. Quidam etiam *intremuere jubæ* legunt, ut hinc comam Discordiæ Arbiter describere incipiat. Ego puto *intremuere* verum esse, ob tremulum tubæ sonum. Et hinc confirmari potest lectio, quæ versu 135 reperitur, *Sideribus tremefacta ciet*, quam etiam Bouherius eo loco recepit.

274. *Scabra rubigine dentes*: similiter de Fame Ovid. Met. VIII, 808, *scabri rubigine dentes*. Cod. Tragur. *Stabant irati*, item Scaliger; sed in aliis *ærati*.

275. *Obsessa draconibus ora*, caput anguibus pro capillamento cinctum. Virg. Æn. VI, 280: « Discordia demens Vipereum crinem vittis innexa cruentis ». Pap. Stat. Theb. I, 103: « Centum illi stantes umbrabant ora cerastæ, Turba minor diri capitis: sedet intus abactis Ferrea lux oculis ». Emendo: *Turba minor diro capiti sedet*, quemadmodum Petronius *obsessa ora* dicit.

276. Tragur. *inter toto lacerata pectore*. Scaliger *laceratam*, alii *intertorto laceratam*. Ferri potest lectio Scaligeri, quam sequuti sumus, ut significetur, vestem illam, quoniam lacera et perrupta toto pectore erat, non obstitisse, quo minus per illam, et inter laceros ejus pannos, vibraret face . Burmannus tamen tentat *Atque ferens toto*, vel *atque terens*,

Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.
Hæc ut Cocyti tenebras, et Tartara liquit,
Alta petit gradiens juga nobilis Apennini,
Unde omnes terras atque omnia litora posset
Adspicere, ac toto fluitantes orbe catervas;
Atque has erumpit furibundo pectore voces:
«Sumite nunc, gentes, accensis mentibus arma,
Sumite, et in medias immittite lampadas urbes.
Vincetur, quicumque latet; non femina cesset,
Non puer, aut ævo jam desolata senectus.
Ipsa tremat tellus, lacerataque tecta rebellent.
Tu legem, Marcelle, tene; tu concute plebem,
Curio; tu fortem ne supprime, Lentule, Martem.

Bouherius: *Atque inter torto lacerans in pectore vestem.*

277. *Sanguineam lampada* dicit non tam ob flammam sanguinei coloris, quam quod sanguine tincta erat, ut Ovidius exprimit Met. IV, 480: «Neo mora, Tisiphone madefactam sanguine sumit Importuna facem».

282. Tragur. *Atque has effudit furibundo*, ut supra, v. 102, *defudit.* Scaliger *erupit*, alii *erumpit;* atque hoc convenientius videtur furibundæ, quam *effudit.* Tibull. IV, 1, 86: «dulees erumpat terra liquores». Ad quem locum Bronckhusius plura exempla verbi *erumpo*, eum quarto casu juncti, profert.

286. *Desolata senectus*, defecta annis et propter debilitatem sola relicta; quia senes a foro, a negotiis, a societate hominum recedere solent. Pluribus hanc notionem *desolati* ostendit Gronov. Observ. IV, 21.

287. *Tecta rebellent*, h. e. nutent ac vacillent, quod fit in tremore terræ. Vult autem tantam concitari seditionem, ut tumultu et strepitu concurrentium hominum tellus moveatur, et tecta ædium quatiantur. Sic Statius, XII, 656, de exercitu Thesei adventante: *Icta gemit tellus.*

288. *Tu legem, Marcelle, tene;* M. Claudius Marcellus tunc temporis consul erat, Cæsari vehementer infensus, qui legem de successoribus Cæsari in Galliam ante tempus mittendis, tulerat. — *Tene* est tuere, observa, exsequere, ut Terentius, Adelph. I, 2, 5: *Neque legem putat tenere se ullam.*

289. C. *Curio*, eo anno tribunus plebis violentissimus, sed venali eloquentia, quem Cæsar, inimicum sibi, ingenti mercede defensorem paraverat. De lege Claudia et Curionis seditionibus lege Suet. Cæs. c. 28; Flor. lib. IV, c. 2; Dion. lib. XL; Appian. lib. II, Bell. Civ. — *Neu supprime* Traguriens. Corn. Lentulus collega Cl. Marcelli, quem historici tradunt sæpe hortatum esse Patres ad Cæsarem armis persequendum. Exstat ejus sententiæ ora-

Quid porro tu, Dive, tuis cunctaris in armis?
Non frangis portas? non muris oppida solvis?
Thesaurosque rapis? Nescis tu, Magne, tueri
Romanas arces? Epidauria mœnia quære,
Thessaliæque sinus humano sanguine tinge. »
Factum est in terris, quidquid Discordia jussit.

tiu Lentuli apud Lucanum, initio libri V.

290. Tragur. *tu dive tuis cantaris.* Inde scribendum *contaris.* Divum vocat communi et plebeio tum nomine, quo Julius κατ' ἐξοχὴν urnari solebat. Turnæsius tamen, Scalig. et alii *tu die* reposuerunt, quoniam Iulo prognatus Cæsar et a Venere descendere credebatur, et Festus Dium ab Antiquis appellatum ait, ut a Deo urtum.

293. *Romanasquè acies* Tragur. *Romanas acies* Scalig. Wower. et alii. Sed *Romanas arces* legendum esse, ex ipsa Arbitri narratione patet, et sic scriptum in codice Colbertiuu Bouherius affirmat. Nesciit Romam tueri Pompeius, atque adeo Italiam vacuam Cæsari occupandam reliquit, Dyrrachium, urbem Epiri, transmittens exercitum. Hanc urbem necesse est intelligi per *Epidauria mœnia*, quo numine quum Dyrrachium non venerit, summa eum ratiune eruditi hic legendum censent *Epidamni mœnia.* Epidamnus enim urbis Dyrrachii numen vetus est, quod Romani, uminis caussa, mutarunt; idque numen exhibere hoc loco codex Colbert. videtur, in quo, teste Bouherio, exstat *Epiduni mœnia.* Præterea Epidamnum et Epidaurum urbes sæpe confusas a librariis, é Lucano et Serenu Sammon. adnutavit ad hunc locum Burmannus. Pro *mœnia* Traguriensis legit *nomina*, hinc Erhardus scribi vult *Epidamnia nomina.* Quo sane Discordia videtur infaustum Pompeiu umen facere, quia numen Epidamni ominosum Romanis, quasi damnum afferens, habebatur, ut Plinius auctor est lib. III, cap. 23.

294. *Thessaliæque sinus.* Thessalia Macedoniæ propinqua, ubi Pharsalici campi, conflictu illo maximo Cæsaris et Pompeii famigerati.

III.

FRAGMENTA

T. PETRONII ARBITRI

IN

AVARITIAM, LUXUM ET VANITATEM.

I*.

QUID faciant leges, ubi sola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?
Ipsi, qui Cynica traducunt tempora cœna,
Nonnunquam nummis vendere verba solent.
Ergo judicium nihil est, nisi publica merces,

* E Petronii cap. 14. Insectatur avaritiam caussidicorum.

1. *Quid faciant leges?* quis usus sit legum, quæ vis? *Quid faciam, faciat?* usitata est formula in discrimine aut difficultate aliqua positorum. Cic. de Off. III, 14: *Stomachari Canius. Sed quid faceret?* Ovid. Metam. VI, 572: *Quid faciat Philomela?* idem, Her. X, 59: *Quid faciam? quo sola ferar?* Quidam male *faciunt*. Adde Hor. Serm. II, 1, 24. — Hic locus conf. cum Elegia Sulpicii Servasti de Cupiditate, infra, v. 15: « Quia metus hic legum? quæve est reverentia veri? etc. » et Anthol. Burm. II, 73. ED.

3. *Traducunt tempora cœna*. Quidam scripti habere dicuntur *cera*, unde *pera* facit Heinsius, quam Cynici circumferebant; et hæc conjectura Burmanno perplacet. Alii *sera*, unde *secta* legerunt Scal. et Wower. Præfero usitatum *cœna*, et *traducere tempora cœna Cynica* dicuntur, qui contenti vivunt siliquis et pane secundo, et vilissimis cibariis se sustentant, neque adeo magna pecunia videntur opus habere. *Cynice vivere* in proverbio fuit.

4. *Nummis verba solent emere* cod. Tragur. et Steph. Alii tamen plerique *vendere verba*. Sic Mart. V, 17: *Sollicitisque velim vendere verba reis.*

Atque eques, in caussa qui sedet, empta probat.

6. Puteani codex habuit *Atque eques in cera, qui probat empta, sedet. Sedere* proprium est judicum. —Hinc Propert. IV, 11, 19: «Aut si quis posita judex sedet Æacus urna». Cic. Epist. I, 9: *Sedente Pompeio*, i. e. judicium exercente. Minuc. in Octav. cap. 5: «Proinde si mihi quasi novus aliquis, et quasi ignarus partis utriusque considas». Ed.—Equites vero judicia exercebant, et in consilio Prætoris erant.

II*.

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia late
Qui tenet, et sicco concoquit ore famem.

* E Petron. cap. 82.

1. Sic versum hunc exhibet Fulgentius, Mythol. II, 18; at Vincentius in Spec. hist. XX, 25: *Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit*, quocum alii conspirant. Scaliger dedit *neque poma natantia sumit;* alii *nec carpit pendula poma.* Nos merito prætulimus lectionem, quam Fulgentius servavit; *patere* enim dicuntur, quæ exposita sunt, et sine difficultate capiuntur. De eodem Ovid. Am. II, 2, 43: «Quærit aquas in aquis, et poma fugacia captat Tantalus». — Idem, Art. Amator. II, 605: «O bene, quod, frustra captatis arbore pomis, Garrulus in media Tantalus aret aqua»; et in Ibin, v. 195: «Hic erit et ramos frustra qui captet et undas». *Tantalus infelix* etiam videbitur infra in Elegia de Fortunæ viciss. Ed.

2. *Sua vota, premunt*, habendi et accumulandi, *premunt*, angunt, urgent. Sic Paulinus, Nat. Fel. IX: «Urit Defectus miseri metus et miser ardor habendi. Atque ita et inter opes inopes, quasi Tantalus ille Inter aquas, sitiunt, nec habent, quod habere videntur».

3. Alii sic scribunt: *omnia cernens Qui timet*, vel *quæ timet*, h. e. qui omnia parata et abundantia circa se videt, tamen defectum et paupertatem timet, si utatur, ut Horat. Art. Poet. v. 170, *miser abstinet ac timet uti*. Nos Fulgentianam lectionem exhibuimus: *omnia qui tenet*, cui omnia suppetunt necessaria et voto expetenda, *late*, h. e. abunde, ita ut nullis rerum angustiis coarctetur.

4. *Sicco ore* est nihil gustans. — *Concoquit famem* est contrarium in adjecto, nam proprie concoquuntur cibi; h. e. pertinaciter abstinens, ipsa fame pasci atque ali videtur. Referas huc illud Plauti in Capt. III, 1, 6, *non magis effertum fame vidi;* et dictum Socratis apud Cicer. Tusc. V, 34, qui se *ambulando opsonare famem* dicebat.

III*.

Qui pelago credit, magno se fenore tollit;
Qui pugnas et castra petit, præcingitur auro:
Vilis adulator picto jacet ebrius ostro,
Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.
Sola pruinosis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua desertas invocat artes.

* E Petronii, cap. 83. Scaliger in Catalectis dedit sub titulo : *In tenuis fortunæ homines.*

1\. *Qui pelago credit,* committit se, mercaturam et navigationem exercet. — *Se tollit*, divitiis accrescens emergere et eminere supra alios incipit. Virg. Georg. III, 8, *qua me quoque possim Tollere humo.*

2\. *Præcingitur auro*, h. e. aurum e bello relatum in zona gestat; nam cincti et præcincti milites vocantur, ut notat Salmasius ad Vulcatii Avid. Cassium, c. 1; Suet. in Vitell. c. 16, « zona se aureorum plena circumdedit ».

3\. *Adulator*, parasitus, qui regum cœnas captat, *picto ostro jacet*, accubat in veste stragula purpurea et acu picta, opere Phrygio, *ebrius* vino indulgens, inebriatus.

4\. *Qui sollicitat nuptas*, qui operam navat adultero, sollicitandis et conciliandis nuptis. — *Ad præmia*, præmio proposito peccat, etiam nequitiæ suæ emolumentum habet. Propert. II, 16, 21 : « Nunquam venales essent ad munus amicæ. — Pro *peccat* cod. Scal. *spectat*, non male; sed *peccat* retinere malebat Scaliger, i. e. adulterio potitur. Ed.

5\. Cod. Tragur. habet *hæret facundia*, sed *horret* rectum est, idque *pruinosis* requirit. — *Horret*, i. e. alget, vel frigore quatitur. — *Pruinosi panni* toga hirta, quæ nives et pruinas excipit. Martialis *algentem togam* vocat lib. XII, 36, 2; Persius, I, 54 : « Scis comitem horridulum trita donare lacerna ».

6\. *Desertas invocat artes;* auxilium ab arte sua petit, quæ deserta et contempta est. Cod. Tragur. *disertas*, male, et contra metrum.

IV*.

Quisquis habet nummos, secura naviget aura,

* E Petronii cap. 137. Recitant hos versus Joannes Sarisber. Polycr. lib. VII, cap. 16, et Vincentius in Spec. lib. XX, c. 25; Scaliger Catalect. lib. I, tit. 16.

1\. *Secura naviget aura*, i. e. secure et feliciter vitam agere potest. Tragur. *navigat*, minus recte. Usitatissima poetis fortunæ et navigationis comparatio. Ovid. Trist. I, 8, 42 : « Ferret adhuc istam quum minor aura ratem »; idem ibid. V, 12,

Fortunamque suo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaen, ipsumque licebit
Acrisium jubeat credere, quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat caussas, sitque Catone prior.
Jurisconsultus PARET, NON PARET, habeto,
Atque esto, quidquid Servius et Labeo.
Multa loquor: quidvis nummis præsentibus opta;

40 : « Dum tulit antennas aura secunda meas ». Infra in fragm. VII: « Nequitiæ classes candida vela ferunt ». — Vid. p. 126 huj. tomi. Ed.

3. *Uxorem ducat Danaen* : nullam non uxorem ducat, quamvis durissime negatam, et custodibus septam, dummodo pecunia expugnare possit. Vid. Horatii Carm. III, 16.

4. *Acrisium* corruptis custodibus circumventum, *ipsum jubeat credere* idem, *quod Danaen*, nempè nullum adfuisse adulterum, et compressam esse ab ipso Jove; quod Acrisius noluit credere, ut tradit Apollodorus, lib. II, cap. 4, p. 82.

5. *Concrepet, omnes et peragat caussas*, h. e. tantum valeat auctoritate, ut quascumque voluerit caussas, velut ad nutum imperiumque suum peragat. *Concrepet et peragat*, proverbialis locutio, qua summa facultas et facilitas agendi exprimitur. Egregie eam declaraverit hic locus Ciceronis, de Off. III, 19 : « Si vir bonus habeat hanc vim, ut, si digitis concrepuerit, possit in locupletium testamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur..... At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset heres; in foro, mihi crede, saltarét ». Conf. Orat. Agr. II, cap. 30. Sumpta hæc ratio a more dominorum, qui, ubi quid imperarent servis, crepitu digitorum utebantur; de quo videndi viri docti ad Petron. c. 27. Quæ dominorum in servos, ea vis est divitum in pauperes et parasitos sibi obnoxios. Hinc similiter Juvenalis, III, 78 : « Græculus esuriens in cælum, jusseris, ibit ». Miror, interpretes Petronii, quos vidi, eum sensum loci non cepisse.

6. *Et peragat caussas*, ut supra Petron. Carm. de Mutatione Reip. Rom. v. 175, Cæsar : « Certe mea caussa peracta est ». Ed.

7. Pro *habeto* Traguriensis legit *habente*, Stephanus *habento*, vitiose; *habeto* idem valet, ac *habeat*. Habeat, ut jureconsultus, suum *paret, non paret*, et de jure respondeat pro auctoritate. In formulis judiciorum dandorum præcipua erat *paret, non paret*, pro apparet. Vid. Pomp. Festus in *Parret*, et Casaub. ad Suet. Aug. c. 95 in fine. Servius Sulpicius et Antistius Labeo celebres jurisconsulti, ætate Cæsaris et Augusti.

9. *Multa loquor*, id est, nimis multa. Vincentius sic : « Parva loquor, quodvis nummos præbentibus opto ». — Nihil necesse est cum Heinsio *Stulta loquor* : nam idem est quod Apuleius monet in Apol. « Nimis multa oratio est, si velim cuncta memorare. » Ed.

Et veniet: clausum possidet arca Jovem.

10. Hic Vincentius legit *Eveniet*, quod et alii probarunt. Sed præfero lectionem Sarisberiensis, *Et veniet*, i. e. præsto erit, et voto tuo obsequetur. — Et hoc probat Muncker. ad Fulgent. p. 113. Ed. — *Arca* pro parata pecunia. — *Jovem possidet*, omnium rerum potestatem habet.

V*.

RELATUM A PETRONIO E PUBLII SYRI MIMIS.

Luxuriæ rictu Martis marcent mœnia.
Tuo palato lautus pavo nascitur,
Plumato amictus aureo Babylonico:

* Exstat capite 55 Petronii. Scaliger in Catalectis edidit pag. 215; H. Stephanus in Fragm. Poet. pag. 406; et nonnihil a vulgatis diversum affert Crinitus de Honest. Disc. IV, 13. Ed.

1. Scripti plerique *luxuriæ rictu*; Traguriensis tamen *ritu*; correxerunt alii *luxuriæ victu*, vel *luxuria et victu*. Burmanno attamen maxime probatur Richardi conjectura: *Luxurie victa Martis marcent mœnia*, quia similiter Juvenalis, VI, 292: « Sævior armis Luxuria incubuit, victumque ulciscitur urbem ». Sed ego tenendum esse *rictu* arbitror: vult enim significare quasi gulæ voraginem omnia devorantem, qualis est bestiæ voracis, quæ ingluvie distenta rictu et oscitatione marcet. Durum est vocabulum et enormis metaphora, sed apta mimorum et Satiricorum stylo, cujus generis plura hoc in Publii fragmento observantur. Et aliis quoque usurpatum esse de luxuria, e scholiaste Juvenalis apparet, qui ad Sat. XI, 58 ait: « siliquas opposuit luxuriæ rictui ». Ipsi Juvenali rictus est hominis voracis, Sat. X, 230: « Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum Suetus ». — *Martis mœnia* sunt Romana. Erhardus tamen vult *mœnia* veteri scriptura positum esse pro *munia*, et Publium adeo queri, virtutem Romanorum et Martis munia fracta luxuriæ viribus turpere.

2. Tragur. *clausus pavo nascitur*. Scaliger edidit *lautus pavo nascitur*; alii volunt *exclusus*; alii, *cautus*; Heinsius, *oculeus*. Mihi vera scriptura Traguriensis *clausus* adludere ad consuetam inter Romanos saginam pavonum, adeoque *pascitur* pro *nascitur* poscere videtur, quoniam et hoc saginam respicit, et luxuriæ hoc loco descriptæ conveniens est. Horat. Epist. I, 3, 36: « Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca ».

3. Editiones primæ et libri scripti *aureo*, nisi quod Traguriensis habet *auro*. — *Auleo Babylonico* voluerunt Barthius et Erhardus. Sed *Babylonicum*, sc. textum pro nomine est, et in glossis legitur, quod *aureum* dicitur, quia Babylonica varie auro picta. Martial. VIII, 28: « Ba-

Gallina tibi Numidica, tibi gallus spado.
Ciconia etiam peregrina, grata hospita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria
Avis, exsul hiemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.
Quo margarita cara tribacca Indica?

hylonica picta superbe texta». — *Plumatæ* vestes, Antiquis valde celebres, proprie erant pictæ et distinctæ signis et notis varii coloris ad instar plumarum. Hinc Lucanus adeo *auro plumatam* vestem dixit lib. X, 125. Hoc loco autem Publius plumatum dicere videtur, quod plumis veris constat, ut significet, plumis pavonem amictum esse ita distinctis et versicoloribus, ut Babylonicum referat. Tertull. de Pall. c. 3 : «Pavo pluma vestis omni conchylio pressior, et omni patagio inauratior».

4. *Gallina Numidica*, quæ in sequente carmine *Afra volucris* dicitur, inter aves chortis recensetur a Columella et Martiali, qui *guttatas* vocat. Vid. Colum. VIII, 2; Mart. III, 58, 15. — *Gallus spado*, castratus, qui et capo. Martial. l. c. «coacti non amare capones».

5. *Grata hospita*, sic cod. Tragur. sed Scaliger *Græca hospita*; et Graia pro grata Salm. ad Tertull. de Pall. Apud Crinit. *grata peregrino hospita*; *peregrinam volucrem* etiam Phædrus vocat, I, 6 : Varro *advenam*, de Re Rust. III, 5; idem apud Arnob. lib. VI, *hospitas hirundines*. Luxuriæ, quæ hic notatur, auctor inter Romanos fuisse dicitur Sempronius Rufus, qui ciconias earumque pullos primus in convivio posuit. De quo vid. Schol. Horatii ad Sat. II, 2, 49, et propterea præturam petens repulsam a populo tulit. Vid. quoque epigr. quod adfert Burm. ad Anthol. Lat. lib. II, ep. 126. — Recte etiam *peregrina* avis ab Antiquis dicta est ciconia, quia illis ignotum erat unde veniat sub initium veris aut, quo se conferat, ingruente hieme. En.

6. Tragur. *pietatis cultrix gracilis pes et tota listria* : rectius vulgatæ. De ingenio et pietate ciconiæ erga parentes, vetus traditio, apud Aristotel. et Plin. unde a Romanis *pia avis* vocabatur. Quidam etiam concordiæ imaginem fuisse colligunt ex hoc versu Juven. I, 116, «Quæque salutato crepitat Concordia nido». — *Crotalistriæ* appellationem confirmat Ovidii descriptio ciconiæ, Metam. VI, 97, «crepitante ciconia rostro». Hadr. Junius tamen, Animadv. VI, c. 15, voluit, *glottoristria*, aut, ut alii, *choralistria*, id est, joculatrix.

7. *Exsul hiemis*, quæ hiemem fugit, ut *patriæ exsul* Horat. Carm. II, 16, 19. — *Titulus tepidi temporis*, h. e. index et nuntia veris.

8. *Nequitiam* h. l. appellat luxuriam, quia scelus videtur esse in avem *pietaticultricem*. — *Cacabus* vas æneum, quo pulmentarium coquitur : alii volunt *in cacabo fecit tuo*, ut superioribus hoc melius respondeat.

9. *Quo margarita*, plurali numero et quarto casu hoc accipiendum

An ut matrona ornata phaleris pelagiis,
Tollat pedes indomita in strato extraneo?
Smaragdum ad quam rem viridem, pretiosum vitrum?
Quo Carchedonios optas ignes lapideos,
Nisi ut scintillent? probitas est carbunculus?
Æquum est induere nuptam ventum textilem?

est; nam *margaritum* dicit Noster, cap. 63; et alii poetæ post τὸ *quo* casum quartum solent ponere; ut Horat. Epist. I, 5, 12: « Quo mihi fortunas, si non conceditur uti ». Ovid. Am. III, 4, 41: « Quo tibi formosam, si non nisi casta placebat ». — *Tribacca*, quæ tribus baccis seu unionibus constant. Testatur Seneca, de Benef. VII, 9: « Video uniones non singulos singulis auribus comparatos... junguntur inter se, et insuper alii binis superponuntur ». Scaliger dedit *cara tibi, bacca Indica*. Quam ipsi dedimus, lectio Tragur. codicis et primæ editionis est. Burmannus vero scribi vult: « Quo margarita tibi cara, tribacca, Indica ».

10. *Phaleræ pelagiæ*, ornamenta marina, ut *pelagiæ volucres* apud Nostrum, cap. 109. — *Ornata* Tragur. et vulgatæ; alii malunt *onerata*, quod defendi ex Horatio potest, Epod. VIII, 14: « Nec sit marita, quæ rotundioribus Onusta baccis ambulet ».

11. *Tollat pedes*: ad rem Veneream pertinere hoc, apparet e Martial. II, 72. — *Indomita*, equæ indomitæ similis, ob libidinem — *In strato extraneo*, toro alieno. Sic Juvenalis, adulterium increpitans, VI, 21: « vetus est, alienum, Postume, lectum Concutere ».

12. *Ad quam rem*, idem ac *quo*, quod hactenus usurpavit. — *Smaragdus viridis*, nobilissima gemma Veteribus, post adamanta. — *Pretiosum vitrum* vocat ob perlucidam viriditatem: iis etiam usos esse ad specula, loco vitri, Burmannus observat e Plin. XXXVII, 5.

13. *Carchedonios* vocarunt genus carbunculorum, *propter opulentiam Carthaginis magnæ*, ut ait Plinius, XXXVII, 7. — *Ignes lapideos* vocat eos per appositionem, quod flagrantissimo fulgore sunt. Claud. IV Cons. Hon. 604: « Quis junxit lapides ostro? quis miscuit ignes Sidonii Rubrique maris ».

14. *Probitas est carbunculus?* An probitatis et virtutis decor in externo gemmarum splendore quærendus?

15. Fragmentum Tragur. utrumque habet *inducere*, et posterius *ventrem textilem*, mendose: *induere* Scaliger, et hoc suadet ratio carminis. — *Ventus textilis*, vestis tenuissima, ventum subtilitate propemodum æquans. — Interpretes prolixe illas perlucidas vestes illustrarunt; ad quas referendum illud Plinii, XXXV, 9: « Polygnotus Thasius primus mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris, etc. » et Justin. XXXVIII, 8, de Ptolemæo Physcone: « Quam fœditatem nimia subtilitas perlucidæ vestis augebat, prorsus quasi astu inspicienda præberentur, quæ omni studio occultanda pudibundo viro

Palam prostare nudam in nebula linea?

erant »: quæ loca adscripsit Brouckusius. Ed.

16. *Nebula linea*, ut ille ventus textilis, linteum tenuissimum est, in quo corpus transpareat, quasi per nebulam. Sic in fragmentis de ancupio, t. I hujus Edit. p. 180 observavimus, *nebulas* vocatas esse retium genus, quæ expansa in aere et fluitantia involabant aves. Fragm. Tragur. legit *in nebula lunæ*; fortasse *lanea nebula* voluit, de qua agit versus Ovidii, Met. VI, 21: « Vellera mollibat nebulas æquantia tractu ». — *Nudam prostare* dicit, quasi meretricem in fornice, ut de Messalina Juven. VI, 123, « nuda papillis Prostitit auratis ». — *Palam* autem prostat, quia in publicum procedit, et *tenuitate vestium nudam se omnium oculis ingerit*, ut scribit Hieronymus ad Helvid. Iisdem fere verbis hanc impudentiam castigat Seneca, de Benef. I, 9.

VI*.

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quod non sunt faciles; at albus anser,
Et pictis anas enovata pennis,

* Exstat Petronii, c. 93. — Apud Scal. in Catal. p. 214. Ed.

1. *Petita Colchis*, qui ad Phasin fluvium incolunt, unde primum Argonautæ detulisse dicuntur avem, Græcorum et Romanorum conviviis celebratam, quæ similis putatur fuisse nostratibus Phasianis. Vid. carmen de Mutat. Reip. v. 36; Martial. III, 58, 16: « Et impiorum Phasiana Colchorum ». Idem meminit XIII, 72, et Manil. Astr. lib. V, p. 376.

2. *Afræ volucres*, gallinæ Numidicæ, quæ et meleagrides vocantur, de quibus superiore fragmento, v. 4. *Afra avis* Horat. Epod. II, 51, et Juven. XI, 137. Easdem cum Phasianis conjungit Martial. XIII, 45: « Si Libycæ nobis volucres et Phasides essent, Acciperes; at nunc accipe chortis aves ». Pro *Afræ* in codice Scaligeri Petroniano legebatur *aeriæ*, vitiose.

3. *Faciles*, scilicet paratu. Ovid. Met. XIII, 831: « Nec tibi deliciæ faciles, vulgataque tantum Munera contingent, damæ, leporesque, capræque ». Hic Petronio consentit Seneca, Consol. ad Helv. cap. 9: « Pretiosos cibos non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas et difficultas parandi facit ».

4. Scaliger, in Catalectis, hunc versum sic edidit e codice suo: *Et pictis atagen opaca pennis*, eumdemque secundum hujus epigrammatis fecit. At vitiosam hanc esse lectionem, ostendit vox *atagen* prima brevi posita, quæ apud alios semper longa est, et videtur hic *attagen* nominatus, quia eumdem Afræ volucri junxit Horatius, II, Epod.

Plebeium sapit; ultimis ab oris
Attractus scarus, atque arata Syrtis
Quidquid naufragio dedit, probatur,
Mullus jam gravis est; amica vincit
Uxorem; rosa cinnamum veretur:
Quidquid quæritur, optimum videtur.

51 : « Non Afra avis descendat in ventrem menm, Non attagen Ionicus ». Rectins hic anas ponitur post anserem; nt dnæ aves domesticæ opponantur duabus peregrinis, Phasidi et Numidicæ. Quidam legunt *anas renovata*, male; alii *anas inchoata pennis*. Jungermanno placebat *enotata*, quod et ego malim : nam *natæ* vocantur maculæ pennsrum in avibus. — Vid. dicta ad Nemesiani fragm. de ancnp. v. 13, hujus ed. tomo I, p. 183. Ed.

5. *Plebeium sapit*. Vid. superius carmen de Mutat. Reip. v. 7 seqq.

6. De *scaro* egimus ad carmen de Mutat. Reip. v. 33. Ab Eoo mari scaros tempestate actos advehi Horatius dicit Epod. II, 49. — *Arata Syrtis*, i. e. navigata : sic plures editiones. Scaliger in Catalectis edidit *Attractus scarus est, et Afra Syrtis*. Sed Afra Syrtis hoc versn, et paullo ante Afræ volncres ineleganter repetuntur.

7. *Probamus*, Scaliger et alii, male. Hunc et superiores versus egregie declarat Latinus Pacatus, Panegyr. Theodosii, cap. 14 : « Appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimantes, illis demum cibis adquiescebant, quos extremns Oriens, ant positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa nsufragiis maria misissent, quos invitæ quodam modo reluctantique naturæ hominum pericula rapuissent ».

9. *Rosa cinnamomum vetus* in schedis manuscriptis Scaligeri legebatur, unde prius ipse tentaverat *cinnamum vietum*, sc. vincit : postea ipse reposuit *cinnamum veretur*. Juvenal. XI, 121 : « Nil rhombus, nil dama sapit, putere videntur Unguenta atque rosæ ».

VII*.

Non satis est, quod nos mergis, furiosa juventus;
Transversosque rapit fama sepulta probris?

* Legitur inter fragmenta Petronii, et Scaliger edidit in Catalectis, lib. I, tit. 1; Burmannns sec. Anthol. lib. III, ep. 133. Inducitur civis Romanus invehens in servorum et libertorum lnxuriam.

1. *Non* pro *An non*, prr interrogationem. — *Nos* cives, ingenue natos et liberos. — *Mergis*, exitio das. Vid. quæ de hoc verbo diximus ad Petronii superius carmen, v. 58.

2. *Fama sepulta* alias est intermortua, cujus memoria interiit : hic esse videtur obsita, obruta, op-

Anne etiam famuli cognata fæce sepulti
 In testâ mersas luxuriantur opes?
Vilis servus habet regni bona, cellaque capti
 Deridet festram, Romuleamque casam.
Idcirco virtus medio jacet obruta cœno:
 Nequitiæ classes candida vela ferunt.

pressa libidinibus et stupris; hæc enim maxime *probri* vocabulo indicari solent. *Probra libidinum* dicit Suet. in Claud. c. 26, et *probrosas feminas* stupris infames, in Domit. c. 8. Vid. Festus in *probrum*.

3. Quare *fæcem* famulis vel servis *cognatam* dicat, non satis liquet: quum tamen *fæx hominum* passim vilissima turba vocetur, suspicor hic *fæce cognata sepultum* dici infimæ sortis hominem, vel servum, in fæce et vilissima turba similium hominum ita latentem, ut nulla re notabilis, nullo in honore sit, atque adeo *fæce sepultum* opponi iis, quibus ante fama aliqua, licet probris sepulta, tributa erat. — Apud Claud. in Eutrop. I, 211, legitur *jure sepultum mancipium*, quod Gesnerus exponit de homine, qui non magis numerari in hominibus debet quam cadaver. Et hoc Claverius exponit de civiliter mortuo, adsentiente Heinsio: sed merito duram hanc interpretationem censuit Burmannus, et *jure repulsum Mancipium* conjecit, vel *jure sepulto* legit, ut *fama sepulta* præcedente versu pro obscurata, quod in notis pluribus illustrat. Hoc tamen in loco mihi *famuli sepulti*, et paullo ante *fama sepulta* graviter de mendo suspectum est; sed quid substituam, hæreo. Ed.

4. *Luxuriantur*, positum putant pro, luxuriose profundunt. Sed præstat pro *mersas* legere *mersæ*, quod et alii censuerunt. Et famuli opes in testa mersæ luxuriari dicuntur, h. e. servuli opes magna cum profusione in olla et cacabo mergi, in cibariis et epulis opiparis absumi. Sic Seneca, Consol. ad Helv. c. 10, dicit, Apicium opes suas *in culinam congessisse*, et Plinius, lib. IX, c. 17, coquum esse, qui *peritissime censum domini mergat*.

5. *Capti* pro captivi, i. e. mancipii. Similiter Juvenalis, VII, 201, « Servis regna dabunt, captivis fata triumphos ». — *Cellæ* dicebantur servorum. — *Festra* erat, auctore Gniphone Grammat. apud Macrob. III, 12, ostium minusculum in sacrario Capitolii extremæ antiquitatis, ob quam etiam nomen ejus *festra*, quamvis obsoletum, mansit. *Festam*, quod hic scribunt Scaliger et alii, erroneum et mendosum est. — *Casa Romuli* quoque humilis et stramento tecta servari in Capitolio et continuo reparari solebat; cujus meminerunt Dionysius Halic. Ovidius, Vitruvius, Seneca et alii. De utraque vid. Justus Rycquius de Capitol. Rom. cap. 44. Ingeniose Barthius, Advers. XXIV, 4, legit *Deridet Vestam Romuleamque casam*, ut antiquissimum Vestæ delubrum cum casa Romuli conjungatur.

8. *Candida vela*, secundis ventis inflata: *candida* dicuntur omnia felicia. Sic et Ovid. Art. Am. II, 6.

VIII*.

NOMEN amicitiæ si quatenus expedit, hæret,
  Calculus in tabula mobile ducit opus.
Quum fortuna manet, vultum servatis amici;
  Quum cedit, turpi vertitis ora fuga.
Grex agit in scena mimum: pater ille vocatur,
  Filius hic, nomen divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
  Vera redit facies, dissimulata perit.

* Exstat hoc epigramma in Petronii Satir. cap. 80. Exscripsit Jo. Sarisberiensis, Polycrat. lib. III, cap. 7: secundum etiam distichon allegat lib. VIII, cap. 3. Edidit Scaliger in Catalect. lib. I; p. 200; H. Stephanus in Fragm. Poet. p. 403; Burmannus sec. Anthol. Lat. lib. III, ep. 158.

1. Sensus hujus distichi, paullo obscurior, ita videtur exponendus. *Hæret* quidem, manet et usurpatur inter homines *nomen amicitiæ, si quatenus expedit;* ii tamen, qui amici dicuntur, perpetua mobilitate, quasi calculi in tabula, in duas factiones scissi, ludus faciunt, seque invicem petunt et vexant tamquam hostes. Similem huic sententiam Terentius habet, Adelph. IV, 7, 21: « Ita vita est hominum, quasi quum ludas tesseris ».

4. *Quum cecidit* habet Sarisberiensis, Stephanus, Scaliger, et editiones Petronii, quas videre contigit. Sed Douza correxit *quum cedit*, idque probavit Burmannus ad Gratii Cyneg. v. 9, et in sua editione Petronii expressit. Omnino præcedenti *manet* melius respondet *cedit*, neque tamen hoc ita necessarium esse puto, ut τῷ *manet* non æque opponi τὸ *cecidit* possit, si quidem et *stare* sæpe pro *manere* ponitur.

5. *Grex*, dicitur ludionum vel scenicorum turba, ut in Terent. Prol. ad Heaut. v. 45.

7. *Pagina* est charta vel volumen, in quo scriptæ sunt scenæ vel partes ridendæ, quæ personarum imitatione risum movent. Has ubi inclusit pagina, h. e. implicuit volumine convoluto, quod fieri solet actione ipsa finita, atque adeo ubi finita est actio et recitatio. Vid. de sensu hujus loci Gronovius in Diatr. Stat. cap. 29.

8. *Dissimulata* vix locum habere potest. Douza, Barthius et alii legendum censuerunt *assimulata perit*. Ad phrasin declarandam facit locus a Burmanno adductus Senecæ, epistola XXIV: « Non hominibus tantum, sed et rebus, persona demenda est, et reddenda facies sua ».— Lucret. III, 55 sq. ubi docet, homines in rebus adversis et ærumnis maxime spectari quinam vere sint: « Quo magis in dubiis hominem spectare periclis Convenit, adversisque in rebus noscere qui sint; Nam veræ voces tum demum pectore ab ipso Eliciuntur, et eripitur persona, manet res ». ED.

IX*.

NAM citius flammas mortales ore tenebunt,
Quam secreta tegant: quidquid dimittis in aula,
Effluit, et subitis rumoribus oppida pulsat.
Nec satis est vulgasse fidem; simulatius exit
Proditionis opus, famamque onerare laborat.
Sic commissa verens avidus reserare minister
Fodit humum, regisque latentes prodidit aures.
Excepit nam terra sonos, calamique loquentes

* Exstant hi versus inter fragmenta Petronio adjecta. *De aulicorum vanitate* inscripsit Scaliger, in Catalect. lib. I, p. 236. Protulit etiam Burmannus sec. Anthol. Lat. lib. III, ep. 125.

1. *Citius flammas*; proverbialis formula est, quam indicat Cicero, de Orat. lib. II: « Dicere aiunt Ennium, flammam facilius a sapiente ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat ». Confer. cum his Petronii locus Juvenal. IX, 102: « O Corydon, Corydon! secretum divitis ullum Esse putas? etc ».

2. *Dimittis in aula.* Ex hoc verbo fortasse Scaliger collegit, de aulicis agi hoc carmine, quum potius omnium hominum, sed maxime servorum, loquacitatem et perfidiam reprehendat: nam *aula* etiam de atrio, vel quavis domo potest accipi. Et fateor, non parum adridere lectionem, quam Fraucio placuisse Burmannus refert, *quidquid demittis in aurem*. Nam *demittere, dicere in aurem* frequens est, in primis Horatio, qui Art. Poet. v. 180: « Segnius irritant animos demissa per aurem, etc. ». Idem *dicere in aurem* usurpat Serm. I, 9, 9; et Epist. I, 18, 70: « Nec retinent patulæ commissa fideliter aures ».

3. *Pulsat*, commovet et fatigat. Valer. Flaccus, Argon. lib. II, 121, de Fama, « terrasque fatigat, Quas datur..... et motis quatit oppida linguis ». Vid. quæ diximus ad carm. de Mut. Reip. v. 216.

5. *Proditionis opus*, h. e. ipsa proditio: *simulatius exit*, h. e. ita fit proditio, ut simul summa fides et taciturnitas simuletur. — *Famam onerare*, omnem invidiam conferre in famam laborat.

6. Sic versum illum enuntiat Fulgent. Mythol. lib. III, c. 9. — Sed *ferens* et *magister* lego in cod. P. Danielis. ED. — Tornæs. et plures alii ediderunt *Sic commissa ferens*, et Scalig. e cod. suo dedit *avidos servare*. At rectius se habere videtur lectio Fulgentiana, quam et versus Ovidii confirmant, qui totam hanc fabulam de Midæ auribus, a famulo terra effossa proditis, narrat Metam. XI, 184: « Viderat hoc famulus, qui quum nec prodere visum Dedecus auderet, cupiens efferre sub auras ».

8. Fulgentius legit *Concepit*, et sic vulgatæ Petronii editiones. Sca-

Invenere Midam, qualem narraverat index.

liger tamen edidit *Excepit*, quem et alii sequuntur.

9. *Invenere fidem* Scaliger dedit e vitiosa codicis sui scriptura, sed *Midam* Fulgentius et vulgatæ Petronii editiones habent. Rursus pro *narraverat*, quod in Petronii exemplaribus est, Fulgentius legit *conceperat;* male sine dubio, nisi forte *conspexerat* voluit. Contra pro *invenere*, quod in Petronio æque ac Fulgentio exaratum est, rectius fortasse scribas *insonuere*, vel *incinuere*, ut Salmasius et Palmerius, in Fulgentii ille, hic in Petronii margine, emendaverant. Certe hoc insinuat ipsa fabula apud Ovidium, Metam. XI, 190, ut recte in notis ad Petron. monuit P. Daniel, et quod inde repetiit Ausonius, epist. XXIII, 20: « Inspirata dehinc vento cantavit arundo ». Verba per calamos e terra emissa Persius, Sat. I, 121, dicitur primum sic enuntiasse, *Auriculas asini Mida rex habet;* deinde metu Cæsaris mutasse *quis non habet?*

IV.

TURNI

FRAGMENTUM SATIRÆ IN NERONEM *.

ERGO famem miseram, aut epulis infusa venena,
Et populum exsanguem, pinguesque in funus amicos,
Et molle imperii senium sub nomine pacis,

* Turno auctori cur adscripserim, et quinam vulgaverint hoc fragmentum, exposui in prooemio.

1. *Famem miseram* intelligo, non publicam, sed damnatorum fame enectorum. Testis sit Sueton. Ner. cap. 36: « Damnatorum liberi Urbe pulsi, enectique veneno aut fame. Constat, quosdam cum pædagogis et capsariis uno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere ». Ex hoc loco etiam intelliguntur, quæ sequuntur, *epulis infusa venena*, item ex his, quæ cap. 35, Suetonius dicit: « Libertos divites et senes veneno, partim cibis, partim potionibus indito, intercepit ».

2. *Populum exsanguem*, exactionibus, rapinis et tributis exhaustum. *Civitatem sine succo et sanguine* dicit Cicero ad Attic. IV, 16. De Nerone Sueton. cap. 38: « Collationibus non receptis modo, verum et efflagitatis, provincias privatorumque census prope exhausit. » — *Pingues in funus*, quasi saginatos ad mactandum, h. e. honoribus opibusque auctos, ut affligeret deinde et eorum bona involaret. Simile huic dictum est, quo Vespasianus dicebatur procuratoribus rapacibus, ad ampliora officia promotis, uti pro spongiis, quod quasi siccos madefaceret, et exprimeret humentes. Suet. cap. 16. — Simili phrasi in gladiatore describendo utitur Cyprian. lib. IV, ep. 2: « Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvina assidui nidoris membrorum moles robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam, carius pereat ». Ed.

3. *Sub nomine pacis*. Burmannus putat, respici forte Petronium Turpilianum, de quo Tacit. Ann. XIV, 39: « Durante bello tradere exercitum Petronio Turpiliano (Suetonius) jubetur. Is non irritato hoste, neque lacessitus, honestum pacis nomen segni otio imposuit ». *Imperii senium* etiam agnoscit Florus in procem. dum ait, *inertia Cæsarum*

Et quodcumque illis nunc aurea dicitur ætas,
Marmoreæque canent lacrymosa incendia Romæ,
Ut formosum aliquid, nigræ et solatia noctis.
Ergo re bene gesta, et leto matris ovantem,
Maternisque canent cupidum concurrere Diris,
Et Diras alias opponere, et anguibus angues,
Atque novos gladios pejusque ostendere letum.
Sæva canent, obscœna canent, fœdosque hymenæos
Uxoris pueri, Veneris monumenta nefandæ.
Nil Musas cecinisse pudet, nec nominis olim
Virginei, famæque juvat meminisse prioris.
Ah! pudor exstinctus, doctæque infamia turbæ
Sub titulo prostant: et quis genus ab Jove summo,
Res hominum supra evectæ et nullius egentes
Asse merent vili, ac sancto se corpore fœdant.

imperium Romanum *quasi consenuisse atque decoxisse*.

6. *Ut formosum aliquid*, quomodo ipse Nero prædicabat, qui, teste Suetonio, c. 38, *lætus flammæ pulchritudine*, ut ipse aiebat, incendium e turri Mæcenatiana prospectabat. — *Nigræ solatia noctis;* hoc de damnatis incendii crimine memorat Tacitus, Ann. XV, 44: « Pereuntibus addita ludibria..... ut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur ». — Vid. infra not. 26. Ed.

8. *Maternis cupidum concurrere Diris.* Sueton. Ner. cap. 34: « Neque tamen conscientiam sceleris ferre potuit, sæpe confessus, exagitari se materna specie, verberibusque Furiarum ac tædis ardentibus ». Historici Neronem summopere expavisse matris Diras, quin evocare adeo Manes ejus et exorare conatum esse, memorant. Contra adulatores poetæ, quos hic Turnus exagitat, minime pavidum, sed ferocientem potius, et apparentibus matris Diris insultantem minantemque descripserunt.

12. *Uxoris pueri.* Intelligit puerum Sporum, quem, ut Suet. cap. 28 refert, « exsectis testibus etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est, et cum dote et flammeo, nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad se pro uxore habuit ». Conf. Dio Cass. lib. LXIII. — Perperam hic designari putat Burmannus libertum Pythagoram, de quo Tac. Annal. XV, 37. Ed. — *Veneris monumenta nefandæ* hemistichion Virgilii est, Æn. VI, 26.

16. *Sub titulo prostant*, quasi meretrices et prostibula; hine mox: *Asse merent vili.* Cellæ meretricis, in fornice prostantis, præfixus erat titulus, in quo nomen meretricis et stupri pretium erat perscriptum. Juven. Sat. VI, 123: « Prostitit..., titulum mentita Lyciscæ ».

Scilicet aut Menæ faciles parere superbo,
Aut nutu Polycleti, et parca laude beatæ,
Usque adeo maculas ardent in fronte recentes,
Hesternique Getæ vincla et vestigia flagri.
Quin etiam patrem oblitæ et cognata Deorum
Numina, et antiquum castæ pietatis honorem,
Proh! Furias et monstra colunt, impuraque turpis
Fata vocant Titii mandata, et, quidquid Olympi est,

19. *Scilicet aut Menæ faciles*, etc. Cuicumque servo aut liberto Cæsaris superbo submittunt se ac fœde adulantur. *Menas* celeber libertus Sexti Pompeii, qui ejus classem Augusto prodidit. Suet. Aug. c. 74, et Dio, lib. XLIX. Hic pro quovis liberto Cæsaris ponitur. Nam Neroni etiam libertum Menam fuisse, non me legere memini. — Menam illum Sexti Pompeii libertum integro carmine exagitat Horat. Epod. IV. Ed.

20. *Polycletus*, libertus Neronis, rapinis notus, apud Dionysium, lib. LXIII, in Britanniam missus cum exercitu. Tacit. Annal. XIV, 39.

21. *Maculas in fronte*, stigmata, quæ frontibus servorum nequam inuri solent. Adeo insaniunt Musæ circa libertos Cæsaris, ut notas adeo servitutis adhuc recentes, frontibus eorum impositas, amare videantur.

22. *Getæ* frequens nomen servorum est apud comicos, quo et alii poetæ uti pro quolibet servo solent. Vid. Propert. IV, 5, 44; Ovid. Art. Am. III, 332, et qui plura de usu nominum comicorum congessit Gronovius, Observ. in Script. Eccles. cap. 2. — *Hesternus Geta* hoc loco servus vixdum manumissus, qui heri adhuc serviit. Sic *hesterni Quirites* apud Persium, III, 106, sunt liberti admodum novi, heri modo jure Quiritium donati. *Heri servum, hodie liberum* dicit Ulpianus in leg. Prætor edixit, D. de injuriis, de quo loco vid. Muretus, Observ. jur. cap. 5. — *Vestigia flagri* sunt nota indicia servi. Fortasse expressit Petronium, cap. 126: « Viderint matronæ, quæ flagellorum vestigia osculantur », i. e. servos.

25. *Furias et monstra colunt*, dum suspiciunt et laudant, quidquid a Nerone ejusque libertis furiose et immaniter factum.

26. *Titii mandata*, quidquid jusserit Titius, id adeo venerantur, ut fata ipsorum Deorum dicant. Quem hic Titium vocet, equidem certum non habeo. Balzacius Tigellinum, præpotentem Neronis libertum, et præfectum prætorii, indicari putavit, neque ego potiorem novi. Fortasse Turnus hoc loco, nomine Tigellini mutato, id ipsum cavere voluit, quod Juvenalis Sat. I, 155, monuit: « Pone Tigellinum, tæda lucebis in illa, Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant »; h. e. Si Tigellinum nominatum carpere audeas, vivus ardebis. Potentiam ejus et sævitiam, eunctis terribilem, facile ex hoc loco colligas. Merito autem Turnus eumdem *turpem* vocat, qui infamem illam Ne-

Transcripsere Erebo. Jamque impia ponere templa,
Sacrilegasque audent aras, cæloque repulsos
Quondam Terrigenas superis imponere regnis,
Qua licet; et stolido verbis illuditur orbi.

ronis cœnam apparaverat, quam Taeitus, Ann. XV, 37, Suet. e. 27, et Dio Cass. lib. LXII memorant, et ejus *flagrantissima flagitia et adulteria* nominat Taeitus, XIV, 51.

27. *Transcripsere Erebo*, honorem Diis et divinis rebus debitum impertiunt illis monstris, Orci satellitibus.

28. *Sacrilegasque aras.* Equidem nec Neroni nec amieis ejus templa et aras, certe non Romæ, positas memini. Sed hic maxime poetas incusat, qui Neroni, quamquam sceleribus omnibus obruto, ita adulati sunt, ut cælestia ejus omnia vocarent, eique divinos honores et quasi templa arasque dicarent. Taeitus, Ann. XIV, 15: « formam Prineipis vocemque Deum voeabulis appellantes ». Conf. Sueton. e. 21. Etiam Lueanus, qui poetarum ejus ætatis solus hodie superest, initio Pharsaliæ, v. 33 seqq. documentum fœdæ adsentationis in Neronem præbet, qui ei præcipuum in Diis locum adsignat, suum numen in terris esse profitetur, et mala civilis belli omnia probat, si iis demum felix Neronis imperium effiei debuit.

TURNI

ALIUD FRAGMENTUM *.

Ex quo Cæsareas soboles horrenda Locusta
Occidit, Circe inter vernas nota Neronis.

* Hoc fragmentum a scholiaste Juvenalis ad Sat. I, 71, prolatum sic ibi legitur valde corruptum: « Ex qua Cæsareas soboles horrida Locusta Occidit cura sui verna nota Neronis. » Casaubonus, de Rom. Sat. lib. II, c. 3, in priore versu *homicida Locusta* legit, in quo alii *horrenda* malunt; in altero *Occidit, curæque veneni admota Neroni est.* Hunc Barth. Advers. XXIV, c. 11, sic refingit, *Occidit, Circes vi vernæ nota Neroni*; et iterum, *cura vi-varia nacta Neronis*, nempe prædia a Nerone donata. — Pet. Pithœus, in nota ad veteris scholiastæ Juvenalis locum, sic scribit: « Apud Vallam sic hi versus referuntur: Ex quo Cæsareas soboles Locusta cecidit, Horrendum curas dum liberat atra Neronis ». Ed. — Plures aliorum emendationes memoravit auctor Animad. in Juven. ejusque Scholiasten, in Miscell. Observatt. vol. V, pag. 264. Ipse in hac acquiescit: *Et quo Cæsaream sobolem Locusta cecidit Horrida, cæde suis vernæ jam nota Neroni;* atque huic conjecturæ fidem facit e Suetonio, Ner. c. 33, ubi venenum refert, antequam Britannico daretur, in cæde porcelli probatum esse. Ego ipse lectionem ejus fragmenti constitui, quam maxime probabilem et vestigiis corruptæ scripturæ inhærentem judicarem; quamquam nec hanc spreverim: « Occidit, curans sævi fera vota Neronis ». *Circes* nomen poetico more et aptissime usurpatum de Locusta, quam *venenariam inclytam* esse Suetonius dicit. Eamdem Turnus *notam inter vernas Neronis* dicere potuit, quam et familiarem Neroni fuisse scholiastes notat, et alii scriptores, operam ei navasse ad libertos et familiares ejus veneno tollendos, inprimisque venenum Britannico dandum, juxta Cæsaris cubiculum coxisse, atque inter epulas, et inter vernas cœnæ ministrantes, præbuisse memorant. Tacitus, Ann. XII, 66, XIII, 16; Suetonius, cap. 33. Meminit ejusdem veneficæ Juvenalis eo versu, ad quem fragmentum Turni adductum est: « Instituitque rudes melior Locusta propinquas ». Cætera autem, quæ de Locusta e Tacito, Suetonio, Dione Cassio et Scholiaste Juvenalis constant, hæc fere sunt: ortam fuisse e Galliis, Romæ veneficii damnatam esse; accitam primo ab Agrippina Claudium veneno necasse, deinde a Nerone Britannicum, accepisseque ab eo pro navata opera impunitatem prædiaque ampla; tandem Galba rerum potiente supplicio adfectam. — Cramer, p. 29. Ed.

DE SULPICIA

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Val. Martialis, lib. X, epigr. 35.

Omnes Sulpiciam legant puellæ,
Uni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos adserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestæ;
Scyllam, Byblida nec fuisse credit:
Sed castos docet et pios amores,
Lusus, delicias, facetiasque.
Cujus carmina qui bene æstimarit,
Nullam dixerit esse nequiorem,
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Egeriæ jocos fuisse
Udo crediderim Numæ sub antro.
Hac condiscipula, vel hac magistra,
Esses doctior et pudica Sappho.
Sed tecum pariter simulque visam
Durus Sulpiciam Phaon amaret.
Frustra: namque ea nec Tonantis uxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto sibi viveret Caleno.

De Caleno Sulpiciæ marito conf. ejusdem libri epigr. 38.

II. Ausonius in epilogo ad Cent. Nuptial.

Meminerint autem, quippe eruditi, probatissimo viro Plinio in poematis lasciviam, in moribus constitisse censuram: prurire opusculum Sulpiciæ, frontem caperare.

III. Sidonius Apoll. Carm. IX ad Felicem, v. 260.

Non Gætulicus hic tibi legetur,
Non Marsus, Pedo, Silius, Tibullus;
Non quod Sulpiciæ jocus Thaliæ
Scripsit blandiloquum suo Caleno.

IV. Scholiastes Juvenalis antiquus ad Sat. VI, v. 537, profert Sulpiciæ versiculos *Ne me cadurcis*, etc. (1).

V. Jul. Cæs. Scaliger in Hypercrit. cap. 6, pag. 838.

Aiunt Sulpiciam fuisse temporibus Domitiani: ejus Satira falso Ausonio attributa fuit; satis enim patet a femina factos versus, in quibus Musa cultricem appellat suam: quæque ait sese primam docuisse Romanas mulieres posse cum Græcis poetriis comparari,

Primaque Romanas docui contendere Graiis.

In ea multum dexteritatis, ad Satiricam amarulentiam adspirantis. Numeri vero, ut in eo genere poematis, non contemnendi. Igitur, ut tam laudabilis heroinæ ratio habeatur, non ausim objicere ei judicii severitatem.

VI. Is. Casaubonus de Satir. poes. lib. II, cap. 3.

Sulpicia, poetriis illorum temporum præstantissima, vel ex Martialis epigrammate 35, lib. X nota est. Hujus exstat

(1) Vid. Cramer, p. 252, in veterem hunc Scholiasten Juvenalis. Ed.

carmen, quo in Domitianum tunc est invecta, quum philosophos Urbe expulit edicto. Non erraverit judicio meo, qui Satiram id poema nominaverit. Eruditionem tamen et probitatem nobilissimæ feminæ ex carmine potius laudes, quam acrimoniam et ad satiricos morsus εὐφυΐαν. Lacertis enim caret oratio et ἀγωνιστικῷ spiritu.

VII. Ger. Jo. Vossius de Poet. Lat. cap. 3, pag. 47.

Sulpiciæ Satira exstat unica. Sed castos præterea amores scripsit marito Caleno. Meminit eorum, præter Martialem (qui lib. X, epigr. 35 impense laudat), Sidonius Apollinaris carm. IX. Credo ex iis esse illud apud Juvenalis interpretem in Sat. VI, *Ne me cadurcis*, etc.

VIII. M. Zuer. Boxhornius, Comment. in Sulp. Satir. p. 23.

Satira Sulpiciæ Romanæ tam erudita, elegans et nervosa est, tantique eo nomine a viris maximis semper habita, ut non tantum cum ejus generis virorum scriptis possit contendi, sed et nonnullis eorum debeat præferri.

V.

SULPICIÆ SATIRA

DE CORRUPTO STATU REIPUB. TEMPORIBUS DOMITIANI, PRÆSERTIM QUUM EDICTO PHILOSOPHOS URBE EXEGISSET *.

MUSA, quibus numeris Heroas et arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis.
Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans
Consilium: quare nec carmine curro Phalæco,

* De edicto, quo Domitianus philosophos Urbe et Italia submovit, agunt Sueton. Dom. cap. 10; Dion Chrysost. Orat. 40; Gel. lib. XV, cap. 11; Philostr. vit. Apoll. lib. VII, c. 4.

1. *Musa, quibus*, h. e. O Calliope! concede mihi, ut sermonem tecum instituam, vel paucis tecum confabuler, eo versu, quo tu magnorum Heroum facta et arma describis, i. e. carmine heroico, cujus præses est Calliope. Etiam Juvenalis, Sat. IV, 34, Calliopen invocat, sed ridicule, ut in re nugatoria et vili: Sulpicia magis graviter et serio. Per *Heroas et arma* respicere ad Virgilii *Arma virumque* videtur. — *Frequentas*, celebras, vel frequenter memoras, celebres reddis.

2. *Fabellam* interpretare confabulationem vel sermonem: nam fabula, a *fando* dicta, omnem narrationem, sive fictam, sive veram, denotat. Similiter Horatius Satiras suas sermones appellat. Pro *paucis* legendum censet *pacis* Nic. Heinsius in Epist. ad Munckerum, tomo V, Syll. Burm. p. 393, et Sulpiciam hoc velle putat: Permitte mihi iis numeris, quibus Heroas et arma celebras, pacis fabellam detexere, in quam porro tota Satira invehitur.

3. *Tibi secessi*, h. e. tua caussa secessum petii, ut tecum sola agerem. Secessum poetæ meditaturi et secretum amant, idque sæpe laudant, et *antrum* appellant. Vid. Horat Carm. II, 1, 39; III, 4, 40. — *Penetrale consilium* arcanum et intimum, *retractans*, ultro citroque agitans, ut etiam *revolvere animo* dicunt.

4. *Quare nec carmine*. Quia tecum

Nec trimetro Iambo, nec qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit, duce Clazomenio.
Cætera quin etiam, quot denique millia lusi,
Primaque Romanas docui contendere Graiis,
Et salibus variare novis, constanter omitto:
Teque, quibus, princeps et facundissima, calles,
Adgredior; precibus descende clientis, et audi.

agere volo, Calliope, propterea nec genere carminis Phalæco, Iambico et Ionio, quibus hactenus, usura sum, sed heroico.

6. *Duce Clozomenio.* Intelligit versum Ionicum, qui *fractus eodem pede*, nempe Iambo, dicitur, indeque σκάζων vel claudicans appellatur, quod postremo loco spondeum pro Iambo habet. Pro *fractus* nescio an *tractus* legendum sit. — *Fortiter irasci didicit*, h. e. forti et violentæ iracundiæ evomendæ accommodatus est, *duce*, h. e. auctore Hipponacte, qui hic dicitur *Clazomenius*, quod Epheso quidem oriundus, propter Athenagoræ et Comæ tyrannidem se Clazomenas, urbem Ioniæ, contulit. De eo Plinius XXXVI, 5. Pro *didicit* ed. Aldi, Pulmanni et Scaligeri *discit*.

7. *Cætera quin etiam.* Scaber hic versus, et sententia ejus cum duobus sequentibus male cohæret. Vexatum inprimis est τὸ *quot denique*. In Aldina edit. legitur *quo denique millia lusi*. Heinsius voluit *quo tot pede millia lusi.* Burmannus vero *quæ mollia denique lusi* amatoria intelligens elegiaca aut lyrica. Vir doctus in Miscell. Observat. vol. VII, t. III, p. 255, monet, *quot* hic positum esse pro *quotquot;* idque firmat versu Catulli : « Adeste hendecasyllabi, quot estis ». Similiter Ausonius, Mosell. 448 : *Ast ego quanta mei dederit se vena liquoris*, pro quantacumque. Sed mihi melius connecti oratio videtur, si τὸ *quot* mutetur in *quod*. Quin etiam, inquit, cætera omitto, quæ sane multa sunt, quod post Phalæcos et Iambos alia millia lusi, üsque Romanas contendere Graiis, et novos variosque sales inducere docui. — *Millia* videtur usurpare pro magno opere vel volumine multorum versuum, ut Ovidius, Trist. II, 567 : « Inter tot populi, tot scripti millia nostri », i. e. tot volumina ejus generis scriptorum, cujus nostra sunt. —Sic etiam Catullus in carmine ad Varrum, XXII, v. 2 : « Idemque longe plurimos facit versus; Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura Perscripta ». Ed.

10. *Teque odgredior*, adloquor iis numeris vel versibus, *quibus* tu *calles princeps et facundissima* Musarum; quam *reginam* vocat Horat. Carm. III, 4, 2. — *Calles*, pro quo alii *polles* voluerunt, defendit Burmannus ex illis Petron. c. 135, « his ego callens artibus ». — Quare inanis est sententia Scioppii Verisim. lib. II, cap. 16, ubi callere principem, pro esse et dici principem, id Latinum non esse contendit, et versum hunc ita mutat : « Teque quibus princeps es facundissima collis, h. e. quibus tu princeps es collis Heliconii et Musarum

Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitat? an terras, et patria sæcula mutat?
Quasque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Nosque jubet tacitos, et jam rationis egenos,
Non aliter, primo quam quum surreximus ævo,
Glandibus et puræ rursus procumbere lymphæ?
An reliquas terras conservat amicus, et urbes;
Sed genus Ausonium, Remulique exturbat alumnos?

maxima diceris ». En.—In *desecnde* volunt Sulpieiam imitari Hor. l. e. *Descende eœlo.* Sed *descende precibus* aliud est ae illud Horatii, et significat, Concede, vel demitte te ad preees, pro quo alii dieunt deferre alieujns precibus, voluntati, ete. quare addit *et audi.* Dieit *ad conditionem descendere* Cœlius ad Cie. VIII 8; *ad omnia descendere paratus* Cæsar, Bell. Civ. III.

12. *Die mihi, Calliope*, est consultantis eum Calliope, ut iu re diffieili; sollieiti est apud Claud. de Laud. Seren. « Die mihi, Calliope, eur tanto tempore differs ».

13. *Terras*, statum imperii, et *patria sæeula*, quæ parentum memoria fuerunt, et quæ uaseentes a parentibus accepimus : quod confirmat vers. seq.

14. *Quasque dedit quondam,* nempe uascentibus nobis, *artes, eripit morientibus*, i. e. brevi perituris, ad mortem adflictis, et sub tyranno in perpetuo mortis metu versautibus. Petron. eap. 98 : « genua ego amplector, ne morientes vellet occidere ». Perperam igitur quidam *morientibus* positum pro mortalibus putant.

15. *Tacitos et jam rationis egenos*, quia jam dicendi et ratiociuandi artibus privati sumus. Post hune versum Scaliger in Catalect. cum editione Aldi et Pulmanni Ausoniana inserunt vers. 20, 21 et 22, omnino eontra ordinem et sensum.

16. *Quum surreximus*, i. e. orti, uati sumus, respieit homioes primos e Deuealionis et Pyrrhæ jactis lapidibus terra surgentes. Sie Hor. Serm. I, 3, 99 : « Quum prorepserunt primis animalia terris, Mutnm et tnrpe pecus ».

17. *Procumbere lymphæ.* Scaliger et Ausonianæ edd. habent *proeurrere lymphæ;* male. *Proeumbere jubet*, ut quadrupedes, atque adeo recidere ad vitam, quam primi homines, pecudum more, agebant. Fortasse oblique hie tangit poetria edietum Domitiani, quo vini usum uberiorem inhibuit Romanis, eoque poetarnm ingenia irritavit, teste Suetonio, Domit. eapp. 7 et 14.

19. *Remulique exturbat alumnos*, i. e. Romanos et Italos. Reete antem *Remuli* legitur, quod prima in *Romulus* semper produeitur, et Romanos *Remi nepotes* dieit Catull. e. 58, *regna Remi* pro urbe Roma Propert. II, 1, 23. *Remuli* dimiuutivum finxisse videtur Satiriea ironia. Ipsum Romuli nomen diminutivum esse dieitur a Romo, primo et vero ejus nomine : Servius ad Æn. I, 273. Dilherrus hie edidit *Romulique*.

Quid reputemus enim? duo sunt quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, et sapientia pacis.
Sed virtus agitata domi, et socialibus armis,
In freta Sicaniæ, et Carthaginis exiit arces,
Cæteraque imperia, et totum simul abstulit orbem;
Deinde, velut stadio victor qui solus Achæo
Languet, et immota secum virtute fatiscit:
Sic itidem Romana manus, contendere postquam
Destitit, et pacem longis frenavit habenis,
Ipsa domi leges, et Graia inventa retractans,

20. *Quid reputemus enim.* Accingit se Sulpicia ad rationem altius repetendam ejus sententiæ, quam modo dixerat, Romanos a Jove spretos et derelictos esse. Romanam rem, ait, crevisse semper virtute belli, stetisse artibus pacis. Artes hæ bello et paci utiles si eripiantur, necessario ipsam rem publicam interituram. *Quid reputemus enim?* h. e. quam enim aliam præsentis calamitatis caussam reputemus?

22. *Virtus* belli primum *agitata*, exercita est *domi*, h. e. in Italia: quare addit *et socialibus armis*, ope sociarum gentium, quas sibi in Italia adjunxerant. Mox *exiit*, progressa est extra Italiam, et Siciliam proximam subegit, et Carthaginem debellavit. Carthagine devicta ad reliquas gentes orbis terrarum manus extendit. Hic ordo et cursus quum fuerit armorum Romanorum, quem historia docet, hinc patet, post versum *In freta Sicaniæ*, ponendum esse *Cæteraque imperia*, quomodo et Pithœus et Scaliger ediderunt; perperam autem fecisse Douzam, Boxhornium, alios, quos Burmannus sequutus est, qui alterum priori præposuerunt, et ibi legerunt *Cætera quæ imperia*. Male etiam pro *exiit* Aldus, Raphelengius et Vinetus dederunt *exilit*, Scaliger *exigit*.

25. *Qui solus*, neiope qui unus omnium *victor.* — *Stadia Achæo*, in curriculo Achaico, vel Græco, in ludis Olympicis, Pythiis, etc.

26. *Fatiscit* quidem, sed *virtute immota secum*, h. e. ut ipsa virtus non labascat, sed constet secum, maneat et duret. Hanc enim comparat deinceps cum virtute Romana, quæ victoriarum suarum fructum capit per pacem et quietem. Pro *fatiscit* legitur *facessit* in edd. Aldi, Raphelengii atque Pulmanni, quod non displicet.

27. *Romana manus*, ipsi Romani, ut versu 47: sic apud Petron. cap. 5: *Hinc Romana manus circumfluat*, i. e. scriptores Romani.

28. *Pacem frenavit*, orbem pacatum rexit imperio, *longis habenis*, imperio longe lateque porrecto et propagato. — Potest tamen quis interpretari *longis* pro *laxis*, nempe ut securitas Romani imperii habenarum remissarum ac ideo longiorum imagine exprimatur. Ed.

29. *Graia inventa*, bonas artes et disciplinas a Græcis inventas, et ad se traductas.

Omnia bellorum terra quæsita marique
Præmia consilio, et molli ratione regebat.
Stabat in his, neque enim poterat constare sine ipsis;
Aut frustra uxori mendaxque Diespiter olim,
« Imperium sine fine dedi », dixisse probatur.
Nunc igitur qui res Romanas imperat inter,
Non trabe, sed tergo prolapsus, et ingluvie albus,
Et studia, et sapiens hominum nomenque genusque
Omnia abire foras atque Urbe excedere jussit.
Quid facimus? Graios, hominumque reliquimus urbes,

31. *Præmia bellorum*, gentes et provincias bello captas. In Petronii carmine de Mut. Reip. v. 32, sunt spolia et opes bello partæ : « Omniaque orbis Præmia correptis miles vagus exstruit armis ». Sic feræ venatu captæ *præmia* vocantur Gratio, 248, et Propert. III, 13, 46. — *Molli ratione*, imperio clementi et mollito per artes liberales.

34. *Imperium sine fine dedi;* sunt verba Jovis apud Virgil. Æn. I, 276; quæ tamen non uxori Junoni, sed filiæ Veneri dixit, unde quidam pro *uxori* volunt *Veneri* legere. Sed et memoria labi potuit Sulpicia.

35. Pro *imperat* habent *inferat* edd. Ald. Raphel. Vineti, Pulm.

36. *Non trabe, sed tergo prolapsus.* Mira sunt, quæ hic comminiscuntur interpretes, ut dictum hoc obscurum explicent. Burmannus ipse, vir magnus, præstare hic dicit, ignorantiam profiteri, quam inepta commentari. At bene rem tetigit, meo judicio, Casaubonus, de Rom. Sat. lib. II, cap. 3, qui proverbialem jocum Græcorum esse dicit: οὐκ ἀπὸ δοκοῦ ἔπεσεν, ἀλλ' ἀπὸ νεῦ, vel ἀπ' ὄνου. Hunc Sulpicia traxit ad obesum projectumque ventrem Domitiani designandum, de quo testatur Sueton. c. 18. Obesitatem hanc plenius descripsit Sulpiciæ cognominis poeta Sulpicius Lupercus, Eleg. de cupiditate, quam alio loco ipsi dabimus, v. 39 : « Defossum in ventrem propulso pondere tergum Frangitur ». — *Ingluvie albus*, h. e. pallidus ex intemperantia et ciborum indigestione. Sic Persius, III, 98 : « Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur ».

39. *Quid facimus?* formula est animi indignantis et culpantis. — *Reliquimus* ediderunt Pithœus et Scaliger, et hoc rectum videtur: alii *relinquimus*. Boxhornius et Burmannus existimant, loqui hic Sulpiciam sub persona philosophorum, quibus urbe exeundum est. Sed apparet, hunc sermonem connexum esse cum versu 41 seqq. quibus certe ipsa Sulpicia loquitur. Potius hæc sententia est: Nos Graios eorumque urbes, quin totam Græciam bello subactam, reliquimus in statu suo, manere et suis legibus uti sivimus, ut essent, a quibus urbs Romana magistros acciperet : nunc quasi Galli quondam Barbari Urbem obsidentes, accedente Camillo, fugantur. — *Hominum* fortasse hoc loco positum est pro *eorum*, nisi

Ut Romana foret magis his instructa magistris:
Nunc, Capitolino veluti turbante Camillo,
Ensibus et trutina Galli fugere relicta;
Sic nostri palare senes dicuntur, et ipsi
Ut ferale suos onus exstirpare libellos.
Ergo Numantinus, Libycusque erravit in isto
Scipio, qui Rhodio crevit formante magistro,
Cætera et illa manus bello facunda secundo,

potius indicare vult, Graios humanitatis artibus et legibus præcipue utentes, et solos hominum nomine dignos esse. — Quod et mihi multo verisimilius videtur. Ed.

41. Camillum *Capitolinum* vocare videtur, quia præcipuam gloriam adsequutus est e Capitolio obsidione liberato. Alias M. Manlius est is, qui Capitolini nomen accepit ob defensum tunc temporis Capitolium. Vid. Liv. lib. V, c. 31 et 47, hinc quidam putant Sulpiciam errasse in nomine.

42. *Ensibus et trutina relicta;* quia in auro, quod ceperant, pendendo occupati, quum Camillus adveniret, subito in fugam acti sunt. Quædam editiones, in quibus Dilherri, hic habent *Lancibus et trutina;* male; nam *ensis* Brenni innuitur. Ed.

43. *Nostri senes*, philosophi: sic enim sæpe vocari solent, celebriores præsertim, et sectarum principes, propter ætatem et auctoritatem: ut *senior Gargettius*, Epicurus, Stat. Silv. I, 3, 94; *Atticus senior*, Phidias apud Statium, Silv. I, 1, 101; *senior Cnidius*, Eudoxus, apud Avien. in Arat.

44. *Exstirpare*, abolere, flammis urere, *ut ferale onus*, tamquam funestos sibi, et molestam sarcinam exsilii sui. Sic Ovid. Trist. II, 1, de libris suis: « Quid mihi vobiscum est, infelix cura, libelli, Ingenio perii qui miser ipse meo? »

46. *Scipio* intelligendus Æmilianus Africanus, qui et Numantinus. Hic teste Velleio Paterc. omnis doctrinæ auctor et admirator fuit, et Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum familiariter habuit. Panætium Stoicum Rhodi natum fuisse, Strabo, lib. XIV, atque Suidas testantur. Hic igitur est *Rhodius magister*, et omnino perperam Boxhornius et Dilherrus hic legunt *Rudio*, poetam Ennium intelligentes.

47. *Cætera manus*, multitudo, vel cæteri illi, vid. v. 27: *fæcunda* plures hic legunt, sed Scaliger edidit *facunda*, quæ duo sæpius confundunt librarii, ut ad Calpurn. I, 91 vidimus. Hic præfero *facunda:* nam sermo est de eruditione et eloquentiæ studio Romanorum, quod tempore Punici secundi maxime effloruisse apud eos testantur versus Porcii Licinii apud Gell. XVII, 21: « Pœnico bello secundo Musa pinnato gradu Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram ». Sigillatim fortasse respicit crebras, quæ tum fiebant in Senatu, consultationes de Carthagine, in quibus sane disertis uti licuit.

Quos inter Prisci sententia dia Catonis
Scire adeo magni fecisset, utrumne secundis,
An magis adversis staret Romana propago?
Scilicet adversis: nam quum defendier armis
Suadet amor patriæ, et captiva penatibus uxor,
Convenit, ut vespis, quarum domus arce Monetæ,

48. *Sententia dia Catonis* est hemistichium Horatii Serm. I, 2, 32, dictum pro ipso Catone censente, ut *Prisci Catonis virtus*, Hor. Carm. III, 21.

49. *Scire deos* Ald. Pulman. Raphel. *Scire duo* Vinet. et Scaliger: utrumque vitiosum. *Scire*, h. l. est noscere, intelligere. Sententia hæc est: Inter quos Cato Priscus, quum artibus Græcorum minus faveret, tamen pro solertia sua magni fecisset, si monumentis vetustatis et libris Græcorum edoctus scire et exploratum habere potuisset, rem Romanam adversis magis, quam secundis rebus stare oportere. Quod quum ille secus judicaret, Carthaginem evertendam censuit, quam contra Scipio Nasica, melius edoctus, conservatam volebat, ut metu vitia cohiberentur, et populus Romanus velut aream haberet, in qua virtutem suam exerceret. Vid. Plutarch. in Catone, circa finem, et Appian. in Libyc. — Sed Corn. Val. Vonckius in Specim. Crit. et Observationibus Miscell. cap. 19, p. 96, hic emendandum censet: « Scire adeo magni fecit; sed utrumque secundis, etc. » et addit: Confer, obsecro, quæ antecedunt et consequuntur, idemque opinaberis. Ego vero id non perspicio. Ed.

51. *Scilicet adversis*, sciss velim, adversis potius, quam secundis, consistere rem Romanam. Hoc, quasi Catonem quærentem audiret, respondet Sulpicia. Minime vero adsentiri Burmanno possum, qui huc usque orationem Græcorum esse putat, exsulare jussorum, et nunc respondere Domitianum, vel qui ejus edictum tueatur.

53. *Convenit, ut vespis*. Mire hi versus intricatiores vexati sunt diversis interpretationibus, quarum sententias piget afferre. Peccari præcipue in eo videtur, quod de solis vespis sermonem esse putant, et de iisdem accipiunt *lutea corpora*, et quæ *turba rigens* dicitur; deinde, quod *convenit* explicant: convenit inter se, vel consentiunt inter se. Atqui sermo est de apibus, quibuscum comparatur *Romana propago* e versu 50. Hæc, *quum defendier armis* suasit *amor patriæ*, *convenit*, concurrit ad arma sumenda et defendendos lares, *ut turba*, sc. apum *rigens strictis per lutea corpora telis* convenit vel concurrit *vespis*, hostibus suis, *quarum domus arce Monetæ*. Si durius et insolens videtur *convenire vespis* pro concurrere vel confligere cum vespis, positum existimemus τὸ *vespis* pro vesparum caussa, ut versu 3 *tibi secessi* dixit. Apum et vesparum conflictum tradit Plinius, lib. XI, cap. 18: « Impugnant eas (apes) naturæ ejusdem degeneres vespæ, atque crabrones ». Conf. Virgil. Georg. IV, 245. Apes, quibus confligunt vespæ mox di-

Turba rigens strictis per lutea corpora telis.
Ast ubi apis secura redit, oblita favorum
Plebs materque una somno moriuntur obeso.
Romulidarum igitur longa et gravis, exitium, pax.
Hoc fabella modo pausam facit: optima posthac
Musa velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas
Vivere, uti quondam Lydus, dum Smyrna peribat,
Nunc itidem migrare velint; vel denique quidvis,
Ut Dea, quære aliud: tantum Romana Caleno
Mœnia, jucundos pariterque averte Sabinos.

serte nominantur: *Ast nbi apis secura redit*, h. e. ubi post fugatas vespas tuta est, vel, nbi nullis hostibus vexata redit e pastu. Cætera ad declarationem hujus loci pertinentia a 49-54, v. in Exc. I, p. 148. —Nidum vesparum *domum* dicit, ut Homerus τῶν σφήκων οἰκία, Iliad. II, v. 261. Ed.

54. Verba *turba rigens* multum variant: *turba tegens* habet Ald. et Rapbel. *regens* Pulm. Turnebus, Advers. IV, 11, mutavit *Turbat agens:* Barthius ad Claud. in Ruf. II, 462, *vigens* asserit. Mihi, si quid emendandum, tale verbum ibi latere videtur, quod ad *vespis* referatur, e. c. *turba minans* vespis strictis telis, vel turba *ruens*, h. e. irruens vespis. — *Rigens* videtur posse explicari rigide intenta et obnitens, *strictis telis*, ut Virgil. Georg. IV, 74, de apibus: *Spiculaque exacuunt rostris*. Ed.

55. Dilberrus edidit *Ast ubi pax secura*, nulla auctoritate. — *Oblita laborum* legi voluit Scriverius, et Heinsius, non inepte, sed nulla necessitate; qui et adlusum ad Vespasianorum nomen credebat.

56. *Plebs fraterque* edidit Scaliger, male: sed *plebsque paterque* voluit Barthius, *Plebs Patresque* Boxhornius. Præfero vulgatum *Plebs materque*. Matrem dicit apem, quam Varro, Virgilius aliique regem vel ductorem: nam Plinius etiam *crabronum matres* dixit lib. II, 22. — *Somno moriuntur obeso*, i. e. otio marcent et plane inertes redduntur.

58. *Hoc fabella modo:* sic Ald. Pith. Boxh. *Hæc fabella* Scaliger. — *Pausam facit*, i. e. desinit: pausa quies est et interstitium. Aldina præterea distinguit post *optima*.

60. Aldina et Scaliger *uti quondam Smyrnalibus * peribat*, cum lacuna: sic etiam pleræque sequutæ. Sed Pithœus, Douza, Boxhornius: « uti quondam Lydus dum Smyrna peribat ».

61. *Nunc itidem*. Pithœus babet *Tunc itidem:* pro *velint* Aldina *velit*, Boxhornius *velim*, Burmannus conj. *velis*, sc. Musa, an tu quoque velis Roma migrare, vel an me etiam migrare velis. Cætera vid. in Excursu II ad hanc satir., p. 152.

62. *Quære aliud*, sc. consilium: quidvis aliud quære, quod suadeas, vel agas: nam tu optime nosti, ut Dea, et mihi perinde gratum erit.

63. *Sabinos* intelligit agros, ubi prædium habebat et eum Caleno

Hæc ego; tum paucis Dea me dignarier infit:
« Pone metus æquos, cultrix mea: summa tyranno
Hæc instant odia, et nostro periturus honore est.
Nam laureta Numæ, fontesque habitamus eosdem,

marito morabatur crebro Sulpicia. Sic Horat. Carm. III, 4: « Vester, Camenæ, vester in arduos tollor Sabinos ». Difficile autem dictu est, quid sit *averte mœnia Romana Caleno;* et si hypallage statuenda est, pro Calenum averte mœnibus Romanis, nec hoc satis perspici potest, cur Musam velit efficere, ut Calenus Romam et Sabinos aversetur. Auctor Animadvers. in Sulp. Sat. vol. VI, Observ. Miscell. pag. 380, per Sabinos intelligit patrueles Domitiani, Flavio Sabino patre natos, quasi velit Sulpicia averti hos Sabinos a Musa, et eripi sævitiæ Domitiani. Ingeniose magis, quam vere. Itaque malo hic legere, quod Scaliger edidit, et Heinsius probabat, *adverte*, h. e. animadverte, observa et cura: tum autem dativum *Caleno* non ab *adverte* pendere puto, sed a *jucundos*. Tantum, inquit, porro ama et observa Romam urbem et Sabinos agros, quæ tantopere jucunda sunt Caleno meo; vel *Caleno* significat in gratiam Caleni. — Re melius cogitata perplacet interpretatio, quam hujus loci dedit Jo. Schultingius, ad Senecæ Suasor. VII, et fragmentum Corn. Severi. Ille autem retinet *averte*, et *Caleno averte Romam et Sabinos* explicat illorum cogitationem, studium, desiderium, amorem, ita ut Sulpicia, Roma abire cupiens ob sævitiam Domitiani, Musam deprecetur, uti prohibeat, ne maritus Calenus, sine quo non erat profectura, nimis cogitet, curet, ametque Romam et jucundos sodales Sabinos. Pariter verba Corn. Severi intelligenda censet *sed enim abstulit omnes*, i. e. omnium curam, cogitationem, adspectum abstulit. Ed.— Janus Dousa in suo schediasmate ad hos versus probat lectiones *Caleno* et *averte;* « unum hoc, ait, deprecatur Sulpicia, ne in tanta reipublicæ perturbatione, Musis a tyranno proscriptis, suo carissimo Caleno lubeat intra Romam permanere, cæli Sabini desiderium, atque urbanum illud togatæ comitatis otium uxoriis complexibus præferenti ». Ed.

64. *Me dignarier*, antique, ut v. 51 *defendier*. Magis tamen placet, quod Pithœus et Boxhorn. ediderunt, *Dea me dignatur, et infit.*

66. *Hæc* languidum videbatur Heinsio, et Burmannus efficacius esse putat *Ecce odia:* mihi non videtur sua vi carere.—*Hæc*, inquit, *odia*, quæ jam excitavit tyrannus, *summa* ei et extrema erunt; jamque *instant* exitio ejus maturando. — *Nostro periturus honore est*, h. e. eo quod honor noster superabit perstabitque salvus, ipse, qui injurias nobis intulerat, peribit. Hoc sensu admisso nihil necesse est, ut legamus *honori*.

67. *Laureta Numæ*. Lucum intelligit cum fonte perenni, ad quem secreto convenire se cum nympha Egeria, et consultare de re publica, dicebat Numa, quemque Ca-

Et comite Egeria ridemus inania cœpta.
Vive, vale, manet hunc pulchrum sua fama dolorem;
Musarum spondet chorus, et Romanus Apollo. »

menis idem sacravit, quod ibi earum sibi concilia cum conjuge sua Egeria essent, ut ait Livius, lib. I, c. 21. Conf. Ovid. Fast. III, 275. — *Fontes habitamus eosdem*, h. e. eadem mihi vis consilii, eadem potestas, quæ Egeriæ est, quæ quum Numæ adfuerit ad rem publicam ordinandam, etiam mihi affatim suppetet ad destruenda consilia tyranni, quibus rem publicam it perditum. — J. Dousa ibidem refert illa Juvenalis, Sat. III, 12, de Umbricio qui Roma emigrabat iisdem pæne temporibus, de quibus tanta cum indignatione queritur Sulpicia: « Hic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ, Nunc sacri fontis nemus... In vallem Egeriæ descendimus ». Vid. pag. 144 et 168, t. I, Juvenal. nostræ Editionis varias lectiones et notas. Ed.

69. *Sua fama* recte Pithœus et Boxhornius; *tua* Scaliger. — *Hunc pulchrum dolorem*, i. e. hoc carmen, quo pulchrum et generosum dolorem tuum, conceptum ex iniquitate Domitiani, probasti, digna laus et fama sequetur.

70. Addit promissis suis præstationem. *Romanus Apollo* hic appellatur propter ædem Apollinis Palatini, et bibliothecam ibi ab Augusto dedicatam. Unde *noster* a Romanis plerumque dicitur: videndi veteris scholastici poetæ versus de Æneide, Anthol. Lat. II, 184. *Noster Apollo* etiam apud Ovid. Remed. Am. 251. *Nostri pocula Bacchi*, Calpurn. Ecl. IX, 42. Imitatus etiam est Licentius, Carmine ad Augustinum, infra, in tomo sequenti hujus operis, v. 32: « tibi Noster Apollo Corda replet, patremque suum, patremque Deorum Conciliat »; licet de Christo vere loquatur, ut notat clarus Buchnerus, in opere de Orat. tomo II, pag. 90. Ed.

EXCURSUS I

AD SULPICIÆ SATIRAM, v. 49.

PARS PRIOR.

....................utrumne secundis,
An magis adversis staret Romana propago?
Scilicet adversis.

Hoc est, facile scias adversis potius quam secundis consistere majestatem imperii Romani: est enim *scilicet*, scire licet: quomodo et *videlicet* apud Plautum, pro *videre licet*. Neque quidquam hacce sententia verius: unde et Nasica ille, ad reprimendam nequitiam, servandosque optimos illos, hoc est, antiquos mores (quibus *rem Romanam stare* potissimum Ennio quoque persuasum fuerat jam olim), cujusmodi scilicet in populo Romano, inter secundum et postremum bellum Carthaginiense, maxime viguisse, non quidem amore justitiæ, sed formidine infidæ pacis, cognitum nobis ex fragmentis Sallustianis; Nasica ille inquam cordatus, quamvis Catone adversante, ut metu vitia cohiberentur, Carthaginem nolebat everti; quod ut, cum iis quæ sequuntur, rectius etiam intelligatur, nonnulla argumento huic consentanea ex Catonis ipsius censoria pro Rhodiensibus oratione apud A. Gellium lecta, huc oblata bellissima occasione transcribam; sunt vero hæc ex V. Originum ejusdem libro a politissimo illo Atticarum noctium auctore nobis quasi per manus tradita: « Scio solere plerisque hominibus « rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum « excellentem atque superbiam, atque ferocitatem auge- « scere atque crescere (*ubi item notabis duarum linearum « spatio conjunctionem* atque *iteratam plus minus quinquies*), « quod nunc mihi magnæ curæ est, quod hæc res tam se- « cunde processerit, ne quid in consulendo adversi eveniat,

« quod nostras secundas res confricet, neve hæc lætitia nimis luxuriose eveniat. Adversæ res se domant, et docent « quid facto opus sit. Secundæ res lætitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo ». Et deinde postea : « Atque haud scio, an partim fuerint, qui « non nostræ contumeliæ causa id voluerunt evenire ; sed « enim metuere, si nemo esset homo quem vereremur, « quidquid liberet, faceremus ». Ed.

PARS ALTERA.

> Convenit, ut vespis, quarum domus arce Monetæ,
> Turba rigens strictis per lutea corpora telis.

Quod vesparum domum poetria dicit esse *arce Monetæ*, i. e. in templo ejus Deæ, in arce Romana dicato, ab eaque imaginem petit virtutis Romanæ adversis in rebus spectandæ, hoc illa ingeniose et summa cum ratione facit. Moneta Dea nomen habebat a monendo, quod populum Romanum sæpe monuisse de instantibus malis, aut adventu hostium, ferebatur (Cic. de Divin. lib. I, 45, et II, 32 ; Just. Rycquius de Capit. Rom. cap. 41); eratque ejus templum in Capitolio, ubi bello aliquo imminente delectus militaris habebatur. Sulpicia igitur acute cives Romanos arma capientes cum apibus, metu vesparum concurrentibus, comparat, quod hi ipsi concurrere in Capitolio solebant, ubi vesparum agmen in æde Monetæ ipsis signum erat imminentis hostis. Incertum est, re vera habuerit ætate Sulpiciæ examen vesparum nidos in æde Monetæ, an ejus tantum pictura vel signum ibi exstiterit? Illud non mirum fuerit, siquidem Plinius scribit lib. XI, cap. 21 : *Vespas in sublimi e luto nidos facere, et in his ceras.* Atque ut in templo Concordiæ ciconiarum nidum fuisse colligitur e versu 116 Satiræ I Juvenalis, sic fortasse et vesparum in templo Monetæ nidum hic locus Sulpiciæ indicaverit. Magis inclino in alterum, ut putem simulacrum vel signum in æde Monetæ exstitisse domus vesparum, itemque apum pro domo sua cum vespis depugnantium, ad memoriam occupati a

Gallis Capitolii, qui monente Junone ferebantur a Romanis arcis custodibus depulsi. Memorant quidam, ex eo loco, ubi postea ædes Monetæ constituta est, vocem Junonis, de clade a Gallis Senonibus futura monentis, auditam esse; vid. Liv. V, 32. Alii vero, per anseres monuisse Junonem Romanos de Gallis noctu in rupem Tarpeiam escendentibus; Marlian. Rom. Ant. Epit. lib. II, c. 4. Eo respicere videtur impia militis oratio apud Lucanum, lib. I, v. 380, qui, si Cæsar jubeat ipsis Deorum templis ignem immittere, promittit se adeo Monetæ numen igne petiturum, si velit Capitolium, ut olim, ab incursu exercitus Gallici defendere. Sic enim intelligo hos versus:

Si spoliare Deos, ignemque immittere templis,
Numina miscebit castrensis flamma Monetæ.

Ad quem locum scholiastes antiquus *castrensem Monetam* interpretatur Militarem Junonem, eamque Monetam docet dici, eo quod monuit Romanos dormientes per anserem de adventu Gallorum, ne Capitolium introirent. Monitus quidem Junonis de Gallis multis certisque testimoniis non confirmatur, certum tamen est, ædem Monetæ A. U. 405 a L. Furio Camillo Dictatore, quum contra Auruncos, Latii populum, legiones duceret, votam esse, positamque in area domus M. Manlii Capitolini, qui olim Gallos arce Tarpeia dejecerat, postea vero ob affectatum regnum ipse dejectus erat. Liv. VI, 20, et VII, 28; Ovid. Fast. VI, 183, seqq. Valer. Max. VI, 3, 1; Alex. ab Alex. VI, 4. Justus Rycquius, de Capit. c. 41, duplicem adeo Monetæ ædem in Capitolio dicatam esse statuit, unam, e qua vox prodierit Junonis ea, quam Cic. de Divin. lib. I, c. 45, memorat, eamque ædificatam putat in fundamentis T. Tatii regis, de quibus Solinus, Polyhist. cap. 2, et Plutarchus in Romulo; alteram esse eam, quæ a L. Furio bello Aurunco vota et in area domus M. Manlii posita est. Etsi vero e testimoniis hactenus allatis nondum liquet, ædem Monetæ tempore liberati a Gallorum obsidione Capitolii, et hujus ipsius caussa esse positam, id tamen apparet, tum Junonem Monetam

appellari cœpisse, et quum ædes ea a L. Furio Camillo in area M. Manlii poneretur, id factum esse in memoriam tum Junonis de periculo Capitolii monentis, tum M. Manlii et M. Furii Camilli, patris, qui Capitolium olim vel defenderant armis, vel obsidione liberaverant. Apum domus vel alveare, earumque cum vespis conflictus, imago satis clara est arcis Romanæ vigiliis custoditæ, et contra Gallos defensæ (1). Occulta ea vox, quæ a Junone exiisse, et monuisse de adventu hostium, militesque concivisse ad arma credebatur, similis videri poterat voci, quæ audiri dicitur in alveari, ubi exire ad pugnam apes volunt; de qua Virgilius, Georg. IV, 70:

> ....Namque morantes
> Martius ille æris rauci canor increpat, et vox
> Auditur fractos sonitus imitata tubarum.

Præterea ut inter apes dux examinis a Sulpicia *mater plebis* v. 56, ab aliis rex et ductor vocatur, ita et Juno Moneta, quasi dux et Mater castrorum, simul Reginæ nomen gessit; confer. Liv. V, 22, cum Val. Max. lib. I, 8, 3, et *Castrensis* appellari a Lucano l. c. videtur. Inde valde probabile est, apum alveare fuisse symbolum Junonis Monetæ, idque in ejus æde servatum esse ad memoriam servati monitu Junonis Capitolii, sicut et anser argenteus in Capitolio positus dicitur in memoriam anseris ejus, qui adventum Gallorum nuntiaverat, ut memorat Servius ad Virg. Æn. VIII, 655. Juxta ædem Monetæ idem, qui Capitolium liberaverat, M. Furius Camillus, ædem Concordiæ posuit ad memoriam conciliatæ cum Patribus plebis, teste Ovidio, Fast. I, 639. In ea æde si ciconiæ nidulantis simulacrum, ut viri docti putant, concordiæ significandæ caussa positum est, quidni etiam credamus a Camillo ædi Monetæ examen vel alveare apum, tamquam signum ejus beneficii appositum?

(1) Pugnaces pro castris suis apes pluribus Veterum locis probat Chiffletius in Anastas. Childer. c. 11, p. 160. Et Artemidorus, Oneirocr. lib. II, 22, de apibus: ἐοίκασι μὲν γὰρ ὄχλῳ ἢ στρατῷ, διὰ τὸ ἡγεμόνι ὑποτάσσεσθαι. Ed.

Non nihil etiam conjecturam meam confirmat, quod Livius, lib. XLII, cap. 7, memorat, ædem aliam Junoni Monetæ a C. Cicereio bello Corsico votam esse, et victis pro tributo ingentem vim cerarum imperatam. Scilicet quia apes Corsicæ celebres erant, et a Corsis victis magna vis ceræ capi poterat, Junoni autem Monetæ jampridem sacræ apes apud Romanos erant, in iisque documentum hostis monitu Junonis depulsi habebatur, hinc pro victoria belli Corsici Junoni Monetæ ædes vota est. His observatis oppido caussa apparet, cur Sulpicia hoc loco, spectatam Romanorum in rebus adversis et turbidis virtutem ostendere cupiens, quasi imaginem ejus commonstret pugnacitatem apum et vesparum in arce Monetæ. Nam earum simulacrum hanc ipsam ob caussam ædi erat adpositum, ut nobilissimum virtutis Romanæ in adversis spectatæ exemplum exprimeret et ad memoriam posteritatis conservaret, nempe Gallos a Capitolio et ab aris focisque suis in summa rerum omnium difficultate depulsos, cujus turbæ ipsa auctor paullo ante mentionem injecerat.

EXCURSUS II

AD SULPICIÆ SATIRAM, v. 60.

...uli quondam Lydus dum Smyrna peribat,
Nunc itidem migrare velint.

Vix poterit interpretatio hujus loci ita succedere, ut inde clara et certa sententia appareat. Adludit Sulpicia ad historiam quamdam Smyrnensium, ignotam hodie, mihi certe, sicut Burmanno, obscuram; eaque ignoratio in caussa est, quo minus verba, quæ aliquantum corrupta esse videntur, vel emendari vel certo constitui possint. Interim *Lydus* vix stare posse videtur, et adsentiendum Burmanno, qui legit *Lydis dum Smyrna periret*, atque ita licere loqui demonstrat pro *perdi a Lydis*, quemadmodum Gratius, Cyneg.

v. 315 scripsit: *Sic et Achæmenio cecidisti, Lydia, Cyro;* nisi forte legere malis *Lydis dum Smyrna patebat*, sc. expugnata et capta, quod declarare historiæ mox referendæ videntur. Altero versu *velint* in plurali nescio quo referri possit. Igitur corrigendum erit *velim*, sc. te migrare itidem, ut quondam migrasti, dum Smyrna peribat; vel *velis*, præmisso vel subintellecto *an;* quo pacto sic legerem: *Vivere, an, ut quondam Lydis dum Smyrna peribat, nunc itidem migrare velis.* Quamquam utrobique dubia et intricata lectio manet, hoc tamen colligi e verbis Sulpiciæ videtur, mentionem ab ea fieri Smyrnæ a Lydis vexatæ, et Musæ vel Musarum ob eam calamitatem fugientium. Utriusque rei si non aperta testimonia, certe vestigia non spernenda in Veterum monumentis reperiuntur. Smyrnæ a Lydis quondam devastatæ meminit Strabo, lib. XIV, pag. 634. Sigillatim a Gyge Lydorum rege obsessam, et demum ab Alyatte Crœsi patre captam deletamque esse, Herodotus refert lib. I, cap. 14 et 16. Plutarchus præterea memorat in Parall. Hist. Græcæ et Rom. tomo VII Oper. pag. 242, edit. Lips. Sardianos, qui iidem Lydi sunt, aliquando Smyrnam obsidentes discedere ante noluisse, nisi uxoribus Smyrnæorum ad stuprum sibi concessis. Qui quum ancillas pro uxoribus misissent in castra, Sardianos deinde libidine fatigatos a Smyrnæis omnes interfectos esse. Satis superque igitur vexatam adflictamque a Lydis Smyrnam esse constat. Qua clade Musas aliquando coactas esse urbe cedere, nemini mirum videbitur. Ipsi singularem Musarum honorem et cultum præ se ferebant Smyrnæi. Etenim ortos se profitebantur ab Atheniensibus, qui uno tempore tredecim colonias in Asiam deduxerunt duce Ione, Xuthi et Creusæ filio, uti Vitruvius, lib. IV, cap. 1, et Velleius Paterc. lib. I, cap. 3, testantur. Hæ Ioniæ vocabantur, iisque postea Smyrnæorum civitas accensita est, quod hi idem genus Atticum jactarent, et Theseo Smyrnaque gloriarentur. Classis autem duces fuerunt Musæ sub apum specie, ut inquit Philostratus in Icon. lib. II, 8. Hunc coloniæ Atticæ, ut et Musarum, honorem Ephesus, primaria earum coloniarum, testata

abunde est, nummis suis ape signata, sed et Smyrnæi, ut Jo. Petr. Bellorius, de numism. urbium apibus insignitis, et Laur. Pignorius, Symb. epist. XLVIII, docuerunt. Ælius Aristides, Orat. de concord. tomo I, p. 521, ed. Jebb. affirmat, Musarum et Gratiarum choros hanc urbem perpetuo (δι' αἰῶνος) peragrare, quod ille, quamvis recentior scriptor, tamen ita pronuntiat, ut significet, ab antiquis temporibus honorem Musarum Smyrnæis traditum, et Musas adeo tamquam familiares et domesticas eorum esse. Et decebat sane Musas habitare Smyrnæ, quæ se patriam Homeri jactabat, eumque civem tanti faciebat, ut ejus imaginem sæpissime nummis suis signaret. Luculentius adhuc testimonium addere placet Aristidis, Orat. in Smyrn. tomo I, p. 232, seqq. Jebb. ubi ait, nullam Musarum, quæcumque civitates hominum frequentant, emigrare et abesse Smyrna, tamquam a domo sua, solere, esseque ibi disciplinæ et eruditionis caussa quasi larem et focum communem totius terræ: οὐθ' ὅσαι Μοῦσαι πόλεις ἀνθρώπων ἐπέρχονται, οὐδεμία ἐξοικεῖ. Πολλὴ μὲν γὰρ ἡ ἐγχώριος· πολλὴ δὲ ἡ ἔπηλυς. Φαίης ἂν ἑστίαν εἶναι τῆς ἠπείρου, παιδείας ἕνεκα. Dignum animadversione est, Musas hic dici habere Smyrnæ quasi domum et sedem perpetuam, ut vix inde abscedere velint. Et videtur iste non Aristidis modo, sed antiquioris etiam ætatis sermo de Smyrna fuisse. Nolo Philostrati et Quinti Smyrnæi locos adjungere, qui similiter de Musis Smyrnæ habitantibus loquuntur. Inde vero fit verisimile, ex ea opinione natum esse sermonem, ad quem adludere Sulpicia videtur, Musas excessisse Smyrna, quum a Lydis vastaretur. Burmannus quidem, quum nulla eventus istius historia exstet, et Sulpicia de una tantum Musa, quæ olim Smyrna migraverit, loqui videatur, sub ejus persona putat Homerum indicari, qui forte patria excesserit propter tyrannidem, vel sponte, vel ejectus in exsilium. At Sulpicia, quæ ab initio solam Calliopen alloquuta est, eamque demum rogat, ut ne discedere ab se, ut olim Smyrna, velit, idcirco non plures nominare Musas potuit, quamvis scriptores, quos hactenus vidimus, testentur, omnes Musas Smyrnæ in honore fuisse.

FRAGMENTUM ALIUD SULPICIÆ DE DOMITIANO *.

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit hæres:
Pæne fuit tanti, non habuisse duos.

* Hi versus a veteri interprete Juvenalis ad Sat. IV, 38, ut M. Valerii Martialis, referuntur, et sub hoc nomine edidit Pithœus, lib. II, pag. 53, edit. Lugd. et in fine libri Spectaculorum editionis suæ dedit Scriverius. Janus Douza hoc fragmentum, quod de eodem Domitiano ageret, Satiræ Sulpicianæ subjecit. Idem fecit Pet. Burmannus, sed sub titulo fragmenti Sulpiciæ. Quod qua ratione ductus fecerit, ipse non addidit. Improbat autem factum auctor tractationis de fragmentis Sulpiciæ, qui Henr. Cannegieter esse videtur, in Miscell. Obs. vol. VII, t. III, p. 335. Mihi placuit eos versus Satiræ Sulpicianæ propter idem argumentum adjungere, etsi Sulpiciæ adscribere non audeo. — Idem sensisse Burmannus sec. videtur, qui illud non edidit.

ALIUD FRAGMENTUM SULPICIÆ *.

Ne me cadurcis destitutam fasciis

* Certius hoc fragmentum Sulpiciæ, quam superius, et quidem e carminibus ejus amatoriis est, quæ Martialis laudat. Profert illud antiquus interpres Juvenalis ad Satir. VI, 536, et late interpretatur vir doctus in Miscell. Observ. vol. VII, tom. III, pag. 331 seq. disputans contra Broukhusium, qui illud in sensum obscœnum et a feminæ castis moribus abhorrentem exposuerat ad Tibulli lib. IV, carm. 2, 1. Is igitur notat, *cadurcum* significare culcitram ex lino Cadurco factam, quod a Cadurcis, Galliæ populo, culcitris ejusmodi conficiendis celebri, nomen acceperat, teste Plinio, lib. XIX, cap. 1. Quoniam cadurcum frequentius numero singulari occurrit apud Juvenalem et alios, malo etiam hoc fragmento *cadurci* legere, quod exemplar meum habet, quam *cadurcis fasciis* quod alii proferunt. *Fascias* vir doctus, quem dixi, explicat de intortis funibus vel fasciolis, quibus lectus tendebatur, ut ait scholiastes Horatii Cruquianus ad Epod. XII, 12, et quibus imponebantur cadurca: *institas* vocat Petronius, cap. 97, et ipse Juvenalis interpres, qui versus Sulpiciæ citat. — Hic Lindenbrogius explicat *cadurcum* funis quo intendebantur lecti antiquitus, qui

Nudam Caleno concubantem proferat.

et *instita* dicitur. Glossæ Isidori: *Institæ*. — *Destitutam* ille intelligit collocatam, impositam atque infixam, quomodo Apuleius Metam. II dicit: « Obtutum acerrimum in me destituit ». — Et *destitui* idem esse ac *statui*, ex Nonio aliisque probat Zinzerlingius in Critic. Juven. Prom. cap. 41, p. 122. Ed. — Neque denique *nudam* idem vir doctus, supra designatus, simpliciter vult intelligi. Atque hac interpretatione melius se consulere pudori feminæ putat, quam Broukhusius l. c. et Salmasius in Exercit. Plin. p. 659 et 824 fecerint, qui *destitutam* sensu solito, et *fascias* de iis, quibus ipsa Sulpicia velabatur, acceperunt. Sed fortasse non indiget hac defensione Sulpicia, si quidem abruptis verbis is sensus esse potest, ut ea negare potius et amovere a se, quod alii forte criminari possint, velit. Idem tamen, quod Broukhusius, sentit, et fragmentum hoc satis petulans et lascivum judicat Boxhornius, comment. ad Sulpiciæ Sat. p. 28, cum eoque J. N. Funccius, de immin. Ling. Lat. senectute, cap. III, pag. 249. Nec illi destituti videntur antiquitatis testimonio, si de Sulpicia hac intelligendum est, quod Ausonius Idyll. XIII in fine scribit: « prurire opusculum Sulpiciæ, frontem caperare ». Cæterum Boxhornius altero in versu fragmenti, loco citato, pag. 15, falso excudi curavit *viderit*, loco *proferat*, nescio memoriæ fuerit, an alio errore deceptus.

VI.

VERSUS

EUCHERIÆ POETRIÆ *.

AUREA concordi quæ fulgent fila metallo,
Setarum cumulis consociare volo;
Sericeum tegmen, gemmantia texta Laconum
Pellibus hircinis æquiparanda loquar;
Nobilis horribili jungatur purpura burræ;

* De auctore Eucheria, et de inscriptione carminis dixi in Proœmio. Totum carmen constat rerum contrariarum comparatione, in qua præeuntes habuit Virgilium, Ecl. VIII, 27 seq. Horat. Epod. XVI, 32 seqq. et Martialem, lib. I, 54, 4 seqq. Valde etiam huic carmini simile argumento et compositione est epigramma puellæ, senis amorem respuentis, Anthol. Lat. lib. III, 273. Neque dubium est, præcipue eam ante oculos habuisse Virgilii loc. cit. « Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes? Jungentur jam gryphes equis, etc. »

1. *Concordi metallo*, h. e. metallo, sive auro cum filis æqualiter complicato et cohærente: pannum describit filis aureis contextum.

2. *Secarum* vitiose in Thuaneo, *sectarum* in Elnonensi apud Mabillonium. *Setas* aureis filis opponit propter vilitatem; præterea et *cumulos*, sive inordinatam congeriem earum, *filis* arte et ordine contextis, quæ exprimit *concordi metallo.*

3. *Sericeum*, bombycinum, pro quo antiquiores sericum dicunt. — *Tecta Laconum* habent editi, sed *texta* legendum putavit Heinsius: nec mihi aliter videtur. Mart. VIII, 28: *Babylonos picta superbe Texta.* — *Gemmantia*, quasi gemmis et ornata et picta. Horat. carm. II, 18, 7: « Nec Laconicas mihi trahunt honestæ purpuras clientæ ». Eucheria tamen hoc loco texturam magis et lanificium Laconum, quam purpuram, respicere videtur: nam purpuram mox comparat cum burra. E *pellibus hircinis* vestes pastoritiæ et rusticæ: *loquor* legit Mabill.

5. *Purpura burræ.* Heinsius *byrrho* volebat; et *byrrhus*, quod et *birrus* scribebatur, erat vestis genus idem ac lacerna, sive pænula byrri seu russei coloris: nam Latini dixe-

Nectatur plumbo fulgida gemma gravi.
Sit captiva sui nunc margarita nitoris,
Et clausa obscuro fulgeat in chalybe.
Leuconico pariter claudatur in ære smaragdus;
Compar silicibus nunc hyacinthus eat.
Rupibus atque molis similis dicatur iaspis;
Eligat infernum jam modo luna chaos.
Nunc etiam urticis mandemus lilia jungi,
Perspicuamque rosam dira cicuta premat.

runt *burrum* el *byrrum*, quod Græci πυῤῥόν. Hoc tamen loco *burra* non videtur mutanda, quod et Mabillonii exemplar *byræ* habet. *Burra* sive *birra* videtur pro *birro* a Gallis recentioribus dicta, vestis hispida et crassioris lanæ, et rufi coloris, qua sortis infimæ homines utebantur. Hispidam probat, quod *burra*, vox Aquitanica, purgamenta lanæ, tomentum quisquiliasque notabat, ut monet Scaliger ad Ausonii Præfat. ad Lat. Pacat. Hinc Eucheria h. l. vocat *horribilem*. Rufi coloris quod erat, propterea h. l. opponitur purpuræ. Et hunc colorem in pænulis jam antiquitus in Gallia usitatum docet Martial. XIV, 129: « Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis ». Fuse de birro agit Salmas. ad Tertull. de Pall. pag. 80 seqq. et Giselin. ad Sulp. Dial. I, 14. — Similis est comparatio apud Martial. I, 54: « Sic interpositus villo contaminat uncto Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus ».

7. *Sit captiva sui nitoris*, h. e. quod ad suum nitorem attinet.

9. *Leuconico pariter. Lenconico* legit cod. Thuan. et Leid. atque hinc fortasse *Lingonico* legendum est, a Lingonibus, Galliæ populo. Sic apud Martial. lib. I, 54, 5, et XI, 21, 8, et XIV, 159 et 160, Lingonicum et Leuconicum permutari putant viri docti. Sed in postremo Martialis loco vir doctus in Observ. Miscell. vol. VII, p. 335, *Leuconicum tomentum* nomen habere putat a Leucono oppido inferioris Pannoniæ ad Savum amnem, cujus meminit Itinerarium Antonini. Quod igitur æris mercibus nobile fuisse Eucheria innuit.

10. *Hyacinthus erat* est in editis, sed vix ferri potest: *hiacynthus adest* legit Mabill. sed præstat legere *eat*, quod dudum monuit Pithœus in notis. Heinsius totum versum sic emendabat: « Compar et silici nunc hyacinthus eat ». Similiter in aliis poetarum locis erratum a librariis esse, monuit ad h. l. Burmannus sec. tom. II, p. 408.

11. *Molis* pro saxis asperis, quæ molis adhibentur, dixit ex genio ævi posterioris.

14. *Perspicuamque*; cod. Leidensis habet *Præspicuamque* tam hoc loco, quam infra v. 20 et 29. Thuanens *Purpureamque*; sed *Perspicuam* etiam Mabill. exhibet; et perspicuum pro pulchro dici docet Salmas. ad Solin. tom. I, p. 543, edit. Traj. et hoc forte sensu apud Cicer. pro domo, c. 24. Pro claro et celebri

Nunc simul optemus dispectis piscibus ergo
Delicias magni nullificare freti.
Auratam crassantus amet, saxatilis anguem;
Limacem pariter nunc sibi tructa petat.
Altaque jungatur vili cum vulpe leæna;
Perspicuam lyncem simius accipiat.
Jungatur nunc cerva asino, nunc tigris onagro;
Jungatur fesso concita dama bovi.
Nectareum vitient nunc lasera tetra rosatum,

posuit Amm. Marcell. XXVIII, 1, *senatorem perspicui generis* nominans.

15. Obscurus hic versus : *ergo* videtur cum *nunc* conjungendum, et pisces, tamquam viliores opponuntur deliciis maris. — *Dispectis* igitur est observatis et quæsitis.

16. Pro *delicias* Mabillonius edidit *divitias*. — *Nullificare* est nihili facere, nullo in pretio habere; Græcis ἐξουθενοῦν vel ἐξουθενεῖν. Vox est sequioris ævi, Tertulliano inprimis usitata : apud quem etiam *nullificatio* et *nullificamen* occurrit. Contra *magnificare* antiquum est, de quo vid. Petr. Burmannus ad Anthol. t. I, p. 571. Pro *nullificare* Mabillonius legit *mellificare*, vitiose.

17. *Aurata*, quæ et Chrysophrys, piscis genus, de qua ad Halieut. Gratii et ad Vespam diximus. Burmannus sec. legere vult *Auratam cercyros amet*, quia aurata, timidissimus piscis; contra cercyros ferox in Halieutico dicitur. Ego vero hic auratæ pisci non piscem alium, sed animal fœdum et noxium opponi puto, ut deinceps saxatili anguis, et limax tructæ. Igitur *crassantus* retineo, et sequiore latinitate sic ranam, bufonem vel stellionem dictum esse arbitror, a *crassari*, quod ea ætate inflari, turgescere, notabat.— *Saxatilis* singularis piscis nomen est, quem Halieuticon vetus, v. 110, *viridem squamis* dicit.

18. *Tructa*, quæ et *trutta* vel *trocta* scribitur, Gallicum vocabulum piscis, de quo egimus ad Auson. Mosell. v. 130. *Farionem* etiam et *varium* dixere. *Trucca* habuit codex Thuanens.

22. Pro *bovi* in Thuaneo *navi* est. Unde conjicit Burmannus forte *cani* legendum esse, quia canis damæ maxime infestus. Sed apparet Eucheriam hoc disticho tarda animalia componere cum velocibus, asinum cum cervo, tigridem cum onagro; igitur et *bovem* fessum cum *dama* concita, h. e. concitato cursu fugiente.

23. *Vitiet nunc lausera* edidit Pithœus : sed *vitient nunc lasera* bene correxit Cangius in Gloss. med. et inf. Lat. v. *lausera*. — *Laser* est succus plantæ ingratus et amarus, unde *laserpitium*, quod et silphium Cyrenaicum. Hinc *laserpicifera Cyrenæ* Catullo, Carm. VII. De silphio et lasere fuse egit Salmas. ad Solin. p. 249 seqq. ed. Traj.—*Rosatum* est vinum ex rosis conditum : hujus rosati meminit Lamprid. in Elag. cap. 19. Conferri merentur, quæ ad Suetonii *absorptionem rosariam*,

Mellaque cum fellis sint modo mixta malis.
Gemmantem sociemus aquam luteumque barathrum,
Stercoribus mixtis fons eat irriguus.
Præpes funereo cum vulture ludat hirundo;
Cum bubone gravi nunc philomela sonet.
Tristis perspicua sit cum perdice cavannus,
Junctaque cum corvo pulchra columba cubet.
Hæc monstra incestis mutent sibi tempora fatis;
Rusticus et servus sic petat Eucheriam.

Ner. c. 27, notavit Ernestus V. R.

25. *Luteumque barathrum*, scrobem, in quem lutum et quisquiliæ congeruntur; sterquilinium.

29. *Perspicua perdix* hic ut v. 14 *perspicua rosa*. — *Cavannus*, sic cod. Thuan. et Leid. *cavanus* ex Elnonensi Mabillonius: vitiose vero *tavanus* ediderat Pithœus. — *Cavannus* est noctua, strix, vel ulula: vox Gallica, quam hodie etiam in quorumdam sermone provincialium superesse testatur Cangius, vocabulo *cavanna*.

31. *Mutent sibi:* sic Leideus. et Mabill. perperam Pithœus *mutet*. Burmannus conjicit *mutent sic tempora*, vel *incestis jungant sic corpora fatis*. Mea sententia nihil movendum. *Tempora mutent sibi hæc monstra*; h. e. Sint aliquando; vel si sint aliquando tempora, quæ efficiant, ut monstra non sint, quæ nunc habentur, sed naturaliter fieri credantur, *incestis fatis*, ordine naturæ turbato, et legitima ratione sublata; sic etiam fiat aliquando, vel credibile est, fieri posse, ut servus petat vel adjungat sibi Eucheriam. De servi notione egi in prooemio. Pro *fatis* codex Elnonensis habuit *factis*.

VII.

CLAUDII MARII VICTORIS,

RHETORIS ET POETÆ CHRISTIANI,

DE PERVERSIS SUÆ ÆTATIS MORIBUS

EPISTOLA

AD SALMONEM ABBATEM *.

SALMON.

Si Domini templum supplex orator adisti,
Immo et custodem templi, populique magistrum,
Quot tu isthic homines, tot Christi altaria cernis.

* Falso inscribi epistolam, et dialogum esse hoc carmen, monui in Prooemio. Quod nisi memineris, initium carminis, quin totum carmen, vix intelliges. Nimirum fingit auctor, se in patriam suam, a qua diu abfuerat, venire ad visendum templum vel cœnobium, cujus præpositus vel Abbas erat Salmon. Hic Salmon igitur advenientem Marium primis versibus, ad septimum usque, sic excipit et alloquitur : Si ad adorandum Deum, et divini officii caussa, invisere templum nostrum voluisti, habes hic in me et cæteris ejus templi convenis, qui orare tecum et sacra peragere velint; sin etiam placet post divinum officium cum amicis sermonem conferre, habes hic veterem hospitem tuum, mihi familiarissimum, Thesbonem, apud quem ambo conveniamus.

1. *Orator*, sensu raro, oraturus; sed *oratrix* pro supplici apud Plautum nuncupatur. Ed.

2. *Custodem templi* et *populi magistrum* non alium intelligo, quam Episcopum vel Abbatem ejus loci, quem visebat Victor. Pastorem certe dicere voluit, sensu Ecclesiastico, qui proprie *magister pecoris* audit Veteribus. Infra, v. 94, *gregem nostrum* ponit pro populo.

Sed si collatis juvat indulgere loquelis,
Hic habitat tuus ille hospes, mea viscera, Thesbon,
Cui fratrum ad requiem frondosæ vitis in antro
Herbida cespitibus sunt structa sedilia vivis.

VICTOR.

Dic igitur, Salmon, quæ rerum nunc tibi sors est?
Quis patriæ status est? quid te delectet in illa?
Namque agris, opibusque hominum, terræque colonis,
Nunc primum illæsæ turbato fœdere vitæ,
Barbarus incumbit; nec longæ ad sæcula vitæ
Constructæ prosunt solido de marmore villæ,
Absumptæque omnes vana in proscenia rupes.

4. *Collatæ loquelæ*, sermones familiares.

5. *Mea viscera*, amicus meus intimus. De Thesbone omnia ignota. Sed hic commune hospitium videtur advenis præbuisse, quod e versibus proximis colligitur.

6. *Frondosæ vitis antrum* est pergula e vitibus conjunctis structa, ut umbram præbeat, alias trichila dictæ; qualem habere caupones, et qui hospitio excipiebant alios, solebant, ut e Copa incerti auctoris v. 8 apparet : « Est trichila umbriferis frigida arundinibus ». — *Trichila* enim est idem quod nos hodie, quamquam aliquantum detorta pronunciatione, in Gallia retinemus et *treille* dicimus. Ed.

8. *Dic igitur.* Hactenus Salmon. Adloquio Salmonis comiter exceptus et in hospitium deductus Victor, vicissim Salmonem adloquitur, et apud eum queri de tristi statu patriæ suæ incipit, in qua Salmon Abbas quidem, sed tamen peregrinus et aliunde oriundus, vivebat. Hinc enim vers. 48 et 91 *vestram urbem* et *vestrum populum* dicit. Bibliotheca Patrum Lugdunensis pro *Salmon* hic et alibi *Salomon* ponit, et sequenti versu *delectat*, quod sane magis placet.

11. *Turbato fœdere*, securitate et pace, qua vita hominum illæsa gaudere debet, ex vinculo naturali, quod hominibus intercedit. Hoc est, quod pastor apud Virgil. Ecl. I, 12 queritur : « Undique totis Usque adeo turbatur agris ».

13. *Nec prosunt solido de marmore constructæ*, quin diruantur aut occupentur a Barbaris.—*Vitæ* bis in fine versus admissum, improvide.

14. *Proscenia*, pro ipsa scena, vel theatro, ut apud Virg. Georg. II, 381, vel potius pro quovis prætorio vel ædificio splendido, ut Prosper Aquit. de Provid. *exustæ proscenia diruta villæ*. Furorem ejus ætatis in spectaculis et theatris passim ædificandis etiam deplorat Salvianus de Gubern. Dei, lib. VI. — *Absumptæ rupes* de ædificandi insania, ut Petronius supra, de Mutat. Reipubl. v. 90 : « Perfossa dehiscit Molibus insanis tellus, jam montibus haustis Antra gemunt ».

At vero interior pestis, bellumque profundum
Olim nos densa telorum nube fatigat,
Sævior et tanto, quanto est occultior hostis:
Et tamen, heu! si quid vastavit Sarmata, si quid
Vandalus incendit, veloxque abduxit Alanus,
Ambiguis spebus licet et conatibus ægris,
Conamur quamdam in speciem reparare priorum.
Illa autem nostro quæ sunt amissa periclo
Negligimus, longoque situ squalescere mentis
Ignavi patimur, subjectaque colla catenis
Dedimus, et manicis peccati præda ligamur.
Et prius est vitem purgare, abscindere sentes,
Ostia convulsa ac fractam renovare fenestram;
Quam latos campos animæ, et præcordia cordis

15. *Bellum profundum*, occultum et in vitiis animi reconditis hærens. Salvianus, lib. VI, p. 198 de Gallicanis civitatibus: « Quamvis depopulatis jam atque nudatis aliquid supererat de substantia, nihil autem de disciplina. Adeo graviores in semet hostes externis hostibus erant, ut licet jam a Barbaris eversi essent, a se tamen magis everterentur ».

18. *Vastavit Sarmata*, Gothos intelligere videtur, qui erant gens Sarmatica vel Scythica, sicut et Alani. Nempe Gothos hic silere non potuit, qui erant præcipui populorum, Galliam devastantium. De his et cæteris gentibus, hic nominatis, testatur Prosper in Chron. ad ann. XVI Arcadii et Hon. « Saxonum incursione devastatam Galliarum partem Vandali atque Alani vastavere »; ad ann. XVIII: « Rursum alia prædatio Galliarum, Gothis, qui Alarico duce Romam ceperant, Alpes transgredientibus »; et ad Theodosii ann. XIX: « Alani, quibus terræ Galliæ ulterioris cum incolis dividendæ a Patricio Aetio traditæ fuerant, resistentes armis subigunt, et expulsis dominis, terræ possessionem vi adipiscuntur ». Etiam de his multa queritur auctor carminis de Providentia Dei, in prologo.

21. *Conamur*, quia præcedit *conatibus*, mallem mutare in *tentamus*. — In eam sententiam Rutilius, Itin. I, 29, de eadem calamitate Galliæ patriæ suæ loquens: « Jam tempus laceris post longa incendia fundis, Vel pastorales ædificare casas ». Ed.

23. *Squalescere mentis*: puto legendum *mentes*. *Patimur squalescere*, i. e. nolumus purgare animos nostros ab inveteratis erroribus et vitiis, vel mores emendare.

26. *Prius est*, prior cura est.

28. *Præcordia cordis*, ταυτολογεῖ. Potuisset servans campi metaphoram dicere *atque novalia cordis ex-*

Excolere, et captæ collapsum mentis honorem.
Nil hostis, nil dira fames, nil denique morbi
Egerunt: fuimus qui nunc sumus, hisque periclis
Tentati, nihilo meliores reddimur unquam,
Sub vitiis nullo culparum fine manentes.
Nil sanctum est nobis, nisi quæstus, et illud honestum est,
Utile quod fuerit; vitiisque vocabula recti
Indimus, et parci cognomen sumit avarus.
At qui confessis vitiis, et crimine aperto,
Non potuere suas virtutis imagine fraudes
Obtegere., occulto foverunt vulnere plagas,
Quos terrena trahit sapientia, nescia veri.
Quosdam infelices qui decipit, incitat error,
Dum caussam inquirunt rerum, astrorumque meatus,
Quæ sit forma poli, cur longo flumina cursu

colere. Sed vix dubito, quin legendum sit *penetralia cordis*, quod plane simili in oratione usurpavit Prosper Aquit. vel quisquis auctor est carminis de Provid. Dei: « At tu, qui squalidos agros desertaque defles Atria, et exustæ proscenia diruta villæ, Nonne magis propriis posses lacrymas dare damnis, Si potius vastata tui penetralia cordis Inspiceres, multaque obtectum sorde decorem? » — Cæterum quod hic auctor queritur, suos homines de agris et domibus suis reparandis, non item de cultu animi cogitare, id in mentem revocat sententiam fere geminam Juvenalis, Sat. XIV, 63, ubi exprobrat patribus et dominis, quod, venturo quodam hospite, atrii quidem pavimentum verrendum, et vasa omnia sollicite extergenda et mundanda curent, illud minus provideant, ne qua labe vitiorum adspersam sanctam domum sui liberi adspiciant: « Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino, etc. » Ed.

29. *Collapsum*, quasi ruinosum et dirutum ædificium, respicit ad *ostia convulsa*, etc.

31. *Fuimus, qui nunc sumus.* Sed Salvianus, l. sup. cit. l. VI, p. 196: « Inundarunt Gallias gentes barbaræ: ergo quantum ad mores perditos spectat, non eadem sunt Gallorum crimina, quæ fuerunt? »

35. *Vocabula recti:* adumbratum videtur e Sallustii Catil. cap. 52: « Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus; quia bona aliena largiri, liberalitas, malarum rerum audacia, fortitudo vocatur ».

37. *Confessis*, manifestis et minime negandis. —Vid. quæ notavimos ad Calpurn. Ecl. I, 55; huj. op. tomo I, p. 401. Ed.

39. *Occulto foverunt*, occultando et extenuando servarunt et aluerunt.

40. *Quos terrena.* Non satis adhæret hic versus prioribus; adeo

Non pereant, latus jaceat quo limite pontus:
Quæque Deo tantum sunt nota, recondita cunctis,
Scire volunt, heu grande nefas! et scire videntur.
Ista quidem, Salmon, sunt nostri crimina sexus.

SALMON.

Sed levis est vestra vitiorum morbus in urbe,
Si non feminei magis exarsere furores.

VICTOR.

Ante diem, Salmon, tenebris nox humida condet,
Quam possim mores hujus percurrere turbæ;
Quæ quum lege Dei vivant sub lege virorum,
Proh pudor! haud unquam sine nostro crimine peccant.
Nam nisi delictis faciles traheremur earum,
Haud illas vitiis vellemus vivere nostris:
Nec rigidas auro vestes, nec vellera Serum,
Nec lapides, toto quos fert mercator ab orbe,
Fundorum pretiis emerent, suspiria mœsta.

ponendus videtur post sequentem.

44. *Latus jaceat quo limite pontus:* qui sint fines, et quæ litora Oceani, quo et quantum extendantur.

46. *Heu grande nefas!* Immo nefas potius, nolle uti ingenio et ratione a Deo data, ut sciamus, quæ et quanta sint opera Dei. — Sed in eadem sententia est Lactantius, Instit. Div. lib. III, capp. 3, 6: « Quanto magis, qui naturalia, quæ sciri ab homine non possunt, scire se putant, furiosi dementesque sunt judicandi ». Ed.

48. Hoc et sequente versu interloquitur Salmon, et versu 50 respondet, vel pergit auctor.

50. *Ante diem* expressisse e Virgilio videtur, Æn. I, 374: « Ante diem clauso componet vesper Olympo ».

54. *Traherentur* editum est in Biblioth. Patr. quod procul dubio errori operarum adscribendum est.

58. *Fundorum pretiis.* Ita loqui et Veteres de luxu feminarum in gemmis et margaritis solent. Seneca, lib. de Vit. Beat. « Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit ». Idem, de Beneficiis, VI, 9: « Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent ». Scilicet singulorum unionum, qui bini aut terni aure dependebant, pretium vult censum et patrimonium effecisse. Tertullianus de habitu mul. « Saltus et insulas tenera cervix fert: graciles aurium cutes Kalendarium expendunt ». Acute Marius *suspiria mœsta* vocat emptos lapides, quod multis suspiriis a cupida muliere expetuntur, et empti mœstitiam relinquunt, pœnitentia insani pretii.

Jungimus at vanas, non est pudor addere, curas;
Si gravis ignotis processit Lesbia gemmis,
Et decies Passina novo radiavit in ostro,
Confestim ornatum sibi quæque exposcit eumdem.
Ergo quod variis studeant occurrere formis,
Atque viris alios aliosque opponere vultus,
Nonne hæc culpa viri est? quid agunt in corpore casto
Cerussa et minium, centumque venena colorum?
Mentis honor, morumque decus sunt vincula sancti
Conjugii: si forma placet, venientibus annis
Cedet amor; sola est, senium quæ nescit, honestas.
Nam quod perpetuis discursibus omnia lustrant,

60. *Processit*, sc. in publicum. Hoc verbum de ornatis feminis usitatum. Propert. I, 2, 1: « Quid juvat ornato procedere, vita, capillo ». Tibull. IV, 2, 11: « Urit, seu Tyria voluit procedere palla ». Ovid. Art. Am. III, 165: « Femina processit densissima crinibus emptis ». Horat. carm. II, 8, 6: « Enitescis Pulchrior multo, juvenumque prodis Publica cura ». Ed.

61. *Decies*, persæpe, nisi velis *toties* legere. — Τῷ *decies* sic usus sæpe Horat. ut Art. Poet. *Præsectum decies non castigavit ad unguem*. Ibid. v. 365. « Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit ». Ed.—*Radiavit* de splendore purpuræ et gemmarum. Propert. I, 15, 7: « Nec minus Eois pectus radiare lapillis », ubi tamen *variare* alii volunt. Claud. IV Cons. Hon. 552: « vestis radiato murice solem Combibit ». — Activo nimirum sensu *radiare lunam* sol dicitur pro *illustrare*, Fulgent. vel Varr. Atrac. Astron. v. 57.—*Passina* nomen Romanum haud infrequens. Pro *Passiena* positum docet inscriptio a Vignolio edita, p. 257:

D. M.
PASSIENAE S
ACMES. FECERVNT
L. PASSINVS CRIS
PVS. ET. PASSIENA
SABINA. FILI. MAT
BENE MERENTI

64. *Alios vultus*, aliter ornatos. Sic *faciem* ornatum capitis dicit Propert. I, 15, 5: « Et potes hesternos manibus componere crines, Et longa faciem quærere desidia ». Nescio tamen, an hic potius *cultus* legendum sit, ut respiciat ad *ostrum Passinæ* versu 61.

66. *Cerussa et minium*, colores albus et ruber, quibus fucare faciem solent mulieres. Hinc *cerussata candidiora cute* Martial. VII, 24, 2.—*Venenum* quilibet liquor medicatus: hic de medicamine faciei. Ovid. de Remed. 351: « quum positis sua collinet ora venenis ».

70. *Discursibus omnia lustrant*. Tangit vitium mulierum, quas Apostolus descripsit, Tim. V, 13, 1. quæ pervagantur domos otiosæ; nugaces, et curiosæ sunt; et Theognis, v. 581, γυναῖκα περίδρομον vocat.

Quod pascunt, quod multa gerunt, quod multa loquuntur,
Non vitium nostrum est? Paulo et Salomone relicto,
Quod Maro cantatur Phœnissæ, et Naso Corinnæ,
Quod plausum accipiunt lyra Flacci, aut scena Terenti,
Nos horum, nos caussa sumus; nos turpiter istis
Nutrimenta damus flammis; culpane caremus?
Nam velut acceptas referunt specula optima formas,
Sic exempla virum uxores accepta sequuntur.
Sed cur infelix in culpa est femina tantum,
Quum placeat stolido conjux vitiosa marito?
Unus ubique hostis diffuso turbine sævit:
Nec mirum est vinci belli terrore subactos.
Quod si correcti sanum saperemus, et atris
Libera mens nebulis Christo purgata pateret,
Si falcem verbi cordi imprimeremus et illinc

71. *Quod pascunt. Pascere* absolute positum apud scriptores sequioris Latinitatis significat convivium dare aut celebrare: quod latius demonstravit Salmas. ad Spart. Hadr. c. 17, et ad Lamprid. Alex. Sev. c. 41. Sic usus est Sulp. Sev. Dial. I, c. 17: « Sæpius poposcit a Martino, ut ei convivium in suo monasterio daret; in quo exemplum B. Ambrosii præferebat, qui Consules et Præfectos subinde pascere ferebatur ».

72. *Paulo et Salomone relicto*, neglecta sacrorum librorum lectione, præsertim Salomonis et Pauli, qui præcipue mores feminarum instruunt.

73. *Phœnissæ* et *Corinnæ*, h. e. mulieri, quæ moribus Didoni et Corinnæ similis est, et amatores suspirat.

74. Lectione Horatii et Terentii corrumpi pudicitiam feminarum ait. Contra Ovidius in Arte Amat. III, 331, Lyrica et Comœdias amantibus legenda commendat: « Nota sit et Sappho: quid enim lascivius illa? Cuive pater vafri luditur arte Getæ ».

77. *Acceptas:* malim scribere *exceptas*, quia mox sequitur *accepta*. *Accipere* de speculo, vel de unda imaginem referente sæpe usitatum. Plin. XXXVII, 60: « speculi more solem accipit ». Cæterum respexisse Marius hoc loco sententiam Terentii videtur, Adelph. III, 3, 61: « Inspicere, tamquam in speculum, in vitas omnium jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi ».

85. *Si falcem verbi.* Si verbo Dei castigari nos et emendari pateremur: metaphora ducta a putatione vitium. Virgil. Georg. I, 156, « ruris opaci Falce premes umbras ». Simili phrasi de castigatione vitiosæ indolis utitur Tertull. de Pall. p. 31, ed. Salmas. *Immergo æque sculpellum acerbitati ei.*

Vellemus veterum vitiorum abscindere nodos,
Adversus Christi famulos vis nulla valeret:
Nec nos Riphæi prosterneret arcus Alani,
Nec servile etiam subverteret omnia bellum;
Et qui nunc nostra grassantur clade superbi....

SALMON.

Attamen in vestro populo non rara bonorum
Turba viget, multosque pios Ecclesia nutrit.

VICTOR.

Sunt plane insontes multi, Pater optime, quorum
Esse velim similis; nec desunt in grege nostro,
Victrices reddat quas sexus uterque coronas.
Ac si quid patriam commendat, si quid in illa est,
Quod juvat; hoc unum est, hæc sunt solatia vitæ.

86. *Abscindere nodos:* respicit nodos pullulantium ramusculorum et inutilis silvæ in arboribus: cui similes phrases ubique obviæ apud Veteres. Cic. Tuscul. III, 6: « Non solum ramos miseriarum amputare, sed omnes radicum fibras evellere ».

88. *Riphæi*, a Riphæis montibus Scythiæ, vel Sarmatiæ, unde orti Alani credebantur.

89. *Servile bellum* intelligo de Bagaudis, quo nomine homines notabantur factiosi et rebelles, ex agrestibus Galliarum, qui, ut Salvianus, lib. V, pag. 150, prodit, judicum et præfectorum iniquitatibus et rapinis coacti, a Romanis defecerunt, et loca situ munita occupantes, perpetuis latrociniis in obvios grassati sunt. Ipsum nomen *Bagauda*, Gallicum, rebellionem, latronem vel rebellem significat. Prosper Aquit. in Chron. « Omnia pæne Galliarum servitia in bagaudam conspiravere ». Plura de Bagaudis suppeditabit Rittershusius ad Salviani l. c. et Cangius in Glossar. voc. *Bagaudæ*.

91. *Attamen.* Hæc subjicit Salmon, paullum solari et elevare cupiens Marii querelas. Et hic respondet versu 93.

93. *Pater optime*, adloquutio Abbatem designans. Hac tamen et Veteres utebantur, reverentiæ caussa, erga majores natu. Hor. Serm. II, 1, 12: « Cupidum, pater optime, vires Deficiunt ».

94. *Grege nostro*, de populo vel christiana secta.

95. Non satis capio, quid sit hic *victrices reddere coronas*, nisi sit adlusio ad locum quemdam sacrarum literarum, fortasse eum Joanneæ Apocal. cap. IV, 10, quo seniores coronas suas projicere dicuntur ad solium Dei. Sed fortasse pro *reddat* legendum est *redimat*, h. e. mereatur l. vindicet sibi. — *Coronæ* vero sunt insignia vel præmia pietatis atque virtutis.

97. *Quod juvat:* legendum puto *juvet*.

Nunc age, chare Pater, cupido mihi fare vicissim,
Quæ te digna satis requies susceperit, ex quo
Te corde hinc gestans abii, tecumque resedi.

SALMON.

Non equidem invitus recolam mea gaudia Salmon,
Nec te tantorum indicio laudabo bonorum.
Sed jam conclusi nos admonet hora diei
Surgere, et ad sacros sanctorum occurrere cœtus:
Crastina lux verbis accedet libera nostris.

99. *Digna satis requies:* post varias calamitates, vel itinera peracta, sedes fortunarum; forte munus Ecclesiasticum.

100. *Te corde hinc gestans abii.* Idem fere aliis verbis exprimit Plinius, epist. 31: «Postquam a te recessi, non minus tecum, quam quum apud te, fui». Ed.—*Tecumque resedi.* In biblioth. Patr. expressum est *refelli*, quod non intelligo, sed nec illud satis paret.

101. Videtur hic respondere Salmon, et expetitam a Mario narrationem rerum suarum polliceri. *Salmon* igitur hoc versu casus primus est. Ego quidem Salmon, inquit, non invitus recolam vel repetam, quæ mihi hactenus grata evenerunt.

102. *Nec te tantorum.* Bibl. Patr. hic dedit *taurorum*, mendose et inepte. — *Laudabo* hic non convenit: legendum puto *fraudabo*. Non fraudabo te indicio, quod tantopere desideras, eorum bonorum, quæ adhuc mihi contigerunt. Petronius, cap. 3. «Adolescens, quoniam sermonem habes non publici saporis, non fraudabo te arte secreta»; et Sulpicius Severus Dialogo I, c. 6: «Nihil, inquit Posthumianus, vestra studia fraudabo».

104. *Ad sacros sanctorum occurrere cœtus:* ad officium sacrum vespertinum, in templo obeundum. Unde hæc in cœnobio apud Abbatem agi suspicor.

105. *Accedet libera:* h. e. crastina luce liberum erit nobis, hunc sermonem persequi.

VARIORUM

ELEGIÆ

QUIBUS ADDITUR

FIRMIANI LACTANTII

CARMEN DE PHOENICE.

DE ELEGIIS

QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR

EARUMQUE AUCTORIBUS

PROOEMIUM.

Primus in Veterum Elegiis locus merito datur Elegiæ ad M. Valerium Messalam. Nam Virgilio inscripsit et post Cirin ejus collocavit Pithœus, pag. 190, edit. Lugd. Eidem tribuit Scaliger, qui, cum Aldo et aliis, Catalectis Virgilianis inseruit post epigramma in villam Scironis, nulla tamen inscriptione signatam. Recentius eam critica ratione castigatam ediderunt Petr. Burmannus, Anth. Lat. lib. II, p. 292, et C. G. Heynius, vir ill. tomo IV Oper. Virgil. pag. 155. (Vid. Virgil. Editionis hujus, tomo V, pag. 172. Ed.) Virgilio non temere adscribendum hoc carmen esse, censebat Burmannus, neque ill. Heynius pro Virgilio plane pronuntiat, quamquam Augustei sæculi fetum in toto ejus colore et habitu facile agnoscit. Idem non dubitandum putat, ad M. Val. Messalam, quem Tibullus aliquoties laudat, hoc carmen scriptum esse, quum Messalam hic celebrari ex versu 40 pateat, neque alius ex Messalarum stirpe occurrat, ad quem opportunius referri possint, quæ in carmine memorantur. Quod de Aquitanico Messalæ triumpho, in quem Tibulli Elegia vii libri I scripta est, hic nulla mentio fiat, id non mirum videri posse, siquidem ad Messalam juvenem hæc scripta esse meminerimus, quum ille stipendiis aliquot, variis in bellis, meritis, aut alterius triumphi particeps fuisset, aut ipse ex Parthinis triumphasset. Ego

vero neque nullam Aquitanici triumphi mentionem fieri, contendere ausim, neque carmen ad Messalam adhuc juvenem scriptum esse. *Magni* enim *triumphi* victorem prædicat, qui et Aquitanicus esse potest, et cæteræ res gestæ Messalæ non ita diserte enarrantur, ut in iis Gallicæ victoriæ mentio requiri possit. Argumentum et summa carminis hæc est. Initio ob insignem victoriam gaudio exsultat poeta, ejusque occasione laudes Messalæ decantaturus eum sibi ut bellatorem magnum, et ut poetam præclarum proponit. Ab hoc altero pergens carminum ejus excellentiam, et, quam in iis celebraverat, amasiam vel speratam ejus laudat, comparatis cum ea veteribus quibusdam Heroidibus. In quibus quum extremo loco Lucretiam posuisset, ob quam Tarquinii expulsi sunt, attingit simul primorum Consulum, sigillatim Valerii Poplicolæ, tempora, qui auctor Valeriæ gentis ipsorumque Messalarum fuit. Ab hoc occasionem arripit gloriam antiquam, res gestas et merita Messalarum enarrandi, quæ affirmat non aliena ab opera, sed per se ipsa laudem et famam habitura, et tandem concludit, sibi satis esse, si divina Messalæ carmina quocumque modo imitari possit. Hac serie orationis proposita, unusquisque attentus carminis lector facile perspiciet, poetam, quas sibi res pertractandas sumpserat, quantumvis diversas et in brevi carmine vix sociabiles, non solum explicasse singulas multo lumine orationis, sed et disposuisse egregie, et perpetuo quasi vinculo complexum esse, ut propterea inanis et sublesta videatur Casp. Barthii sententia, qui Advers. lib. XV, cap. 22, excerptum esse prolixioris carminis, et res præconio minus dignas continere putat, et in notis ad Rutil. Itin. lib. I, v. 271, ait Elegiam esse laceram transpositionibus, lacunis et mendis obsitam. Aliena a proposito auctoris et inepta inprimis videtur quibusdam intexta feminæ illustris laus, adjunctaque veterum Heroidum recensio. Sed qui ita judicant, neque scopum poematis, neque caussas et nexum rerum ibi prolatarum satis perspiciunt. Scripta videtur Ele-

gia eo tempore, quum Messala Sulpiciam, Servii filiam, et amaret vehementer, et sibi matrimonio jungendam speraret, quam et ipse carminibus suis valde celebraverat. Virgilius, seu quisquis auctor Elegiæ est, qui gratum facere animo Messalæ et Sulpiciæ cupiebat, epinicium simul Messalæ victori, et epithalamium cecinit, ideoque tamquam primarias partes ejus carminis esse voluit tum Messalæ victoris, tum Heroidis, quam amaret ille, laudes. Hunc poetæ scopum si quis attenderit, non solum nullas hujus carminis ineptas digressiones, sed et easdem ingeniose contextas deprehendet. Nam a carminibus Messalæ laudatis Sulpiciæ, quæ iis celebrata erat, præconium repetit; rursus ab episodio, quo Sulpiciam ornaverat, Valeriæ gentis et Messalarum gloriam deducit: omnia vero ad Messalæ laudem trahit, ut huic summam felicitatem gratuletur. Præterea hujus carminis non alia ratio, nec finis alius videtur esse, ac quem Virgilius in Culice et Ciri elaboranda habuit, ut quasi exercitamento, unam rem vel fabulam variis digressionibus amplificandi, easque apte connectendi, uteretur, eoque magno operi Æneidis, multis exornando episodiis, præluderet. Præcipua carminis epici dos est, quam Virgilius in Æneide vel maxime observavit, ut totius operis summam e variis, iisque miris et inexspectatis, rerum eventibus, tamquam ex annulis catenam, contexat; ita quidem, ut unaquæque pars et prioribus cohæreat apte, et caussa sit sequentium, neque sine ipsius fabulæ detrimento eximi aut omitti possit. In Culice et Ciri videmus Maronem quosdam locos sibi omni copia et ornatu orationis explicandos, fabulæque intexendos, sumpsisse, quamquam, ut Critici judicant, in membris singulis apte connectendis nondum ita elaboratum opus est, ut tota compages carminis nulla parte luxata et inconcinna videatur. Equidem in Elegia ad Messalam nolo adfirmare istam diversarum rerum conjunctionem auctori multo felicius cessisse; attamen similis auctoris opera et structuræ ratio adeo apparet, ut non improbabilis eorum opinio vi-

deatur, qui egiam hanc Virgilio, certe Ciris auctori, quæ ipsa Messalæ dedicata, et ejusdem filii carmen est, deberi existimant. Accedit etiam dictio ipsius carminis plane similis Virgilianæ, si imitatio ejusdem probare eumdem auctorem potest. Certe Scaliger, ut hoc probet, partem exemplorum adduxit in principio adnotationum. Tale est: *Mœris pastores et Melibœus erant:* item *Qualia Trinacriæ doctus amat juvenis:* nam Theocritum studiose imitatus est. Præterea *Non nostrum est, inquam, tantas attingere laudes*, est effictum ex illo: *non nostrum inter vos tantas componere lites.* Quando poetam magnum describit eum esse, qui dignus sit choros inire Phœbi et Musarum, vs. 6 et 59, hoc idem de Gallo poeta prædicat Ecl. VI, 66. Quod versu 11 usurpat, *fatebor enim* plane familiare Virgilio est; sic enim Ecl. I, 32, *Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat*, et Æn. IV, 20, *Anna, fatebor enim, miseri post fata Sichæi*, etc. Quæ verba auctor v. 44 usurpat, *tam procul a patria*, etiam Virgilius habet Ecl. X, 46. Frequens etiam Virgilio est, quod versu 13 chartas nominat pro carminibus vel voluminibus poetarum. Vid. Culicis v. 24, Cir. 62, et Catal. 7, 13.

Inter poetas Elegiacos, qui minora reliquerunt opera, optimo jure referendus erat *C. Pedo Albinovanus*, si quidem Jos. Scaliger, et qui hunc sequuntur, audiendi sunt, qui ei tres Elegias, unam ad Liviam Aug. de morte Drusi Neronis, alteram in obitum Mæcenatis, et tertiam de verbis Mæcenatis moribundi, adscripserunt, et singulari etiam volumine sub Albinovani nomine ediderunt. Sed quod ad primam earum Elegiarum attinet, quamquam Scaligero eruditi adsenserunt haud pauci (1), inventi tamen sunt et libri veteres, et eruditi alii, qui Ovidio Nasoni adsignarent, in quibus est Passeratius, in præfationibus pag. 286, et Casp. Barthius, Advers. lib. X, c. 9, XXI, 2, XXX, 11, LIII,

(1) Inter eos Lipsius Eclog. Albinovano attribuit Epist. Quæst. lib. III, cap. 3. Ego vero hanc Ovidio restitui, nostr. ed. tom. I, p. 405. Ed.

13. Præterea adjungi hoc poema plurimis operum Ovidii editionibus consuevit, doctorumque commentariis illustratum est, ut ad nostram operam et hanc collectionem poetarum vix pertinere videatur. Est quidem Consolatio ad Liviam poema elegantissimum, et Augusteo ævo plane dignum; Pedoni tamen quæ id tribuit sententia tam levi conjectura nititur, ut sæpius miratus sim, Scaligerum id tam facile sibi et aliis persuadere potuisse. Nam ex rationibus istis, quibus Scaliger nititur, vix ullam aliqua probabilitate præditam reperio, præter eam, quam ex alio fragmento C. Albinovani de Drusi navigatione per Oceanum Septentrionalem, a Seneca Suasoria I servato, ducit, et unde colligit Scaliger, Neronum vel potius Drusorum familiæ clientem fuisse Albinovanum. Nam quod eumdem Tiberii, fratris Drusi, comitem et scribam fuisse, ex Horatii Epist. I, 8 odorari voluit, in eo falsus est Scaliger, Torrentio ad eum locum docente, diversos esse Celsum Albinovanum ab Horatio memoratum, et hunc Pedonem, qui navigationem Germanici descripsit. Cætera, quæ de Pedone legimus, non videntur esse ejusmodi, ut ei Elegiam ad Liviam facile adscribere possimus. Inter poetas heroicos eum reponit Quintilianus, lib. X, cap. 1, et propter sublimitatem styli *sidereum* appellat Ovidius ex Ponto, IV, 16, qui etiam Thesei gesta eum scripsisse innuit lib. IV, 10. Ex his profecto non intelligas Elegiæ præstantissimæ scriptorem. Alteram tertiamque Elegiam quod attinet, Scaliger eas multo minore, quam primam, jure Pedoni Albinovano adserere conatur, neque de his parem eruditorum adsensum consequutus est. Nihil in iis spiritus poetici, nihil Augustei ævi poeta, multo minus *sidereo* illo et *sublimi* Pedone dignum reperitur. Quamquam pura sunt pleraque et Latina, languent tamen omnia, et mores Mæcenatis scholastica fere eruditione, planeque ignava oratione, quæ plus artis, quam ingenii, habeat, defenduntur, ita ut fetum esse scholastici cujusdam poetæ sequioris ævi, non injuria crediderint plurimi doctis-

simique viri, ut Ger. Jo. Vossius, Artis Gramm. lib. II, cap. 27, et de Poet. Lat. cap. 2, et de Idol. Gent. cap. 31; Barthius, Advers. XVII, cap. 8, et XXIV, 14; Rutgers. in Lect. Venus. cap. 8; Bronckhus. ad Tibull. I, 1, 50; Masson. in vita Horat. pag. 143; denique Petr. Burmannus in prima adnot. ad Epicedium Drusi, et in notis ad Petron. cap. 112, cui accedit P. Burmannus sec. in not. ad Anth. Lat. tom. I, p. 251. Adducuntur quidem a Scaligero ex prima ista de morte Drusi, et ex altera de Mæcenate similes quidam versus, qui eumdem utriusque auctorem prodant; primo etiam versu Elegiæ de Mæcenate auctor priorem aliquam, juveni defuncto, scriptam, respicit, et versu 10 Lollium communem suum et Mæcenatis amicum nominat. Sed ex his et similibus hoc tantum tuto colligi posse arbitror, auctorem Elegiæ in Mæcenatem, quisquis ille fuerit, istius de morte Drusi auctorem imitari, et argumentum continuare voluisse, adeoque elaborare, ut idem utriusque auctor videretur. Nam certe occurrunt in posteriore Elegia in Mæcenatem, quibus respicere ad priorem illam in Drusum haud obscure videatur. Præter initium ejus, ubi juvenem ante a se defletum memorat, iterum versu 129 juvenis Hesperi a Venere in cælum recepti et in Luciferum versi, meminit, ubi Alb. Rubenius haud inepte hariolatur, Drusum intelligendum esse, qui in cælum receptus in celebri gemma Tiberiana sub figura Luciferi, Pegaso insidentis, repræsentetur. Idem auctor Elegiæ secundæ, quæ verba Mæcenatis moribundi exponit, versu 4 Drusi meminit, non multo ante Mæcenatem mortui, si quidem ibi Drusi nomen, loco Bruti, legendum esse viri docti haud sinistre judicant. Sed hæc ipsa fraudem vel imitationem recentioris auctoris spirant, qui fucum facere lectoribus et adlaborare voluit, ut idem utriusque Elegiæ auctor, et æqualis Mæcenatis haberetur. Diversum autem hunc ab auctore Epicedii in Drusum esse, hinc etiam potest colligi, quod in codicibus Catalectorum Virgilii manu exaratis, qualem bibliotheca Helmstadiensis publica servat,

sola de obitu Mæcenatis Elegia, non ista ad Liviam scripta, exstat. Illud etiam, quod vitia in Mæcenate vulgo reprehensa in eo carmine recensentur et diluuntur, recentiorem ipso Mæcenate auctorem prodit. Non enim magnis viris viventibus ita palam et vulgo objici vitia solent, ut statim publico vindice et defensore opus sit: longo post tempore, et demum mortuis eorum necessariis et amicis, insurgere liberæ voces solent. Quamquam igitur non Pedoni auctori adscribere Elegiam istam possumus, non nimis tamen remotæ ætatis eam esse largimur, et quum diversum adeo ab eo, qui Epicedium Drusi scripsit, auctorem habeat, neque in majoribus poetarum operibus exstet, merito eam huic collectioni poetarum minorum inserendam duximus. In vetustis Catalectorum Virgilii codicibus utraque de Mæcenate defuncto Elegia conjuncta, perpetua orationis serie, legitur; Scaliger vero alteram, ut diversam a superiore, separavit, cum eoque Pithœus in Poemat. Vet. et Meibomius ad calcem Mæcenatis sui, qui inscripserunt *Verba suprema Mæcenatis*. Iidem cum Scaligero in præponendo Pedonis Albinovani nomine consentiunt, Aldus tamen in utraque editione recte dedit sub titulo *Incerti auctoris*, et sic in codice Leidensi invenit Heinsius; eorumque auctoritatem sequutus est Petr. Burmannus, qui Elegias in Mæcenatem edidit Anthol. Lat. libro II, 119 et 120, atque inter alia adnotavit, in codice Leidensi et Vossiano hanc subscriptionem fuisse: FINIT ELEGIA VIRGILII MARONIS IN MECENATEM INVENTA AB HENOC IN DACIA. Præter memoratos scriptores separatim Pedonis Albinovani Elegias III et fragmenta cum interpretatione et notis variorum suisque edidit Theod. Gorallus, seu, qui sub eo nomine latet, Jo. Clericus, Amstel. 1703, et 1715, in-8. Hanc editionem cum interpretatione Goralli, sed omissis notis, repetendam typis curavit Andreas Gœzius, Norimbergæ 1771, in-8. Nobis fundus recensendæ hujus Elegiæ erit textus a Petro Burmanno datus.

Cornelius Gallus inter poetas Elegiacos minime præter-

eundus. Forojuliensem dico, cui Virgilius Eclogam X, et Parthenius Nicaensis Erotica sua inscripsit, quique Augusto aliquando carissimus, et ab eo primus Ægypti Præfectus constitutus, quum in odium ejus tandem venisset, suis se manibus interficere coactus est, ut Eusebius in Chronico, Suetonius ac Dio testantur. Hic inter præcipuos Elegiæ scriptores ingenio et fama nobilitatus, cum Tibullo, Propertio, Ovidio comparari a Quintiliano meruit, Inst. Orat. X, 1, 93, et non solum Euphorionis carmina in Latinum transtulit sermonem, sed et Amorum libros IV de Cytheride, quæ ipsi Lycoris dicebatur, scripsit, ut Donatus in vita Virgilii et Servius ad Eclogam ejus X tradunt. Eorum quidem carminum omnia temporis injuria perierunt, sed fama ejus amorumque Lycoridis ita posteritati conciliata est per Eclogam X Virgilii, ut recentiores poetæ exorirentur, qui, quasi desiderium amabilis poetæ ferre non possent, vel imitari amores ejus carminibus, vel aliena supponere ejus nomini vellent. Sub *Cn. Cornelii Asinii Galli Forojuliensis* nomine primum editæ a Pomponio Gaurico Venet. per Bernardinum de Vitalibus, 1501, in-4 (1), et deinde multis Triumvirorum Amoris editionibus adjunctæ sunt Elegiæ VI, quas Maximiano potius, infimæ Latinitatis poetæ, deberi certo compertum est: aliam a sex iis diversam, cum tribus epigrammatibus, anno 1590 Florentiæ vulgavit Aldus Manutius, Paulli filius, qui veras Galli reliquias a se repertas, orbi erudito persuadere voluit. Utrique Elegiarum editori fortasse non alia caussa Gallo eas tribuendi fuit, quam quod puellam Lycoridem ab utroque auctore celebrari viderent, cujus nomen tamen olim non Gallus solum, sed etiam Horatius, Carm. I, 33

(1) Refert eam editionem Maittarius in Annal. Typogr. t. II, p. 150; et legenda est observatio, quam e Menagianis eo loco subjicit Maittarius. Post editionem Venetam, 1501, Elegiæ sub Corn. Galli nomine prodierunt cum Gregorii Tiferni opusculis, et Sulpiciæ Satira, Argentorati, per Matthæum Schurerium, 1509, quæ editio supra indicatur inter edit. Sulpiciæ, pag. 52. En.

usurpavit. Sed præter nomen Lycoridis nihil omnino in sex istis Maximiani Elegiis occurrit, quod suspicionem moveat, ad Gallum eas pertinere; cætera omnia sunt contraria. Auctor senectutis suæ debilitatem deplorat, seque a puellis quibusdam lusum et contemptum esse queritur, quum Gallus ille Cornelius contra tertio et quadragesimo ætatis suæ anno vitam finierit. Ille se Etruscum gente profitetur et missum legatum in Orientem ad pacem conficiendam, amici et familiaris sui Boetii, viri consularis, meminit, immo ipsum se versu aliquo Maximianum nominat, quod solum nomen in vetustis harum Elegiarum exemplis manuscriptis, atque etiam primis ante Pomponii Gaurici editionem vulgatis, quale publica Academiæ nostræ bibliotheca servat (1), præscriptum legitur. Missos esse a Theodorico, Gothorum rege, ad Anastasium, Orientis Imperatorem, legatos de conciliandа inter utrumque regnum pace et amicitia, apparet e Cassiodori epistola prima libri I. Sub Theodorico florebat Anicius Manlius Boetius, cujus æqualem se Maximianus profitetur. Hæc plane conveniunt in auctorem Elegiarum, ejusque ætatem declarant, ut vixisse eum sub Anastasio et Theodorico, et honoribus in re publica functum intelligamus. Atque etiam spectare ad hunc Maximianum Cassiodori Variar. libri I epistola XXI videtur, ubi ei ratiocinia fabricarum urbis Romæ, et operarum publicarum a rege Theodorico commendantur, ipseque in inscriptione epistolæ vir illustris appellatur. Accurate de eo viro, et de Gaurici fraude, in Elegiis ejus Cornelio Gallo supponendis, egit

(1) Exstat in bibliotheca Academiæ Helmst. vetustissimum et fortasse primæ editionis exemplar Elegiarum Maximiani, nullo quidem anni et loci indicio notatum, sed ut ex aliis typorum et chartæ, librorumque adjunctorum, signis colligi potest, intra annum 1470 et 1480 impressum, quod hunc titulum Elegiis præfixum habet: *Maximiani philosophi atque oratoris clarissimi ethica suavis et perjocunda incipit feliciter.* Obiter de hoc exemplo moneo, id numeros Elegiarum non habere, nec Elegias ita divisas, ut in editis esse solent; præterea in fine abundare quatuor versibus, quamvis ineptis et vitiosis, qui in vulgatis non leguntur.

Goldastus, in præfat. vel dedicatione ad Ovidii Nasonis Erotica, Francof. 1610, ex eoque Daumius Epistola ad Reinesium LXXX. Elegias idem Goldastus inter Erotica Ovidii editas *Cornelii Maximiani Galli Etrusci Amores* inscripsit, nescio an veteris codicis auctoritate adductus. Polyc. Leyserus, in Histor. Poetar. med. ævi, nihil de isto Maximiano habet, quod miror, tametsi ad eum provocet Fabricius in Bibl. Lat. lib. I, cap. 14. Longinum Maximianum, nescio qua auctoritate, vocat Brouckhusius in notis ad Tibullum, pag. 29 et 172, et malorum temporum non pessimum nugatorem dicit. Ego Elegias istas poetæ pro ætate sua non spernendi, quamvis ingenio suo ad nugas et ineptias abutentis, fortasse alio tempore et loco inter infimæ Latinitatis poetas referam, nunc potius alteram, Gallo tributam et ab Aldo Manutio vulgatam, Elegiis inserere placuit, quæ paullo melior istis prioribus, et Cornelio Gallo majore cum veri specie tribui visa est. Incipit : « Non fuit « Arsacidum tanti expugnare Seleucen. » Hujus Elegiæ notitiam dudum Lilius Gyraldus habuisse videtur, qui Dialogo IV Historiæ Poetarum, postquam impudentiam eorum, qui Maximiani nugatoris versus sub Galli poetæ nomine edidissent, perstrinxit, « unam vero, inquit, vel alteram « Elegiam ipsius Galli esse non abnuerim ». Sed eam, de qua nunc agimus, Aldus Manutius demum anno 1590, duodequadragesimo post Gyraldi mortem, publicavit Florentiæ sub nomine *Asinii Cornelii Galli*, quem pro Asinii Pollionis filio habet. Quid ipse senserit de hoc carmine, declarat in argumento Elegiæ præposito, quod integrum hoc loco repetemus : « Militabat Gallus adversus Parthos sub Ventidio, « imperatore clarissimo. Certior vero factus de valetudine « Lycoridos, quam in Urbe reliquerat, hanc in castris Ele- « giam scripsit, in qua mirabiliter amantium adfectus expri- « mit. Creber est sententiis non vulgaribus; magnifice ad- « surgit, nec otiose digreditur; oratione præterea suavis- « sima et vere Romana utitur, ita ut Quintiliani judicium

« mirari subeat, qui Gallum paullo duriusculum poetam interdum vocat ». Valde ab eo judicio discesserunt alii viri doctissimi, præsertim Pithœus, Poemat. Vet. p. 546, quem elucens ex eo carmine Latinorum quorumdam, Gallo ipso ætate posteriorum, aut parium imitatio, offendit, ut Galli esse credere nollet: sed et Barthius Gallo suppositam esse contendit, ad Stat. tom. I, p. 449, et « figmentum Aldi Manutii Junioris » vocat (1): tum omnium maxime contra eam insurrexit Josephus Scaliger, peculiari libello ad Claudium Puteanum perscripto, quo Elegiæ Galli cum tribus epigrammatibus animadversiones perpetuas subjecit (2). Quæ ibi a Scaligero notantur, eo spectant, ut appareat, carmen illud multis locis neque cum historia Romana, et rebus temporibusque Cornelii Galli, a Virgilio celebrati, nec denique cum moribus Romanorum antiquis et cum linguæ Latinæ proprietate convenire, habereque non solum dictionis, ex veterum quorumdam scriptorum locis imitatione expressæ, exempla, sed etiam recentioris idiomatis et barbarismi nonnulla vestigia. Neminem fore arbitror, quin lectis Scaligeri animadversionibus Elegiam hanc νοθείας convictam existimet;

(1) Non ipse Barthius sic vocat l. c. sed ait ita vocasse magna simplicitate Thomam Dempsterum, Antiquitat. lib. p. 424. Ed.

(2) Leguntur istæ inter ill. Jos. Scaligeri Opuscula varia, antehac non edita, non quidem ejus editionis, quæ Parisiis 1610 forma quarta prodiit, sed quæ Francofurti 1612, octonis. De eadem Galli Elegia sententiam suam exponit in epistola ad Jan. Gruterum, anno 1600 scripta: « Nunc, inquit, non primum incipiunt ludere de credulitate nostra artifices quidam, qui nobis sua pro antiquis obtrudunt. Id in Elegia ineptissima nomine Cornelii Galli fecerunt: in qua lacunas reliquerunt, et versus integros omiserunt, ut fidem vetustatis ex lituris et obsoleta lectione facerent ». — Accedit. Jo. Passeratii pronuntiatum in Præfat. in Ovidii Consol. ad Liviam, p. m. 221: « Valeat Pseudo-Cicero, ut hybridam vocem usurpem, et cum Pseudo-Cicerone facessat Pseudo-Cornelius Gallus. Ad auctores suos, qui nos fungos putant, redeant trans Alpes, unde huc malum pedem attulerunt ». Severius longe et acerbius judicium de hac ficta Corn. Galli Elegia fert Barthius in commentario ad Gratii Cyneg. v. 33, quod quia longius est, nunc non exscribimus. Ed.

occurrunt tamen in his aliqua, in quibus mitius et moderatius censere velim. Etsi certo constat, hanc Elegiam Gallo, Virgilii æquali, esse suppositam, propterea tamen nolim statuere recentissime confictam a Manutio, vel alio novissimæ ætatis, esse. Nimirum variis vetustatis Romanæ documentis probatum est, consuevisse veteres Grammaticos illustrium virorum optimæ et Augusteæ ætatis, præsertim poetarum, vitam, dicta, facta, amores, quin locos etiam, ex eorum carminibus lectos singularibus poematiis, exercitationis aut imitationis caussa, explicare. In quibus si quædam cum veritate historiæ, et cum virorum, qui celebrantur, rebus et temporibus observantur pugnare, ut sunt veteres Grammatici sæpe Romanæ antiquitatis egregie imperiti, propterea non pro fetibus barbari et infimi sæculi habentur. Mæcenatis vitam, mores et ultima verba superiore Elegia, vidimus, a Grammatico vel Scholastico poeta boni ævi enarrari. Virgilii non solum vitam novimus, sed et casus varios, argumenta librorum et locos quosdam singularibus carminibus a Grammaticis antiquis exposita. Quis igitur miretur idem Gallo, ejusdem ætatis celeberrimo poetæ, contigisse, ut amores ejus et Lycoridis, a Virgilio, Propertio, Ovidio dudum memoratos (1), scholatiscorum veterum aliquis, carmine sub ejus nomine composito, adumbraret. Quæ in eo carmine abhorrentia a more et sermone vere Romano notantur a Scaligero, possunt propemodum ita dilui atque defendi, ut poeta antiquo, licet non optimæ ætatis, non indigna habeantur. Si qua vero narrantur ibi, quæ Gallo illi veteri, Maronis amico, non satis conveniant, quis contendat, auctori Elegiæ, quisquis ille fuerit, ipsum illum Gallum Cornelium, nec vero alium ejusdem ætatis, et alia Lycoride insanum, propositum fuisse? Plures scilicet Gal-

(1) Virgilius celebravit Ecloga X. Propertius, lib. II, 34, 91 : « Et modo formosa qui multa Lycoride Gallus Mortuus inferna vulnera lavit aqua ». Ovidius, Am. I, 15 : « Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois, Et sua cum Gallo nota Lycoris erit ».

los, a Forojuliensi diversos, ab uno Propertio memorari, nuperrime observavit doctissimi poetæ interpres doctissimus Frid. Gottl. Barthius, in Clavi Propert. Et Ælium Gallum, cujus expeditionem in Arabiam Strabo memorat, ab Cornelio parum ætate remotum, ejusque post Petronium in præfectura Ægypti successorem, idem Strabo, lib. XVII, et Dio Cassius, lib. LIII, distinguunt. Hujus sine dubio soror vel propinqua est Ælia Galla, quam Propertius mœrentem ob viri sui Postumi in Parthicam expeditionem discessum inducit lib. III, El. XII, iterumque sub Arethusæ, ad Lycotam scribentis, nomine, de mariti militia et diuturna in castris Parthicis commoratione querentem facit lib. IV, Eleg. III. Utrumque nomen hujus conjugum paris, tum fictum illud Lycotæ, tum proprium Gallæ, adducere Elegiæ, de qua loquimur, auctorem potuit, ut permutatione nominum facta, Gallum in Parthica militia agentem, et Lycoridem absentis ejus desiderio tabescentem pingeret, omninoque Propertii carmina, ut ipsa eorum comparatio docet, multis locis imitaretur. Respexisse etiam alia Propertii loca videtur, quibus Galli alius et diversi casus quosdam memorat, ut lib. I, 10; I, 21; IV, 1, 95; quæ si commiscuit ille, nec eos diversos a Forojuliensi Gallo esse animadvertit, solennis ea Grammaticorum oscitatio est, quam propter fieri non potuit, quin multa a Cornelii Galli et Lycoridis persona aliena historiæque contraria dicerentur. Est hic prætcrea Grammaticorum vel scholasticorum mos, ut si exercitandæ poeseos caussa personam aliquam veteris memoriæ, aut locum poetæ antiqui, carmine volunt exponere, hanc lectionis suæ, in Veterum libris versatæ, usuram capiant, ut ex plurium scriptorum locis et phrasibus congestis opus suum exstruant, et quasi gemmis distinguant prisci sermonis, tum denique existimantes se apta personis et rebus dicere, si æqualium hominum ejusdemque ætatis multo sermone utantur. Inde frequentes ad veterum scriptorum verba et dicta adlusiones inveniuntur in poematiis eorum, qui, non ingenio suo sed

imitatione facti poetæ, similes antiquis videri volebant: inde adeo ex meris centonibus Virgilii carmina non pauca consarcinarunt. Dabimus paullo post in hoc ipso Elegiarum fasce Elegiam incerti ad virginem nimis cultam, quæ plane expressa ex aliqua Propertii est. Alia Elegia de Spe manifeste imitatur et explicat Tibulli et Ovidii similes quosdam locos. Talis est alia Sulpicii Luperci de Cupiditate, et ejusdem lyricum de Vetustate, quod alia in classe proferemus, totum fere ex phrasibus veterum poetarum consarcinatum. Neque igitur, si in Galli Elegia videmus auctorem verba nonnulla, aut phrases veterum scriptorum, usurpasse, propterea censendum est recentem aliquem et novissimæ ætatis auctorem fucum facere eruditis, carmine sub Galli nomine scripto, voluisse; sed potuit veterum Grammaticorum aliquis hoc opus suscipere, qui celebres in antiquitate Galli poetæ et Lycoridis amores, adhibita coævorum poetarum dictione, vel exercitationis, vel memoriæ Galli conservandæ caussa, exprimere carmine et tradere posteritati vellet. Certe litem, quam Scaliger auctori hujus Elegiæ movit, nondum decisam esse arbitror, adeoque dubium et controversum relinqui, sitne vetustus aliquis poeta, an recentior fraudis architectus, forte ipse Manutius, auctor Elegiæ habendus. Nam quæ historiæ et antiquitati Romanæ, quæ item Galli Forojuliensis et Lycoridis personæ contraria dici videntur, ea partim defendi possunt et excusari, partim potuerunt etiam a Grammatico non nimis recenti, eoque oscitante et imprudente committi: quæ autem a Scaligero observantur inesse verba ab usu sermonis vere Romani abhorrentia, et recentem redolentia idiotismum, eorum mihi nondum ita conclamata caussa videtur, quin nonnullis rationibus possint a suspicione ejus liberari. Quamobrem nolui Gallo ὑποβολιμαίῳ locum inter poetas minores negare, atque ejus Elegiam una cum tribus epigrammatibus, quæ Manutius prima editione adjunxerat, hic repetendam duxi. Subjeci etiam Scaligeri, quibus ejus poematis ingenuitatem im-

pugnavit, animadversiones, idque non solum raritate libelli, quo istæ continentur, permotus feci, ut dos aliqua accederet editioni meæ, sed etiam, ut addita adnotatione mea, ubi censuram Scaligeri aut refelli, aut mitigari posse crederem, lectori facultas amplius de quaque re judicandi daretur. Cæterum rarius edita est hæc Elegia Galli, et præter primam illam Manutii, deinde Pithœi inter poemata vetera, Scaligeri denique in Opusculis variis editionem, non eam novi alias, nisi in fine carminum Catulli, Tibulli, Propertii a Jano Gebhardo, et forte quibusdam aliis, additam (1). Petr. Burmannus sec. Epigrammata quidem Elegiæ subjecta, non ipsam Elegiam in Anthologiam Lat. recepit. Sunt qui Gallo etiam carmen lyricum, quod incipit : *Lydia bella puella, candida*, et decastichon ad Augustum de morte Virgilii et Æneide, cujus primus versus est : *Temporibus lætis tristamur, maxime Cæsar,* tribuere velint. Sed lyricum illud Maximiano potius Gallo, cujus Elegiis adjunctum in vetustis codicibus reperiebatur, quamquam et hoc falso, adscriptum est, et a nobis alio loco proferendum auctori magis probabili attribuetur. Alterum illud de morte Virgilii Scholastico poetæ, fortasse eidem, qui Elegiam Gallo supposuit, debetur, et sane ridicule Cornelio Gallo tribuitur, qui mortem sibi conscivit anno U. C. 727, adeoque sex annis ante decessum Virgilii, ut Scaliger ad Propertium et ad Eusebium notavit.

Quas sequi volui Elegias duas de *Mævio, qui tempore belli*

(1) *Quibusdam aliis*, ut in Simonis Abbatis Gabbemæ editione Catulli, Tibulli et Propertii, Traj. ad Rhen. 1659. Primum omnium autem hæc Elegia Galli Catullo, Tibullo, Propertio, ipsique Maximiano Gallo subjuncta videtur in editione, quæ Hanoviæ typis Wechelii prodiit, 1608, in-8; quæ in titulo dicitur *Editio auctior insuper poematiis aliquot, quæ vere Cornelii Galli*. In Michaelis Maittarii Corpore Poetarum Lat. Elegia Cornelii Galli ad calcem voluminis secundi subjicitur, et in collectione recentissima Pisaurensi exhibetur tomo VI inter Prætermissa et Addenda, p. 284. Ed.

civilis fratrem ignarus interfecit, perinde ac præcedentem Galli a Grammatico antiquo scriptas esse puto, qui illustre ac celebratissimum factum, quo quasi documento probari bellorum civilium impietas solebat, aptum putavit, in quo exponendo ingenium et stylum exerceret. Multi id scriptores antiqui, nec uno in bello civili, factum esse memorant, quandoquidem et sæpius fieri necesse erat, ut, partibus rei publicæ bello collisis, fratres vel propinqui ipsa in pugna concurrerent. Graviter tristem hunc casum fratris fraterna cæde occumbentis narrat Augustinus, de Civ. Dei lib. II, c. 25, sed quo bello id acciderit, reticet: « Jam, inquit, « cœperant bella civilia, et aliqua nefandorum præliorum « strages exsecranda præcesserat. Jam multos moverat, quod « miles quidam, dum occiso spolia detraheret, fratrem nudato cadavere agnovit, ac detestatus bella civilia, et se ipsum « ibi perimens fraterno corpori adjunxit. » In bello Cinnano id factum refert auctor Epitomes Livii, lib. LXXIX: « In « quo bello duo fratres, alter ex Pompeii exercitu, alter ex « Cinnæ, ignorantes concurrerunt; et, quum victor spolia« ret occisum, agnito fratre, ingenti lamentatione edita, rogo « ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit, et eodem igni « consumptus est ». A Pompeiano milite, prælio ad Janiculum adversus Cinnam commisso, id factum memorat Sisenna apud Tacitum, lib. III Histor. cap. 51. Paullo luculentius idem, sed de Sertoriano milite a Pompeiano occiso, memorat Val. Maximus, lib. V, cap. 5, 4, unde ambiguum sit, diversumne attulerit exemplum, an, quia conjuncti fuerunt Cinna et Sertorius, Sertorianum militem posuerit pro Cinnano. Cum Valerio tamen consentit Orosius, lib. V, cap 19 Quod carmine proposito poeta incertus describit, id bello civili inter Cæsarem Octavianum et Antonium, in ipsaque navali ad Actium pugna, accidisse ex ipso carmine intelligitur. Aliud denique fraternæ cædis, sed atrocius, exemplum, quoniam gloria adeo et præmium e facto petebatur, bello civili inter Vitellium et Vespasianum refert Tacitus loco cit.

e quo intelligere licet, adsuetudine bellorum civilium furorem civium auctum, pietatem reverentiamque juris omnem exstinctam, pœnitentiam flagitiorum sublatam esse. Nam « tanta, inquit Tacitus, victoribus adversus fas nefasque irreverentia fuit, ut gregarius eques, occisum a se proxima acie fratrem professus, præmium a ducibus (1) petierit. » Reliquis exemplis illustrius fuerit, necesse est, Mævii militis bello Actiaco, quod et singulari poemate celebrari a poeta meruit, et militis ipsius nomen servatum est, quod in cæteris tacetur. Et digna res in primis erat, quam poeta aliquis exsequeretur, quum inopinata fratris cæsi agnitio, pietatis erga occisum sensus, pœnitentiæ dolor, et extrema mœstissimi militis verba materiam exercendo ingenii acumini satis aptam præberent. Unde exercitium hoc fuisse arbitror Grammatici vel scholastici poetæ, qui, quo magis experiretur, quam res capere posset expolitionem, non una ejus tractatione contentus fuit, sed eamdem altero carmine repetiit. Quod similiter in aliis locis tractandis Scholasticos fecisse, ex multis exemplis patet. Sunt quidam reperti codices scripti,

(1) Simile facinus infelicissimæ cædis, non quidem bello civili, sed Punico secundo, nec in fratre, sed patre a filio imprudenter commissum, narrat Silius Ital. lib. IX a versu 67 ad 177. Scilicet Satricus Sulmonensis, qui olim captivus in Africam ductus, duobus filiis Mancino et Solymo domi relictis, in exercitu Hannibalis in Italiam redierat, quum sperans patrios se revisere lares posse, noctu e castris Punicis profugisset nudus, et in via Mancini filii, paullo ante ab hoste cæsi, armis ignarus se induisset; mox Solymus, alter ejus filius, qui e castris Varronis consulis furtim ad tumulandum fratris corpus exierat, patrem obvium ad lumen lunæ conspiciens, graviter vulnerat: sed sermone agnitus a patre, ipseque errorem suum intelligens, acerbissima querela edita, ad patris exstincti cadaver suo se ense confodit. Nec absimilis historia quam Tacitus refert, Hist. III, 25, Julium Mansuetum, Hispanum, bello Vitelliano a filio interfectum, qui dum semianimem patrem scrutatur, agnitus agnoscensque, et exsanguem complexus, voce flebili precabatur placatos patris manes, neve se ut parricidam aversarentur; simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. Ed.

qui duo hæc carmina, sine distinctione, conjuncta exhiberent; distinguunt tamen, ut par erat, alii, et impressi omnes, ipsaque lectio docet, eamdem rem in utroque, et diversa ratione tractari. Ediderunt hæc duo carmina Jos. Scaliger in Catalectis, lib. I, p. 185, et Pithœus Epigramm. vet. lib. IV extremo, qui inscripserunt « de Mævio, qui fra- « trem ignarus interfecit ». Denuo P. Burmannus sec. proposuit in Anth. Lat. lib. II, ep. 131 et 132. Hoc monente vetus Vossii codex ea inscripsit « De malo belli civilis », et Scalig. in schedis mptis, ubi ex antiquo codice descripserat, Lucano ea tribuit. Almeloveenius inter Epigramm. Vet. p. 4, dimidium poema, tamquam ineditum, vulgavit, quantum quidem in Lipsii notis ad Taciti l. c. legerat, etsi a Scaligero dudum editum sciebat. Nos ex Burmanni recensione repetemus.

E sepulcralium inscriptionum collectionibus profero Elegiam, quam *Epitaphium M. Lucceii incerto auctore* inscripsi, omissa ea, quam in marmore ipso præpositam habuit, epigraphe, vitiosa et corrupta : MEMORIÆ. M. LVCCEI. M. F. NEPOTIS. SEX. * ONVSIANIVS. Quod carmen omnium, quæ hodie exstant, lapidarium sine dubio longissimum atque elegantissimum est, atque eo poeseos genio elaboratum, ut, judice Burmanno sec., ad laudem optimorum aureæ ætatis poetarum adspirare possit. Quamquam illud nondum audeo ad primam et auream Latinitatis ætatem referre, propter vestigia, quæ mihi in eo occurrere visa sunt, imitationis veterum poetarum, et dictionis adeo ab iis mutuatæ. Auctor ipse carminis plane ignotus est, et nomen etiam illius, qui monumentum fieri curavit, in fronte lapidis ita corruptum est, ut verum exsculpi nequeat. Hoc intelligitur ex ipso carmine, M. Lucceium, qui defletur, nepotem fuisse ejus, qui monumentum posuit, qui tamen versu 15 illius affinis vocetur. Unde non avum Lucceii, sed avunculum, et Lucceium ex ejus non filia, sed sorore, nepotem habendum arbitror, eoque verba tituli NEPOTIS SEX ita legenda NEPOTIS SUI EX S.

sorore. Nam hoc sensu laxiore affinem subinde dici, observavit Gisb. Cuperus ad Lactant. de M. P. cap. 18, ubi si videmus affinem dici pro sororis filio, pari ratione etiam matris frater vel avunculus sic vocari potest. Summa ipsius Epitaphii hæc est : Auctor, quum nepotem præmaturo fato sibi ereptum graviter lugeret, fingit eum ex æthere delapsum sibi apparuisse; qui, eum adloquens a versu 15 usque ad v. 28, nuntiat se inter Divos receptum, et propterea, ut suum et propinquorum mœrorem minuat, hortatur. Tum eum in æthera reversum affinis lætis acclamationibus et votis prosequitur. Legitur insigne hoc Epicedium in veterum inscriptionum collectionibus fere omnibus, ut apud Gruterum, p. 1123, n. 7; Fabrettum in inscript. Syntagm. cap. III, p. 233; Labbæum in Thesaur. Epitaph. vet. p. 41; Ferretium in Musis lapidar. lib. IV, p. 240; Fleetwoodum in Syll. antiqu. inscript. p. 233, et Anglum anonymum in Delectu inscript. Roman. metric. N. X. p. 10. E Fabretto illud dedit Bonada in Carm. Lap. Ant. vol. II, pag. 231; denique Scipio Maffeius in Inscriptionibus variis, Museo Veronensi subjunctis, quamquam, quod mirum, lacerum et corruptum, edidit pag. 258. Novissime cum prioribus editionibus collatum recensuit P. Burmannus, Anthol. Lat. tom. II, p. 7. Memorant, qui ediderunt, totam inscriptionem tribus lapidis lateribus vel columnis continuari, unde et in nova Gruteriani Corporis editione ternis partibus divisa est. Septem postrema carminis disticha, ob infractam vel attritam lapidis oram, lacera sunt et mutila. Fabrettus eos versus ex Jo. Macario supplevit, alii editores aliter, ut cuique visum est. Nos ex iis supplementis quod optimum aptissimumque videbitur, usurpabimus.

Epicedio isti merito subjecimus aliud similis elegantiæ et melioris ætatis, *Epitaphium Claudiæ Homonœæ*, quod ei posuit Atimetus, Pamphili Ti. Cæsaris A. L. Libertus Anterotianus Conlibertæ et Contubernali suæ. Sic enim præfert titulus ei carmini in lapide appositus. Dudum hoc Epicedium

prodiderunt inter veteres inscriptiones Apianus et Amantius, pag. 234, G. Fabricius in Monum. Antiq. lib. II, p. 69, Joannes Tacuinus Inscript. Antiq. pag. 78, B. edit. Venetæ, anni 1525, et plerique alii tumulorum veterum editores, quos ad superius carmen nominavimus, præterea Pithœus inter Epigr. vet. lib. III, pag. 99, tandemque P. Burmannus, Anthol. Lat. tom. II, p. 90, qui, quæ alia ad notitiam et interpretationem epitaphii pertinent, large suppeditavit. Habet id eamdem fere formam ac superius carmen, et dialogum continet inter duos conjuges, quorum alter alteri suas laudes, suum dolorem, suum solatium impertit. Atimetus, nomen servorum et libertorum, frequenter occurrit in vetustis inscriptionibus. Qui hic nominatur, idem esse creditur, ac qui a Scribonio Largo Compos. CXX. « Cassii « Medici servus ac legatus Tiberii Cæsaris » dicitur; ubi Jo. Rhodius, in notis pag. 189, pro legato Tiberii legi vult *liberto*, ut cum præsente inscriptione conveniat. Lipsius in Comment. ad Taciti Annal. XIII, 19, hunc eumdem Atimetum ait esse *Domitiæ Neronis amitæ libertum*, Tacito memoratum, qui e domo Pamphili, liberti Tiberiani, transire potuerit ad Domitiam Neronis amitam. Atque idem apud Scribonium Largum pro *legato Tiberii Cæsaris* rescribi vult *legato Tiberio Cæsari*, quasi Tiberio Atimetus a Cassio moriente relictus fuisset testamento. Sane argute! Ego vero adhuc dubitandum censeo, an Domitiæ libertus idem ac Scribonii Atimetus haberi possit, quamquam hunc Scribonii non abnuerim habere pro nostro. Tum vero Scribonii verba ita velim accipere, ut Atimetum Cassii servum, et post ex Cassii *legato* servum *Tiberii Cæsaris* dicat. Hic servus et libertus Tiberii Cæs. recte in inscriptione dici potuit Pamphili, Tiberii liberti, libertus, propterea quod liberti Cæsarum haud raro in eorum familia manebant, ut qui horum liberti essent, ipsius Cæsaris liberti dicerentur. Quidquid id est, certe Atimetus, Homonœæ maritus, adeoque carmen ejus ἐπιτάφιον ad Tiberii vel Claudii tempora perti-

nere videtur, quamquam ipse Atimctus pro auctore carminis certo haberi nequit. Medii marmoris sub titulo etiam Græcum carmen hexastichon, idem fere et breve Homonœæ elogium continens, repertum est, quod hoc loco repetere, ut inter Latina carmina, nolui (1).

Quæ hactenus propositas sequuntur, Elegiæ sequioris ætatis sunt. Atque illa quidem, quæ *ad Virginem nimis cultam* scripta est, judice Burmanno secundo, cui libenter adsentior, non omnino illepida est, sed tamen affectato et nimis operoso artificio, adscitisque e poetis antiquioris sæculi coloribus, a naturali simplicitate et pulchritudine, ut ipsa, quam reprehendit, virgo, recedit, deteriusque omnino et corruptius sæculum prodit. Unde non dubito auctorem ejus veterem aliquem grammaticum aut rhetorem habere, qui adnisus sit, illustrem aliquem locum vetustioris poetæ, permissis ingenio habenis, et copiosiore oratione latius diducere et explicare. Nam certe Propertii illa Elegia secunda libri I, quæ incipit *Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?* et idem argumentum, sed brevius tersiusque ac nativa simplicique elegantia tractat, ita auctori nostro proposita fuisse videtur, ut eam non imitaretur modo, sed etiam copia et arte vinceret, in quo tamen admodum falsus fuit (2). Edita hæc Elegia plerumque est inter Catalecta vet. poet. vel Errones Venereos, exemplaribus Petronii adjunctos, ut edit. Patisson. p. 171, Frellon. p. 233, Hadrianidis, p. 115. Verum sub titulo « Æmilii Magni Arborii Epigramma ad « Nympham nimis cultam » exhibuerunt Jo. Petrus Lotichius inter Petronii Pseudepigrapha, pag. 94, et Andreas Rivinus

(1) Hoc Græcum ἐπιτάφιον subjunxit Burmannus, loc. cit. nec non Latinas virorum doctissimorum pedestri et metrico sermone interpretationes exposuit. Ed.

(2) Idem etiam argumentum tractat epigramma in munditias ad Basilissam, quod in Scaligeri Catalect. vet. poet. lib. I, p. 203, et in Burmanni Anthol. Lat. lib. III, ep. 199 exstat, atque incipit : *Semper munditias, semper, Basilissa, decores.* Emendavit hoc epigramma Petrus Bondam, vir cl. lib. III Variar. lect. cap. XI, p. 75 seq. Ed.

inter poematia vetera de re hortensi post Columellam et Palladium. Is vero Elegiæ adscriptus non alius esse potest, quam Æmilius Magnus Arborius, rhetor Tolosanus, avunculus Ausonii, qui ejus elogium in Parentalibus, carm. III, et in Professoribus, carm. XVII, scripsit, eumque inter alia memorat non solum Tolosæ amicitia Principum, fratrum Constantini, qui ibi exsilii specie sepositi vivebant, floruisse, sed postea etiam Constantinopolin vocatum, ibique Cæsaris docendi officio honoratum esse. Equidem, qua auctoritate Lotichius et Rivinus Arborium auctorem huic Elegiæ præscripserint, ipse inquirere non potui, et Petr. Burmannus, qui eam Anthologiæ Lat. libro III, ep. 275, inseruit, ægre sibi hoc persuaderi fatetur; quum tamen in ipso carmine nihil reperiam, quod ejus Arborii ætati repugnare videatur, equidem non recuso, quominus iste Elegiæ auctor habeatur. Fuit quidem pater hujus Cæcilius Argicius Arborius, avus maternus Ausonii, quem hic in Parentalibus, carm. IV, celebrat; alius item Arborius, vir Præfectorius, a Sulpicio Severo in vita Martini, cap. 20, memoratus; alius denique, cujus nomen Ammiano Marcellino, lib. XV, cap. 3, restituit Valesius; horum tamen nemo est, quem magis credam, quam istum rhetorem et avunculum Ausonii, pro auctore nostri carminis habendum (1).

Incerti Elegia *de Spe* manifeste argumentum et materiam e duobus veterum poetarum locis, uno Tibulli lib. II, Eleg. 6, altero Ovidii ex Pont. lib. I, epist. 6, 29 seq. quibus vis et natura spei exponitur, petiit, videturque adeo ad consueta grammaticorum veterum exercitamenta pertinere, quibus exponere notabilia quædam antiquiorum loca voluerunt, sed tamen melioris notæ nec contemnendi spiritus poema

(1) Similis argumenti poema inter sacra carmina Gregorii Nazianz. Num. LXIII, exstat, κατὰ γυναίκων καλλωπιζομένων, ubi quemlibet ambitiosum ornatum mulierum, omniaque formæ lenocinia graviter, sed, ut facile suspicari est, ex aliis plane rationibus, ac noster poeta reprehendit. Ed.

est, et, judice Scaligero ad Tibulli loc. cit. veterem omnino poetam auctorem habet. Servat autem hunc amplificandi modum, ut eat per exempla illustrium sed calamitosorum hominum, et, quid illos Spes diversis in casibus vel audere vel subferre docuerit, exponat. Inscribit eam, ut nos, Pithœus, Epigramm. vet. lib. I, p. 31; *de Spe per exempla* Scaliger, Catal. lib. I, p. 232. In antiquo Vossii codice, et in schedis Scaligeri, quas nominat Burmannus sec. exstabat *de Spe queritur per exempla*. Repetitam dedit Jo. Frid. Christius in Excurs. ad Villaticum, pag. 335, qui valde bellam Elegiam dicit, dignamque quæ ubique legatur. Denique P. Burmannus sec. recensuit Anthol. Lat. lib. III, ep. 82; unde reddita legitur in Collect. Poetarum omnium Pisaurensi, tomo IV, p. 233. Nonnulla ejus loca emendat Casp. Scioppius, Suspect. Lect. lib. V, epist. 25, et Barth. Advers. lib. XVII, 3, et lib. XXIII, 17. Pentadium hujus Elegiæ auctorem habebat Casp. Barthius, vid. Advers. lib. XVII, cap. 3, sed conjectura non probabili. Nam Pentadius, recens admodum poeta, cujus de carminibus paullo post agemus uberius, vix dignus esse tam nobili carmine videtur.

Sulpicii Luperci Servasti Elegia una, cum ejusdem oda Sapphica de Vetustate, exstabat in veteri Lugdunensium codice Ausonii Operum, unde primus cum Ausonianis emisit Elias Vinetus. Eadem in codice Scaligeri in bibliotheca Leidensi, et in veterrimo codice Ausonii Vossiano legebatur, quibuscum eam contulit Heinsius. Ibidem inscripta erat Sulpicii Luperci Servasti Junioris de Cupiditate, sicut et inscripsit Pithœus, Epigr. vet. lib. I, p. 22; ed. Lugd.; sed Sulpicii Servasti Luperci Junioris Scaliger, Catalect. lib. I, p. 228. Sevasti, id est Sebasti conjiciebat Scriverius; ego Servati rectum puto, quod nomen in lapidibus antiquis legitur. Edidit etiam H. Stephanus in Virtut. Encom. p. 159, sub titulo Sulpicii Luperci Elegia de Cupiditate divitiarum; præterea totam recensuit Eust. Swarthius, Analect. lib. III, cap. 11; denique P. Burmannus, Anthol.

Lat. lib. III, ep. 74. Sapphicum hujus Sulpicii dabimus inter Lyrica. Eidem Sulpicio Luperco epigramma de vitæ privatæ Commodis, quod Anthol. Burm. libro III, 65, exstat, et incipit, « Ante rate e Siculo discurrent æquore pisces »; item illud, quod ibidem num. 67 legitur, « Ingentes dominos, etc. » tribuit Casp. Barthius, Advers. lib. XVII, 9; XXI, 6, et XXIII, 12. Aliud similis argumenti, quod Anthol. Lat. libro III, 70, incipit, « Quod tua mille domus, etc. » Servasto Luperco adscribebat Dempsterus in Etrur. Regal. lib. III, cap. 69. Nulla ab iis viris ratio vel auctoritas, cur hæc Luperco tribuant, adducitur; alias minime gravatus essem Luperci Elegiæ eadem, ut uni auctori debita, subjungere. Præter hæc poematia nihil est, quod de Sulpicio Luperco sciamus (1). Illud mihi videor ex Elegiæ versu 23 seqq. probabiliter posse colligere, fuisse Sulpicium Lupercum artis oratoriæ professorem, vel rhetorem, apud quem controversias declamarent juvenes, operam foro daturi, vixisseque stante adhuc imperio Romano, sed literis ob ingruentem barbariem et invalescentia rei publicæ vitia fere pereuntibus. Idque ipsum videtur Sulpicius hac Elegia conqueri et deplorare voluisse, in qua multa intricate et obscure dicta curam et intelligentiam doctorum virorum ita fefellerunt, ut mihi videantur ne verum quidem carmini titulum posuisse. Nam qui adhuc inde a versu 23 ad finem carminis avarum et ærugine captum hominem describi putarunt, debuerunt potius ibi misellum et famelicum doctorem agnoscere, quem Lupercus ad probandum artium et literarum contemptum proponit. Itaque accuratius indagato sensu et nexu carminis, id mihi videor de ejus argumento et proposito auctoris reperisse, illum quidem in avaritiam et scelera hominum solas opes admirantium invehi, sed eo

(1) Diversus esse hic Sulpicius videtur a Sulpitio Victore, cujus Institutiones Oratoriæ ad M. Silonem generum leguntur inter Pithœi Rhetores antiquos. Ed.

fine, ut ortam inde calamitatem fundi sui deploret, ostendatque per avaritiam et malam invidiam jacere ætate sua bonas artes, et contemni eloquentiam parum lucrosam, ut pauci omnino sint, qui ejus facultatem adquirere apud rhetorem velint. Inde fieri etiam, quod ad majorem literarum contemptum faciat, ut non solum ii, quibus caussæ in foro agendæ sint, barbare et incondite loquantur, adeoque eloquentiæ studia parum commendent, sed et, qui studiis juventutis præficiantur, plerumque homines sordidi et despecti sint, ipso vultu et corporis habitu famem et miseriam prodentes, quo efficiant, ut ipsæ artes in earum doctoribus despiciantur. Hoc argumento Elegiæ declarato apparet, commode eam potuisse inter Satiras (1) referri.

Ultimo loco posui Elegiam incerti auctoris *de Fortunæ Vicissitudine*, eo quod ætate et elegantia postrema inter cæteras videtur habenda. Primus ex vetusto codice Ovidii, Coloniæ Agrippinæ a se comparato, cui in fine adscripta erat, in lucem produxit Casp. Barthius, Advers. lib. XL, cap. 18. Apparet, simili Ponticis aut Tristibus Ovidii argumento hoc poema esse, auctoris de infortunio suo graviter querentis. Quamobrem vel ipse auctor, recentior poeta, qui imitari Ovidium vellet, vel alius quispiam aliunde acceptum carmen, ob similitudinem argumenti, carminibus Ovidii adpinxit. E Barthii Adversariis transcriptum edidit Theod. Janson. Almeloveenius inter Epigrammata et Poemata vetera, p. 56, inscripsitque « Elegia antiqui scriptoris ». Repetiit denique Petr. Burmannus, Anthol. Lat. lib. III, ep. 106, sub titulo «Elegia de Fortunæ (2) Vicissitudine».

(1) Cæterum similis plane argumenti et sententiæ est Epigramma quod a Pithœo, lib. I, p. 21, et a Burmanno, Anthol. Lat. lib. III, ep. 73, ante carmen Sulpicii producitur, et sic incipit : « Nil artes, nil pura fides, nil gloria linguæ, Nil fons ingenii, nil probitas sine re ». Hoc apud Burmannum titulum habet *de Divitiis*. Ed.

(2) E Burmanni Anthologia idem reddidit editor Collectionis Poetarum

Juvat hic apponere Burmanni de ea judicium: « Mihi, inquit, apparent multa in hoc carmine non unius sed variæ « venæ, plurima languida et jejuna esse; alia vero, quæ « poetam spirant supra mediocres positum: tam diverso « enim colore efficta est, ut pæne videatur non unum et « eumdem habere auctorem. Cel. etiam Oudendorpius existimabat, multorum hominum versus esse de variis rebus « hinc inde excerptos quasi in adversaria, et deinde congestos in unum carmen, quod quam plurimis vitiis et « ineptiis scatet, et sensu idoneo passim destitutum est. « Quia tamen multis malis versibus nonnulli boni immixti « sunt, et elegantes atque egregiæ inseruntur sententiæ, « locum ei inter hæc concessi, quamquam multum curæ « huic Elegiæ impendere vix operæ pretium fuerit ». Mihi plura hujus carminis prodere auctorem recentioris ævi, Christianum et sacri ordinis virum, visa sunt, qui, ut ex versu 13 seqq. obscurius colligi potest, initio in sacrum ordinem et in monasterium detrusus, duram et tristem disciplinam subierat, interea tamen spem aliquam dignitatis et amplitudinis consequutus erat, sed postea subito casu afflictus et dejectus spe, ad miseriamque redactus est. Quapropter inimicos suos vel invidos sæpe accusare et acerbe insectari per hoc carmen, in eoque animum iracundum et vindictæ cupidum, et minime Christianum, prodere videtur.

Aliam Elegiam e Barthii Advers. lib. XLV, cap. 16, Almeloveenius in suam poematum veterum collectionem traduxit, pag. 41, quam inscripsit: *Quod diversi ad diversa studia nati sunt*, *Elegia*, et cujus hoc principium est:

Quam variis fatis cælestia sidera mentes
Exagitent, nostro carmine pande, Erato.

Sed infimæ et plane barbaræ ætatis hoc poema esse, vel hoc

omnium Pisaurensis, t. IV, qui poetas ethnicos minores continet, pag. 230. Ed.

documento sit, ne plura inde repetam, quod inter alia Philosophorum realium et nominalium rixæ ibi memorantur. Itaque Burmannus Anthologiæ Latinæ, ut nullius pretii nec cultus poema, inferre noluit, neque nos dignum societate veterum Elegiarum judicavimus.

Atque ex Elegiarum hactenus recensitarum serie poterit lector quemdam quasi Elegiæ Latinæ cum ætate decursum, ejusque a prima simplicique elegantia ad fucum et ineptias deflexum perspicere. Adjecimus tamen et his quasi ἐπίμετρον, *Pentadii Elegias duas* cum aliquot epigrammatibus. Quas quoniam auctor singulari artificio et perpetuo schemate composuit, quale in superioribus Elegiis non observatur, feci cum iis, quod superiore tomo cum Porphyrii Idylliis figuratis, easque ultimo loco, vel appendicis specie, reliquis Elegiis adposui. Denique extra ordinem huic classi adjungere placuit Firmiani Lactantii præstantissimam Elegiam de Phœnice, quæ uti ob argumentum et habitum carminis non commode immisceri superioribus Elegiis, ita his subjungi propter metrum poterat. Huic æque ac Pentadii Elegiis singularem præfationem præmittam.

ELEGIA I

FORTE P. VIRGILII

AD

M. VALERIUM MESSALAM.

PAUCA mihi, niveo sed non incognita Phœbo,
   Pauca mihi doctæ dicite Pegasides:
Victor, adest, magni magnum decus, ecce, triumphi,
   Victor qua terræ, quaque patent maria;
Horrida barbaricæ portans insignia pugnæ,
   Magnus ut OEnides, utque superbus Eryx.
Nec minus idcirco nostros expromere cantus

1. *Niveo sed non incognita Phœbo*, sed quæ ipse Phœbus ut sibi cognita et se digna probet. *Niveum Phœbum* non ea ratione dici hoc loco arbitror, qua *candentes humeros* ejus Horatius, Carm. I, 2, 31, et *niveum candentis Phœbi limen* Virgilius, Æn. VIII, 720, dixit, sed tamquam nivei pectoris, candoris, amicitiæ testem et interpretem.

3. *Victor adest*. Non necesse est, de Aquitanico, vel alio singulari triumpho, intelligere; sed Poeta sibi generatim res Messalæ prospere gestas, ipsumque ut terra marique victoriosum, carmine suo celebrandum, proponit; ideoque *victor adest* non de victore recens adveniente accipiendum, sed est propositio poetæ, qua Messalam animo suo ut victorem, quasi præsentem, sicut deinde v. 7, ut poetam sibi laudandum, sistit.

5. *Horrida barbaricæ*, etc. Per conjecturam Scaliger hic tentat *Cantabricæ*; sed nihil necesse est: nam victorias e pluribus barbaris gentibus significat.

6. Aldi utraque editio hic *Æneides*, Veneta *Ænides*, Vossii codex *Eonides* legebat: sed recte N. Heinsius edidit *OEnides*, h. e. Diomedes. Hic cum Eryce, ut exempla pugnacissimorum hominum, nominantur. Fuerunt, qui *Alcides* vellent corrigere; sed quum Eryx ab Hercule victus sit, vix potest ille cum Hercule pari gradu ut victor poni.

7. *Nec minus*, etc. h. e. nec minus idem maximus poeta est.

Maximus, et sanctos dignus inire choros.
Hoc itaque insuetis jactor magis, optime, curis;
Quid de te possim scribere, quidve tibi.
Namque, fatebor enim, quæ maxima deterrendi
Debuit, hortandi maxima caussa fuit;
Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
Carmina quum lingua, tum sale Cecropio;
Carmina, quæ Peliam, sæclis accepta futuris,
Carmina, quæ Pylium vincere digna senem.
Molliter hic viridi patulæ sub tegmine quercus

8. *Maximus.* Hoc Scaliger male refert ad Maximos, quos in gente Valeria exstitisse contendit. Ed. — *Choros* Musarum intelligit, quibus interesse dicuntur poetæ. Sic Gallo poetæ *Phœbi chorus adsurgere* dicitur Virg. Ecl. VI, 66; et conf. Nemes. Laud. Herc. v. 6. — Huj. ed. tomo I, parte I, p. 296. Ed.

11. *Namque, fatebor enim.* Fateor enim hoc, quod dehortari me debebat, ne ad te, magnum poetam, scriberem, id ipsum me maxime excitasse, ut scriberem. — Elegantiam verbi *deterrendi*, pro dehortandi, dissuadendi, illustrarunt Grævius in notis ad Justin. XIV, 1, et Brouckhus. ad Tibull. I, 3, 13. Ed.

13. *Pauca tua* carmina mihi adhuc licuit in meas chartas transferre, h. e. meis poematibus imitari. Quæ caussa est, ut nunc cupiam hoc carmine testari, quanti tua faciam. Vid. infra v. 59 seqq.—*Chartæ* pro ipsis carminibus ponuntur. *Mæoniæ chartæ* Virgilio in Ciri, v. 62, et *Meleteæ chartæ* Tibullo, IV, 1, 200, vocantur carmina Homerica. Sua etiam carmina sic vocat Virg. Cul. v. 24.

14. *Carmina quum lingua*, repetendum *Cecropia.* Prorsus enim Græca Messalæ carmina significat, quum sermone tum lepore Attico scripta, quæ Virgilius imitari cupit. — *Carmina lingua* et *sale Cecropio* dicit ut Æn. III, 618: « Domus sanie, dapibusque cruentis ». Ed.

15. *Carmina quæ Pylium* vulgatæ hic exhibent, et Nestorem adeo bis memorant otiose. Ego vero priore loco sine hæsitatione scripsi, quod N. Heinsius voluit, *quæ Peliam.* Ejus vocis similitudo facile decepit librarium, ut utrobique *Pylium* legeret. Sic etiam legendum arbitror Elegiæ in obit. Mæcen. versu 137: « Ter Pylium flevere sui, ter Nestora canum ». — Utique Burmannus *Peliam* reponendum suadet in versu Ovid. Am. III, 7, 41: *Illius ad tactum Pylius reviviscere possit;* etenim de talibus senibus agi dicit, qui olim in juventutem rediisse feruntur. Ed.

17. Hoc et sequentibus versibus recenset, quæ Messalæ aliquo carmine bucolico tractata fuerant, quorum aliqua Virgilium in sua transtulisse ex ipsius bucolicis patet. —*Molliter erant* recte displicet ill. Heynio: certe nimis molliter, immo ignave, dictum, nisi *erant* cum sequente *jactantes* jungendum

Mœris pastores et Melibœus erant;
Dulcia jactantes alterno carmina versu,
Qualia Trinacriæ doctus amat juvenis.
Certatim ornabant omnes Heroida Divæ;
Certatim Divæ, munere quæque suo.
Felicem ante alias tanto scriptore puellam!
Alter non famam dixerit ipse prior.
Non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset,
Quæ volucrem cursu vicerat Hippomenem;
Candida cycneo non edita Tyndaris ovo;
Non supero fulgens Cassiopea polo;
Non defensa diu volucrum certamine equorum,
Optabant Graiæ quam sibi quæque manus;

est. Quo pacto juvari id quodammodo versu Tibulli, II, 5, 27 videtur: « Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbræ ». — Cæterum *molliter* h. l. eo sensu usurpatum videtur, quo apud Virgil. Georg. II, 470, « mollesque sub arbore somni »; et fortasse sic emendandus versus est: « Molliter hic resides patulæ sub tegmine quercus Mœris, pastores, et Melibœus erant ». Ed.

20. *Trinacriæ juvenis*, i. e. Theocritus, cujus carmina amœbæa hic respicit. *Trinacriæ* Brouckhusius in casum sextum *Trinacria* mutandum censet; sed hoc de urbibus magis, quam regionibus ipsis, verum esse videtur.

21. Dicit amasiam Messalæ ejus carmine celebratam esse, et quasi Heroida in chorum Divarum introductam. Hæc ratio laudandi, et quasi in Divos referendi, bucolicis poetis inprimis accepta. Conf. Virg. Ecl. IV, 15, VI, 65; Calpurn. IV, 68, et VIII, 64 seqq. Amasiam illam Messalæ Sulpiciam fuisse Servii filiam, e Tib. lib. IV, Carm. 8 et 10 patet.—Et de ea Noster poematia scripsisse Messalam innuit versu 23, infra: « Felicem ante alias tanto scriptore puellam! » Ed. — Poeta hoc e Messalæ carmine refert, ut occasionem habeat amasiæ ejus in sequentibus collaudandæ. Cæterum hoc versu *omnes Heroida Divi* legendum esse monent viti docti.—*Divæ* enim prorsus incommode repetitum est. Ed.

24. Versus corruptus, sententia aperta. Taceo, quas viri docti attulerunt, varias medelas. Ego sic facillime emendandum puto: « Altera non fama est, dixeris ipse, prior ».

25. Loquitur de Atalanta, quæ cursu superata est ab Hippomene, quod in pomo aureo morata esset. Hygin. fab. 185.

29. Hippodamiam intelligit, cujus pater Œnomaus, rex Elidis, filiam procis hac lege promittebat, ut acciperet, qui certamine curuli victor exisset, superatus interficeretur. Hygin. fab. 84. — *Defensa*,

Sæpe animam generi pro qua pater impius hausit;
Sæpe rubro Eleis sanguine fluxit humus:
Regia non Semele, non Inachis Acrisione,
Immitti exspectant fulmine et imbre Jovem:
Cujus et ob raptum pulsi liquere Penates
Tarquinii patrios, filius atque pater,
Illo, quo primum dominatus Roma superbos
Mutavit placidis tempore Consulibus:
Multa, neque immeritis, donavit præmia alumnis,
Præmia Messalis maxima Poplicolis.
Nam quid ego immensi memorem studia ista laboris?

h. e. retenta et servata, ne quis eam posset capere, certaminis exitu semper infelici. — *Diu*, nempe non nisi post tredecim procorum mortem, hanc sibi Pelops, præmium victoriæ, nupsit. Ed.

31. *Gener* h. l. qui fieri vult, procus. Burmannus alio confirmat loco Virgilii Æn. II, 344: « Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat ». Vid. et Burmannus ad Valer. Flacc. III, 497. — *Eleis humus*, terra Elidis: pro *Eleis* in cod. Voss. et Helmst. in edit. Veneta ac prima Ald. *similis*.

33. *Acrisione*, quæ alias Danae, Acrisii Argivorum regis filia: nomen vix alias obvium. *Acrisioneis Danae*, Servio judice, dicitur Æn. VII, 410. — *Inachis*, quippe Acrisius e posteris Inachi fuit, qui primus Argivorum rex anno mundi 2197. Ed.

34. *Exspectant*, quod habent vulgatæ, non admittit contextus. Scaliger emendat *Immiti expertæ*; sed *immiti* non bene convenit cum imbre Danaes. Magis placet, quod Heinsius et Brouckhusius volunt, *Immitti exspectans*: de fulminibus et imbribus *mitti* et *immitti* frequens.

35. Codex Helmst. hic legit *Non ob cujus raptum*. Sed hoc e glossemate profectum, quo significaretur, repetendum hic esse e v. 25 *Non illa*, ob cujus raptum. Similiter ed. Veneta *Non ocius raptum*, et cod. Voss. *non ob aviis*. Exemplum Lucretiæ commode et scite adjungit poeta, ut mentione facta primi Consulis Valerii Poplicolæ, per eum transeat ad gentis Valeriæ, inprimisque Messalarum, virtutes bellicas laudandas.

39. *Donavit*, sc. Roma, quod repetendum e versu 37: *donavit mater alumnis* habet ed. Veneta, quod probat Scaliger. Aldinæ et cæteræ *præmia*, quod rectius esse ostendit repetitio versu sequente, huic carmini solennis.

40. *Publicolis* legit cod. Helmst. cum edit. Veneta et utraque Aldina.

41. Burmannus hic legendum suadet *Jam quid ego*, ut transeat nunc ad Messalæ virtutes bellicas prædicandas. Enimvero non transitionis particula h. l. opus est, sed confirmationis, ut probet, quod ante dixerat, præmia Messalis donata esse *non immeritis*. Conferendus interim

Horrida quid duræ tempora militiæ?
Castra foro solitos, urbi præponere castra,
Tam procul hoc nato, tam procul hac patria?
Immoderata pati nunc frigora, nuncque calores?
Stertere vel dura posse super silice?
Sæpe trucem adverso perlabi sidere pontum?
Sæpe mare audendo vincere, sæpe hiemem?
Sæpe etiam densos immittere corpus in hostes;
Communem belli nec timuisse Deum?
Nunc celeres Afros, perituraque millia gentis,
Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
Nunc aliam ex alia bellando quærere gentem?

hic locus plane geminus e Tibulli panegyrico Messalæ v. 82 seqq.

44. In corrupto hoc versu MS Helmst. legit *Tam procul ac nato*, et *ac patria*. Scaliger vult *Tam procul hoc natos*, scil. solo, vel *tam procul hinc*. Salmasius *tam procul agnatis:* Francius *tam procul a nato*. In altera parte uterque *tam pr. a patria*. Ego quid potius eligam non invenio, ausim tamen legere *Tam procul hac notos*, ut dicat notos clarosque Messalas fuisse rebus gestis, procul a patria, inter remotissimas gentes.

45. In cod. Vossiano et edit. Veneta legitur *jam sidera, jamque calores:* lectio non spernenda; *sidera* tamen minus bene amplectitur Scaliger pro *frigora*, quibus melius convenit epitheton *immoderata*, et sequitur *perlabi sidere*. Sed frequenter permutari in codicibus *frigora* et *sidera*, docet ad hunc locum Burmannus.

48. In omnibus scriptis et editis legebatur *Sæpe audendo mare*, quod quum duplici peccato in metrum impingat, et *o* correptum in gerundio nullo melioris ævi usu probetur, Salmasius et Brouckhusius transpositis vocibus *mare audendo* scribendum judicarunt rectissime, idque Burmannus in contextum admisit, quem sequutus sum.

50. Pro *nec timuisse* ed. Veneta et cod. Helmst. habet *non meminisse;* sed hæc sæpe permutantur in codicibus; et vulgata lectio firmari Ciris versu 359 potest: « Nunc tremere instantis belli certamina dicit, Communemque timere Deum ». *Mars communis* proverbio dicitur de fortuna belli dubia, et in alterutram partem inclinante. Sic Eumenius in Paneg. Constantii, cap. 15: « Nec vereri dubia bellorum, nec Martem, ut dicitur, putare communem ».

51. *Perituraque* non satis convenire materiæ et sententiæ videtur. MS Helmst. habet *perjuræ millia;* cod. Voss. *perjuria*, et prima Aldina *perjuriæ in millia gentis*. Mihi probabile est, inesse his verbis descriptionem Afrorum, qui ante nominantur, et legendum adeo *perjuræ millia gentis*, quia Afri Romanis passim *perjuri* dicuntur, et *Punica fides* nota.

53. *Nunc aliam ex alia bellando*

Vincere et Oceaui finibus ulterius?
Non nostrum est, inquam, tantas attingere laudes;
Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est.
Ipsa, hæc ipsa ferent rerum monumenta per orbem;
Ipsa sibi egregium facta decus parient.
Nos ea, quæ tecum finxerunt carmina Divi,
Cynthius et Musæ, Bacchus et Aglaie,
Si laudes adspirem, humili sed adire Camena;
Si patrio Graios carmine adire sales
Possumus; optatis plus jam procedimus ipsis.
Hoc satis est, pingui nil mihi cum populo.

quærere gentem. Respexit forte ad epitheton Martis Homericum ἀλλοπρόσαλλον, Iliad. E, 831 et 889, quod de levi et inconstanti exponunt; sed de Marte nunc in hanc, nunc in illam gentem grassante, intelligi potest. Amant Veteres *alia ex aliis* jungere, ut Virgil. Æn. III, 494; Lucret. I, 264: *aliud ex alio* pro *aliud*, Virgil. in Ciri, 364; et apud alios sæpe. Ed.

55. Perperam τὸ *inquam* Burmannus, ut frigidnm, removet, et in *unquam* mutat. Nam retinendum illud esse, ipse auctor declarat, quum addit: *Quin ausim hoc etiam dicere*, quibus verbis manifeste se refert ad id, quod præcesserat, *inquam*. Quin ipsum *unquam*, quod Burmannus vult, valde frigidum est; *inquam* vero habet gravitatem asseverantis, ut illud *aio* Horatii, Epist. I, 15, 45: « Vos sapere, et solos aio bene vivere, etc. »

57. *Ipsa, hæc ipsa rerum* a Messala gestarum *monumenta*, vel ipsæ res gestæ, quæ et sibi monumenta snnt, *ferent*, sc. laudes illas *per orbem*. Hac verborum explicatione satis clara adnissa, vix opus esse ulla emendatione videtur, quam varie a doctis viris tentatam Burmannus ad hunc locum narrat.

59-63. Vid. Excurs. ad hanc Eleg.

64. *Pingui*, insipiente et ἀμούσῳ; crassum populi judicium non curo. In eam sententiam Propert. II, 13, 13: « Hæc ubi contigerint, populi confusa valeto Fabula; nam domina judice tutus ero »; et Hor. Serm. I, 10, 73: « Neque, te ut miretur turba, labores, Contentus paucis lectoribus........ nam satis est equitem mihi plaudere, etc. »

EXCURSUS

AD VIRGILII ELEGIAM, v. 59-63.

Nos ea, quæ tecum finxerunt carmina Divi,
Cynthius et Musæ, Bacchus et Aglaie,
Si laudes adspirem, humili sed adire Camena;
Si patrio Graios carmine adire sales
Possumus; optatis plus jam procedimus ipsis.

Hunc locum variis librariorum erroribus corruptum, atque inde multis doctorum virorum emendationibus tentatum magis, quam correctum, cui adeo Scaliger desperavit remedium afferre posse, dabimus operam, uti quantum permittant scripturæ vestigia, et lectionum subsidia variarum, explicemus et sensu idoneo instruamus. Primaria hujus loci recte interpretandi ratio in eo sita videtur, ut observemus, orationem poetæ per tria disticha, quæ adscripsimus, continuari, adeo ut sensus a verbis *Nos ea* procedat et terminetur ad usque vocem *Possumus* versu 63. Quod quum plerique interpretes vel minus recte intelligerent, vel negligerent omnino, hæserunt maxime in versu 61, et corruptis ejus verbis *Si laudes ádspirem* inducti, in his finiri sententiam crediderunt, atque ita constituerunt, ut series orationis divelleretur, et posterius ejus membrum, quod ad verbum usque *Possumus* pertingit, minus cohærere cum antecedentibus videretur. Et sane præcipuus corruptelæ, atque adeo remedii tentandi, fons in versu 61 est, quem miris diversisque hallucinationibus lacerarunt librarii. Veneta editio an. 1480 et Aldina pr. sic legunt

Si laudem adspirem humiles sed adire Sirenas.

Duæ aliæ Aldinæ an. 1517 et 1534 sic :

> Si laudes aspirem, humili sed adire Camœna:

Denique Helmstad. liber :

> Si laudem aspirarem, humilis sed audire Cyrenas.

Monstrosa sine dubio lectio est *adire Sirenas*, quam metri ratio non admittit, etiamsi apta Sirenum mentio huic loco esset. Orta vero ex errore videtur, quo librarius extremas syllabas in *adire* bis scripserat, et syllabam vocis *Camena* non recte intellectæ adjecerat : nam *adire Camena* omnino sanum et genuinum videtur. Alius inde *Cyrenas* effecit, adhuc ineptius, quod tamen probare Isaacus Vossius ad Catull. pag. 18, potuit, qui legit : *Si laudem adspirem, humiles et adire Cyrenas*, Musas humiles Callimachi intelligens. Totum versum refinxit Scaliger docte magis, quam probabiliter : *Si laudem Ascræ humilis, si Doridas Eroinas ;* quasi optet poeta, posse imitari Hesiodum Ascræum, et ejus poema, Doridas Heroinas, hoc est μεγάλας ἠοίας, et hac imitatione Messalæ dominam ornare, ut ante fecerat a versu 25 seqq. Plures aliorum conjecturas lubens prætereo. Sed omnes fere in eo falluntur, quod retinent illam codicum corruptelam *Si laudem* vel *laudes adspirem* vel *adspirarem*. Nam hoc admisso numerus in verbo *adspirem* non convenit cum sequente *Possumus*, et interponi sententia aliqua videtur, quæ prohibeat, quo minus præcedentis distichi principium *Nos ea* cum sequentibus versibus rite possit conjungi, quod tamen omni consecutione legitima caret, nisi perpetua constructionis serie per tres versus ad verbum usque *Possumus* perducatur, hoc modo : *Nos ea... si adire Camena humili, et si adire carmine Possumus.* Nam tota oratio Poetæ huc spectat, ut laudem carminum Messalæ repetat, quæ supra versu 14 ut lingua et sale Cecropio scripta laudaverat, quæ dicit tam excellentia, tam difficilia ad imitandum esse, ut, si eorum gratiam humili Musa sua, et si Graios eorum sales patrio carmine utcumque adsequi et imitari possit, ultra spem votumque suum sibi profecisse videatur. Hæc si series

orationis et sententia poetæ vera est, uti ipsa legenti facile se offert, consequitur inde, versum 61 æque ac sequentem cum voce *possumus* in versu 63 connectendum esse, atque adeo verba *Si laudes adspirem*, quia istam connexionem impediunt, et per se mendosa correctionem postulant, necessario ita mutanda, ut sensus suspensus hactenus procedere ad versum usque 63 possit. Itaque versum 61 sic constituendum arbitror : *Si laudem adspirante, humili sed adire Camena*, ut tota orationis series hæc sit : *Nos si ea carmina, quæ tecum finxerunt Divi, Cynthius et Musæ*, etc. *Camena laudem quidem adspirante, sed humili, adire, atque etiam si Graios carminum tuorum sales patrio imitari carmine possumus ; tum satis fecisse nobis, et plus jam ipsis optatis nostris procedere*, h. e. ipsa spe nostra majora assequuti, *videmur*. Excellentiam carminum Messalæ Virgilius eo describit, quod ea dicit adjuvantibus Divis, Apolline, Baccho, Musis, Gratiis, ficta, sive ab ipsis Divis dictata esse. Hæc sunt omnis venustatis, eloquii et leporis numina, neque raro poetis sua carmina inspirare et dictare dicuntur. Sic enim Propertius, lib. I, 2, 27 :

> Quum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet,
> Aoniamque libens Calliopea lyram.

Idem libro IV, 1, 133 :

> Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo.

Et Eleg. in obit. Mæcen. v. 17 :

> Pallade cum docta Phœbus donaverat artes.

Aglaie una ex Gratiis est, quæ male in edit. Aldina *Ægiale*, in Veneta *Egiale* scribitur. *Adire carmina*, *adire Graios sales* posuit pro attingere, adsequi, imitari. Id quidem insolentius et parum latine dictum putabat Oudendorpius, referente Burmanno, haud dissimili tamen sensu *adire artes*, i. e. percipere, imitari, dixit Gratius, Cyneg. v. 107 :

> Jussit adire suas et pandere gentibus artes.

Atque hinc *aditus* perceptio vel institutio est Pap. Statio, Achill. II, 274:

> Quæ solitus laudum tibi semina pandere Chiron,
> Virtutisque aditus.

Et auctor Dial. de Orat. cap. 31: « qui non quasdam artes *adire*, sed omnes liberaliter debet ». Ita enim Lipsius pro *audire*. Barthius tamen ad versum Gratii supra adductum, aliam sententiam amplectitur, et *adire artes* interpretatur *adire instar possessoris*, quasi phrasi e jureconsultorum libris translata, quibus *adire hæreditatem* est eam capere et ejus dominium adquirere. *Aditionem* in extraneo esse adquisitiouem ex Theophili Institutionibus didicimus. *Adire bona*, pro eorum possessionem adgredi, Antoninus Imper. dixit, lege 1 Cod. de Testam. mil. Ed.

N. B. Exstat eadem Elegia in quinto tomo Virgilii nostræ Editionis, pag. 172 seqq.: tres solummodo versus (15, 21, 26) differunt; utrumque locum vide et compara, si vacat. Ed.

II.

C. PEDONIS ALBINOVANI

VEL POTIUS INCERTI AUCTORIS

ELEGIA

IN OBITUM MÆCENATIS.

DEFLERAM juvenis tristi modo carmine fata:
  Sunt etiam merito carmina danda seni.
Ut juvenis deflendus enim tam candidus, et tam
  Longius annoso vivere dignus avo.

1. *Defleram juvenis.* Epicedium de morte Drusi respici putat Pithœus. Scaliger repugnare temporum rationes dicit, et Marcellum, Octaviæ filium, mavult intelligi. Scaligerum errare putat Gorallus, et in Druso hæret. Meibomius in Mæcen. cap. 27, incertum esse statuit, quem juvenem intelligat. Et mihi non liquet.

2. *Seni.* Non constat quidem quando natus sit Mæcenas; attamen, si Varroni credimus, ad sexagesimum minimum annum pervenisse eos oportuit qui dicebantur *senes*. Ed.

3. Admittendum est, quod Scaliger e membrana scripta profert, *deflendus enim*, ut sensus sit: nam Mæcenas non minus deflendus, quam ille juvenis, ac quivis alius acerba morte præreptus. Burmanno adsentire non possum, qui vulgatum *erat* defendit, et de juvene, quem primo versu dixerat, hic sermonem continuari putat: nam sermo de illo juvene jam interruptus versu secundo, et ad Mæcenatem senem conversus est, qui nunc æque deflendus, ac ille juvenis, dicitur.

4. *Longius annoso vivere dignus avo.* Fateor hoc valde languidum, immo ineptum et plebeium videri, si *avo* de quovis sene intelligendum, quia avi plerumque valde senes. — Per contemptum *vetulos avos* dixit Avianus, fab. 35, 14: « Servatus vetulis unicus hæres avis ». Ed. — Sed fortasse avus ipsius Mæcenatis respicitur, qui grandis senectutis exemplum fuerit. Gorallus quidem locum ex Senecæ Troade, v. 702, affert, ubi *transcendere avum ætate*

Irreligata ratis nunquam defessa carina,
It, redit, in vastos semper onusta lacus.
Illa rapit juvenes, prima florente juventa;
Non oblita rapit sed tamen illa senes.
Nec mihi, Mæcenas, tecum fuit usus amici;
Lollius hoc ergo conciliavit opus:
Fidus erat nobis nam propter Cæsaris arma,
Cæsaris et similem propter in arma fidem.
Regis eras genus Etrusci: tu Cæsaris almi

est diu vivere. Sed hic avus proprius intelligitur.

5. *Irreligoto*, quæ nuuquam interquiescit, ad ripam alligata. — *Ratis* et *carina* vitio tautologiæ non caret. Bene igitur N. Heinsius ad Ovid. Fast. I, 126, legit *nunquam defessa ropina*: nam mox sequitur: *Illa rapit juvenes*.

6. *It, redit*, vel *itque reditque* frequens poetis ad significandam continuationem perpetuam. — *In lacus* non pendet ab *it, redit*, sed ab *onusta*. — *Semper onusta* est *in vastos lacus*, h. e. nunquam non oneratur, vel onusta reperitur, ut turbam importet in vastos lacus. Sic Propert. IV, 6, 55: « pharetræ pondus consumit in arcus », h. e. sagittis omnibus exonerat pharetram, ut imponat arcui et emittat.

8. Vetus membrana Scaligeri habebat: « Non oblita tamen sed repetitque senes »: unde velim legere *sed rapit usque senes*; nisi vulgata magis placeat.

9. *Usus omici*: si soluta oratione scripsisset, dixisset *usus amicitiæ*. Nihil frequentius. Ed.

10. In vetustioribus excusis legebatur *Illius hoc ergo*: unde Scaliger putabat legi posse *Ailius* pro Ælius, ut forte intelligatur Ælius Lamia, amicus Horatii, Carm. III, 17. Sed optimus codex calamo exaratus *Lollius*. Indicatur M. Lollius Palicanus Consul, de quo vid. Torrent. ad Horat. Carm. IV, 9. Male Scaliger et Meibomius *Maximum Lollium* dicere voluerunt ex Horat. Epist. I, 2, init. nam ibi Consulis Lollii filius natu maximus intelligitur. In minore versu Gorallus *hoc opus* interpretatur amicitiam, nam putat *opus* esse idem ac græcum πρᾶγμα· ego intelligo hoc carmen.

11. Inter *nobis* et *vobis* hic fluctuant scripti et impressi. Ego præferam *vobis*. Lollius amicissimus vobis, nempe tibi et Cæsari: quo magis ille persuasit mihi, ut carmen hoc componerem.

13. Scaliger ex veteri membrana reponendum duxit: *Regis eras, Etrusce, genus*; sed vulgatum præfero. Regium genus Mæcenatis ex Horatio et Propertio notum. — *Cæsaris almi* quidem omnes vulgatæ, sed vix dubito contra omnes legendum *alti*. — Et ita conjicit Gorallus. Ed. — Hoc enim dignissimum et fere perpetuum Cæsaris epitheton. Vid. Epiced. Drusi, v. 453; Horat. Carm. III, 4, 37; Ovid. Pont. II, 3, 63: sicut et *magni* nomen, de quo vid. Brouckhus. ad Propert. II, 1, 26.

Dextera, Romanæ tu vigil urbis eras.
Omnia quum posses, tanto tam carus amico,
Te sensit nemo posse nocere tamen:
Pallade cum docta Phœbus donaverat artes:
Tu decus et laudes hujus et hujus eras.
Vincit vulgares, vincit beryllus arenas,
Litore in extremo quas simul unda movet.

14. *Dextera*, h. e. primus secundum imperatorem, et sine dubio assiduus comes. Scaliger. — Sed malo interpretari *dextram Cæsaris*, cujus opera Cæsar frequentissime utebatur in administratione: neque desunt exempla. Jo. Sarisberiensis in Protreptico Polycrat. v. 26: *gloria gentis Anglorum, regis dextera firma boni:* et videantur quæ Barthius congessit ad hanc voc. Adv. XI, 28, et XVII, 8. Ed. — *Vigil Romanæ urbis*, h. e. Præfectus Urbi. Vid. Hor. III, 29, 25.

16. Meibomius primus edendum putavit *velle nocere*. Quum omnes libri scripti et excusi olim legissent *posse nocere*, quod et sensus ita exigeret, eumque insequuti sunt Gorallus atque cl. Burmannus. Ego vero pristinam lectionem sanam restitui. Neque enim ea mens poetæ est, ut dicat, Mæcenatem potuisse nocere, nec tamen voluisse, sed, Mæcenatem potuisse quidem omnia, propter Cæsaris amicitiam, nec vero potentia sua abusum ad nocendum. Itaque nun plane similis huic sententiæ, qui alias comparari solet, versus ex Epicedio Drusi 47: « Nec nocuisse ulli et fortunam habuisse nocendi ». Sed moderationem animi et abstinentiam ejus perinde, ut hic auctor, laudat Propert. III, 9, 29. — Et luculentius sententiam auctoris explicat Propert. III, 7, 3 seq. de Mæcenate loquens: « Quum tibi Romano dominas in honore secures, Et liceat medio ponere jura foro,...... Et tibi ad effectum vires det Cæsar, et omni Tempore jam faciles insinuentur opes; Parcis, et in tenues humilem te colligis umbras, etc. » Eadem sententia Seneca in Epigr. ad Crispum: « Crispe, potens unquam nisi quum prodesse volebas ». Ed.

19. Hoc et sequente disticho occurrit auctor duabus cavillationibus, quibus reprehendere Mæcenatis studium gemmarum, tum luxum et delicias solebant. Amorem ejus lapillorum probat inprimis notum ejus epigramma de morte Horatii, latiusque id explicat Meibomius, Mæcen. c. 21 Criminationi id solum respondet poeta, beryllos tamen aperte præferendos esse vulgaribus lapillis.

20. Male hic Meibomius edidit *in Etrusco* et *unda manet:* male item Barthius, Advers. XLI, c. 3, *unda vomit*. — *Movet* unda litoris Indici arenas simul cum beryllis, qui inter eas emicant. Sic Auson. Mos. v. 63, *sulcata levi crispatur arena meatu*. Barthiu hic legenti *litore Erythræo* adsentit Burmannus ad h. l. Sed quamvis Erythræum, Indicum, Eoum mare valde celebretur poetis ob lapillos et conchas, idem tamen *extremum* mare recte dicitur, ut *In-*

Quod discinctus eras, animo quoque, carpitur unum,
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo;
Quæ bene præcinctos post modo pulsa fugit.
Invide, quid tandem tunicæ nocuere solutæ?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?
Num minus Urbis erat custos, et Cæsaris obses?
Num tibi non tutas fecit in Urbe vias?
Nocte sub obscura quis te spoliavit amantem?

di extremi Horat. Epist. I, 1, 45, *extremus Ganges*, Ovid. Met. IV, 21, et inf. v. 56 *extremi exorientis equi.*

21. *Discinctus*, solutis tunicis incedens, ut versu 25 exprimitur, et ab Seneca epist. 114. Habitus laxus et discinctus hominum delicatorum et otiosorum habebatur, accincti contra vel præcincti negotiosi et seduli. — *Carpitur unum*, h. e. tamquam præcipuum vitium, et præ aliis. Quia Præfectus Urbi erat Mæcenas, hinc decuisse eum succinctum incedere et pænula militari uti, docet Ruben. de Re Vest. lib. I, cap. 6.

22. *Simplicitate tua*, quod severiore habitu simulare asperiorem virtutem nolueris. — *Nimia* pro *magna* redolere seriorem latinitatem videtur.

23. *Quibus fuit aurea Virgo*, h. e. quibuscum erat Astræa, aureæ et primæ hominum ætatis propria, qua homines incorrupta simplicitate omnis moris, sine labore ac metu, ac propterea discincti vivebant. — Simile illud Virg. Georg. II, 532, et Tib. I, 3, 35. Ed. — De Astræa postea terras deserente nota est narratio Ovidii Met. I, 149, et Arati in Phænom. v. 114 seqq. Hic *præcinctos* fugisse dicitur, quia homines postea laboribus, ærumnis, bellis gerendis se dare coacti sunt.

25. *Invide*: vetus Scaligeri membrana *Livide*.

27. *Custos Urbis*, h. e. Præfectus, quomodo et Juvenali dicitur Sat. XIII, 157. — *Cæsaris hospes* editum a Scalig. et Pithœo, inventumque est in codice Leidensi, et utraque edit. Aldina. Sed *Cæsaris obses* in aliis scriptis invenerunt Scaliger, Salmasius, Burmannus: sic in scripto Helmst. in edit. Veneta et Juntina, receptumque a Meibomio et Gorallo, quod et ego alteri lectioni prætuli. Cæsaris *hospes* quem sensum commodum habere possit, non invenio: at *obses* omnino Cæsaris erat Mæcenas, qui locum ejus absentis tenebat in Urbe, et quasi pignus ejus erat ad securitatem publicam. Vid. Tacit. Ann. VI, c. 11. — Hic adumbrari quidam putaverunt locum Velleii Paterc. II, 88, ubi fere similia de Mæcenate prædicantur. Ed.

29. *Violavit*; hoc legunt cod. Leidensis, Aldus, margo ed. Scaligeri et Pithœi, sed vulgatum *spoliavit* sine dubio rectius. Probat, qui de eadem re loquitur, Tibull. I, 2, 25: « Nec sinat occurrat quisquam, qui corpora ferro Vulneret, aut rapta

Quis tetigit ferro, durior ipse, latus?
Majus erat potuisse tamen, nec velle triumphos;
Major res, magnis abstinuisse, fuit.
Maluit umbrosam quercum, Nymphasque canentes,
Paucaque pomosi jugera certa soli;
Pieridas Phœbumque colens in mollibus hortis,
Sederat argutas garrulus inter aves.
Marmora Mœonii vincunt monumenta libelli:
Vivitur ingenio, cætera mortis erunt.

præmia veste ferat ». Idem locus docet, *amantes*, h. e. euntes noctu ad amicam, maxime pericula et grassaturas nocturnas Romæ expertos, de quibus et queritur Juven. Sat. III, 278 seq. —Pro *amantem* in Servii codice *euntem* legebatur.

30. *Tangere latus ferro* proverbialiter dicit, in latere enim sunt partes καίριαι, a quo dicitur *tegere latus* alicui, τὸ δορυφορεῖν. En. — *Durior ipse*, repete *ferro*.

31. Meibomius hic, fortasse melius, distingnit *Majus erat potuisse*, *tamen nec*, etc. Nec male Heinsius tentabat *potuisse*, et Francius in ora libri sui *meruisse*. Mæcenatem non triumphos aut alia magna appetentem similiter laudat Propert. III, 9, 29 seqq.

33. *Nymphasque canentes*, servant omnes scripti et excusi. — *Canoras* tamen ediderunt Meibomius et Gorallus, nulla auctoritate adducta. Aquarum murmur quin intelligatur, non dubium est; fere tamen malim, si libri addicerent, legere *lymphasque cadentes*, h. e. per saxa delabentes, et grato murmure invitantes somnum. Mæcenatem *aquarum fragoribus* delectatum diserte memorat Seneca, de Provid. c. 3.

34. Male *pomposi* edit. Juntina. Intelligit hortos Mæcenatianos in Esquiliis sitos, de quibus dicta Veterum collegit Meibomius, in Mæcen. cap. 28.

36. *Sed erat* in exemplo Scaligeri, vitiose: *sedere* de homine otioso dicitur, ut infra v. 50 *Mars sedens*. —*Argutæ aves*, canoræ. Et apte hic Burmannus locum Ovidii, Fast. III, 17, adducit: « Dum sedet, umbrosæ salices, volucresque canoræ Fecerunt somnos, et leve murmur aquæ ». — *Garrulus* canentem vel otiose loquacem, aut carmina meditantem significat, ut *garrula* fistula dicitur Tibullo, II, 5, 30.

37. *Marmora Mæonii*, omnes scripti et editi. In MS Helmst. est *marmora minei*: Scaliger in suo inveniebat *minæi*, unde legebat *Smyrnæi*. Idem tentabat *Marmorea Aonii*, idque Brouckhusius et N. Heinsius probarunt. Gorallus correxit *Marmore monumenta*, et exponit e marmore facta, exemplisque similibus probat. — Scil. apud Virg. Æn. III, 286. Vid. Jo. Ger. Vossius de Arte Gram. VII, 66; Ovid. Am. I, El. ult. 31. En.—Probabilius Scaliger putat *Marmora monumenta* dici, ut *rete jaculum*, *lapide silice*: ego tutissimum arbitror *monumenta libelli Mæonii* jungere, quæ vincant *marmora*.

Quid faceret? defunctus erat, comes impiger idem,
Miles et Augusti fortis, et usque pius.
Illum piscosi viderunt saxa Pelori
Ignibus hostilis reddere ligna ratis:
Pulvere in Emathio fortem videre Philippi.
Quam nunc ille tener, tam gravis hostis erat!
Quum freta Niliacæ texerunt lata carinæ,
Fortis erat circum, fortis et ante Ducem;
Militis Eoi fugientia terga sequutus,
Territus ad Nili dum fugit ille caput.
Pax erat: hæc illos laxarunt otia cultus.
Omnia victores Marte sedente decent.

39. *Quid faceret?* formula ancipitis consilii, de qua vid. notata nostra ad Petronii, fragm. I, 1. — *Defunctus erat*, sc. omni labore et officio erga Cæsarem, quibus mereri aliquod otium poterat.

41. *Saxa Pelori*, promontorii Siciliæ, indicant pugnam navalem in freto Siculo cum Sexto Pompeio commissam, quam pariter in laude Mæcenatis ponit Propert. II, 1, 28. Meibomius edidit *fata Pelori*, nescio ipsius an typothetæ errore.

42. Sic ediderunt Scaliger et Pithœus. Meibomius vero cum Gorallo *hostiles tradere ligna rates*: et Scaliger emendavit *Ignibus hostilis tradere ligna ratis*, quod sane optimum est, si *tradere* sit ex veteri codice. Heinsius tamen ad Ovid. Met. XIV, 534, maluit *hostilis tradere tigna ratis*.

44. Edit. Aldina, Pithœi, Scaligeri cum codice Leid. habet *Quam tunc ille tener! quam gravis hostis erat.* Scaliger tamen ex alio veteri codice profert *Jam nunc ille tener, tum gravis hostis erat.* Meibomius et Gorallus ediderunt *Quam nunc ille tener, tam gravis hostis erat*, et sic planissime legitur in cod. Helmst. quam lectionem cum Burmanno ceterum præfero. — *Tener*; nempe ille qui nunc tener et fluxi animi incessitur: Græcis melius exprimitur, ὁ θηλυδρίας, ὁ ἡδυπαθής. Ed.

47. *Fugientis terga* omnes editi habent: sed Burmannus ex certissima emendatione N. Heinsii ad Ovid. Met. I, 541, et Brouckhusii ad Propert. III, 7, 57, scribendum putavit *fugientia*. Et fateor, mihi hoc elegantius et Veterum usu magis tritum videri.

48. *Dum fugit ille*, intelligendus Antonius, qui pugnam Actiacam deserens fugiebat in Ægyptum.

49. *Laxarunt cultus*, h. e. permiserunt, ut laxiore toga et tunica uteretur.

50. *Marte sedente*, otiante et feriante, qualis etiam pingitur Mars in gemmis, et Hercules victor in nummis. Hinc Virg. Æn. I, 298: « Furor impius intus Sæva sedens super arma ». — Ubi respici vult Servius ad Apellis tabulam quam Augustus in foro consecrarat. Ed.

Actius ipse lyram plectro percussit eburno,
Postquam victrices conticuere tubæ.
Hic modo miles erat, ne posset femina Romam
Dotalem stupri turpis habere sui.
Hic tela in profugos, tantum curvaverat arcum,
Misit ad extremos exorientis equos.

51. *Actius ipse*, sc. Apollo, otio et lyra se oblectavit post pugnam Actiacam. In ea victoria præcipuam vim et operam Apollini tribuunt poetæ, quod fiebat ad Actium promontorium, ubi Apollo colebatur, et ludi musici ab Augusto instituti in ejus victoriæ memoriam. Et non solum universe hunc morem Apollinis esse dicunt, ut post prælia et sagittas citharam sumat feriatus, vid. Horat. Carm. II, 10, 17, sed sigillatim etiam prælium Actiacum ejus cantu celebratum. Propert. IV, 6, 69 : « citharam jam poscit Apollo Victor, et ad placidos exuit arma choros ». Eumdem Jovis prælia cecinisse dicit Tibull. II, 5, 9 : « Qualem te memorant, Saturno rege fugato, Victori laudes concinuisse Jovi ».

53. *Hic*, Apollo, *modo miles erat*, ante pugnabat pro Cæsare.

54. *Dotalem Romam*, h. e. Romanum imperium dotis loco promissum Cleopatræ. Similiter Elegia IV infra proferenda, v. 3 : « Dotalemque petens Romam Cleopatra Canopo ». Propertius, III, 11, 31, *conjugii obsceni pretium* vocat. — Et Justinus, I, 7, fin. dicit « cædem Candaulis nuptiarum pretium fuisse, uxoremque mariti sanguine dotatam, regnum viri et se pariter adultero tradidisse ». Ed.

55. Vid. Excurs. I ad huj. Eleg. calcem.

57. *Bacche*. Male hic Gorallus Antonium sub Bacchi nomine describi putat ideo, quod poeta quasi de re, cujus ipse testis fuerit, loquatur, et Antonius, e Parthia redux, se Bacchum dici voluerit in Ægypto. At profecto devictos a Romanis Indos nullo modo dicere potuit auctor : quando *devicimus* dicit, loquitur κοινωνικῶς, quod gentes Europæ, cujus ipsi Romani pars sunt, bellum moverunt in Barbaros Asiæ; ut Horatius prima persona pluralis utitur, de toto genere humano loquens, Carm. III, 3, 37 : « Nil mortalibus arduum est, Cælum ipsum petimus stultitia ». Et si deinceps *Sum memor, et certe memini* addit, nihil aliud iis verbis, quam memoriam ejus rei e lectione fabularum haustam significat. — Quæ ab hoc versu usque ad 68 de Baccho dixi in notis meis, nunc mutata sententia revoco, et Gorallo plane accedo, qui eos versus de Antonio Bacchum simulante Alexandriæ intelligendos censuit. Sentio nunc, quantopere torquenda et trahenda pleraque auctoris verba sint, si velis de Baccho ipso, Indorum debellatore, interpretari, quam contra omnia sint plana et apta, si Antonium existimes ab auctore perstringi, qui se cum ipso Antonio in exercitu fuisse significat. Quod auctor eo loco, ubi Deorum exempla refert, atque inter Apollinem et Herculem, de Bac-

Bacche, coloratos postquam devicimus Indos,
  Potasti galea dulce juvante merum :
Et tibi securo tunicæ fluxere solutæ;
  Te, puto, purpureas tunc habuisse duas.
Sum memor, et certe memini sic ducere thyrsos
  Brachia purpurea candidiora nive :

cho loquitur, id tantum abest, ut Bacchum Deum jubeat intelligi, ut potius ostendat, hoc acerbius Antonii insaniam irrideri. Et quum Mæcenatis, qui Cæsaris amicus erat, mores hoc loco excusare et a malevolorum vocibus defendere studeat, non potuit hoc acrius et vehementius agere, quam ipsius Antonii, hostis præcipui, mollitiem et luxuriam insectando. Ad veritatem ejus insaniæ, quam scriptor Antonin objicit, intelligendam inprimis facit locus Velleii Paterc. lib. II, c. 82, quem hic, ut emendatus a cl. Ruhnkenio est, subjicimus : « Bellum patriæ inferre constituit (Antonius); quum ante, novum se Liberum Patrem appellari, jussisset, quum redimitus hederis, crocotaque velatus aurea, et thyrsum tenens, cothurnisque subnixus, curru, velut Liber Pater, vectus esset Alexandriæ ». Wernsd. in Addendis.

58. *Galea levante* ediderunt Meibomius et Gorallus, nulla auctoritate vel ratione adducta : sed *levare* illis forte significabat tollere, suscipere, ut in hoc versu Propertii, IV, 9, 36 : « Et cava suscepto flumine palma sat est ». Neque vero video, quid offendere debeat vulgata lectio *juvante* : juvat certe galea potantem, quum aliud vas vel instrumentum, quo hauriatur, non suppetit. Milites sæpe dicuntur portare et bibere aquam galea. Tibull. II, 6, 8 : « erit hic quoque miles Ipse, levem galea qui sibi portet aquam ». De eo more militum vid. locus primarius Lucan. IX, 502 seq. Oudendorp. ad h. l. et Freinshemius ad Quinti Curtii lib. V, extr.

60. Male hic Meibomius *tuas* scripsit.—*Duas* Baccho tunicas, easque purpureas tribuit, quod mollis et delicati hominis est duabus tunicis, interiore et exteriore, uti, præsertim in itinere; luxuriosi vero *purpureis*.—Vid. Calpurnii III, 30, huj. ed. tomo I, parte II, pag. 439. Ed.

61. *Sum memor, et certe memini.* Tautologiam in his et vitiosam lectionem deprehendere sibi visus est Burmannus : mihi tantum videtur firmior adseveratio poetæ, qui adserat, se ea, quæ hic de Baccho afferat, tam luculente relata de Baccho legisse, ut Bacchum quasi præsentem videre sibi visus sit, sic brachia ejus candida ducere thyrsos. Non igitur valde requiro, quæ hic tentata in verbis pro emendatione sunt : tantum pro *certe* malim *certo* legere. Nec offendere debet *thyrsus* paullo post repetitus : nam hic de gestatione thyrsi loquitur; illic de ipso thyrso ejusque ornatu, in quo luxum ostendit Bacchi. — Repetatur nota ad vers. 57. Ed.

62. *Purpurea nive*, h. e. splendida vel candida, ut sunt *purpurei olores* apud Horatium. Nec tamen displicet conjectura Burmanni : *Brachia*

Et tibi thyrsus erat gemmis ornatus et auro;
Serpentes hederæ vix habuere locum.
Argentata tuos etiam sandalia talos
Vinxerunt certe; nec, puto, Bacche, negas.
Mollius es solito mecum tum multa loquutus,
Et tibi consulto verba fuere nova.
Impiger Alcide, multo defuncte labore,
Sic memorant curas te posuisse tuas.

vel pura, pro *licet pura*, h. e. recente et non calcata.

65. *Argentata*, sunt prætexta aut intexta filis argenteis. Scaliger mavult *amentata;* sed hæc non ad luxuriam pertinent. Etiam *sandalia* offendunt Scaligerum, quod secunda ejus vocis syllaba alias correpta esse solet. Sed neque *talaria*, quæ Scaliger e veteri membrana affert, atque etiam cod. Helmst. exhibet, neque *plantaria*, quod Burmannus vult, satis arrident; et malo existimare, sandalium dubiam habere prosodiam, aut eam hoc loco esse licentius mutatam.

67. *Mecum tum multa loquutus.* Hæc certe ita sonant, ac si Poeta Bacchi nomine virum sibi æqualem, quocum ipse versatus sit, intelligat, Antonium, si Gorallum audimus. At quum poeta de Diis hoc loco loquatur, et antea Apollinis, mox autem Herculis exemplo Mæcenatis mollitiem defendat, ratio et contextus orationis non permittit, ut Antonium, aut alium quempiam recentis ætatis Diis interpositum credamus: multo minus credibile est, auctorem ad excusandum Mæcenatem, Cæsaris amicissimum, voluisse Antonii, hostis ejus, luxuriam et mollitiem, Romanis invisam et detestatam, efferre, aut aliqua ejus familiaritate gloriari. Itaque aliter non possumus, quam corruptum locum existimare. Heinsius conjecerat *tecum:* idem emendabat *Mollius es solito nec non temulenta loquutus;* et Brouckhusio placuerat *jocatus*. Burmannus putat expressum esse versum e Virg. Æn. VII, 357: « Mollius et solito matrum de more loquuta est ». Atque ego non vereor affirmare, totum Virgilii versum ab auctore esse de Baccho usurpatum hoc modo: *Mollius es solito, matrum de more, loquutus*, ut dicat, Bacchum adeo remissum solutumque in mollitiem fuisse, ut fractam usque vocem mulierum imitaretur; namque *matres* poetis feminæ. *Matres Deorum*, pro Deabus, vidimus apud Gratium, v. 64.

68. *Verba fuere nova*, h. e. insolita, mutatæ infractæque vocis; non ex crapula allucinantis, ut Scaliger explicat: nam addit *consulto*. Idem vero bene huc trahit Virg. in Ciri, v. 356: « Multus ineptæ Virginis insolito sermo novus errat in ore ». — Vocula *consulto* ostendit, non hic respici verba ebrii balbutientis sed sicci Antonii, qui et ejusmodi ineptiarum reus agitur a Cicerone, Philipp. XIII, cap. 19, de voce, qua usus erat, *pissimus*. Ed.

Sic te cum tenera lætum lusisse puella
 Oblitum Nemeæ, jamque, Erymanthe, tui.
Ultra numquid erat? torsisti pollice fusos;
 Lenisti morsu lævia fila parum.
Percussit crebros te propter Lydia nodos,
 Te propter dura stamina rupta manu.
Lydia te tunicas jussit lasciva fluentes
 Inter lanificas ducere sæpe suas.
Clava torosa tibi pariter cum pelle jacebat,

71. *Lætum lusisse.* Heinsius conjiciebat *lentum*, pro otioso et securo amante, vel pro recubante. In MS Helmst. est *Sic tecum teneram multum lusisse puellam.*

72. *Oblitum* leonis in Nemeæ silva, et apri in Erymantho, Arcadiæ monte, abs te occisi.

73. *Ultra.* Numquid agere poteras ultra hanc lasciviam et mollitiem? numquid magis lascivum? immo fusos torsisti, lanam fecisti mulieris in morem. Pro *lenisti* Servii codex, teste Burmanno, habuit *levisti*, quod sane malim: *lævasti* Heinsius volebat.

75. *Percussit* te Lydia sandalio, quod crebros in subtemine nodos faceres: structura verborum paullo perplexa est. *Percutere* quidem alias verbum textorium est, sed qui eo sensu accipere voluit Scaliger, sensum ipsum versus pervertit.

76. Male hic Meibomius *stamina rupta* probat. Similia refert Dejanira in Ovid. Epist. IX, 79: « Ah! quoties, digitis dum torques stamina duris, Prævalidæ fusos comminuere manus ».

77. *Lydia ter tunicas* Meibomius edidit, nulla caussa. — Pro *fluentes* vitiose in cod. Leid. *faventes*, et in Helmst. *foventes.* — *Ducere tunicas fluentes* pro gerere, vel indui tunicis, Burmanno nova et inaudita locutio videtur. Itaque cum Heinsio corrigit *Lydia te tunica jussit lasciva fluente Inter lanificas ducere pensa suas.* Sed de pensis jam dixit, et *ducere tunicas* h. l. dictum videtur pro *trahere* per pavimentum. Nam quæ hic tunica muliebris est, ab aliis palla dicitur, quæ prælonga et luxurians est. Sic ipse Hercules de se apud Propert. IV, 9, 47: « Idem ego Sidonia feci servilia palla Officia, et Lyda pensa diurna colu ».

79. *Clava torosa* quin nodosa et crassa sit, non dubito: nam *toros* de qualibet materia dici, quæ multis filorum vel funiculorum flexuris et nodis constat, e Columellæ et Vitruvii locis probari potest.—Et Minutius Fel. in Octav. cap. 3, *crispos torososque errores* undæ maris dicit. Ed. — Non igitur erat, cur Gorallum ob eam interpretationem exagitaret Burmannus. Certe emendatio Heinsii ad Ovid. Metam. XV, 230: *Clava, torose, tibi*, non placet. Si nodi æque ac tori in corporibus animalibus de ligaturis nervorum et fibrarum dicuntur, ut in Nemes. Cyneg. v. 169, et *nodos Herculis*, ut alias toros et lacertos, dixit Ru-

Quam pede suspenso percutiebat Amor.
Quis fore credebat, premeret quum jam impiger infans
Hydros ingentes vix capiente manu?
Quumve renascentem tereret velociter hydram?
Frangeret immanes vel Diomedis equos?
Vel tribus adversis communem fratribus alvum,
Et sex adversas solus in arma manus?
Fudit Aloidas postquam dominator Olympi,

tilius, Itin. I, 628, certe *nodosus* et *torosus* permutari posse arbitror.

80. *Percutiebat*, h. e. insultabat ei Amor, tamquam victor succumbentis Herculis. — *Suspenso*, elato pede. — Frustra hic in *percutiebat* vitium quærit Burmannus, et *præripiebat* substituit: non enim præripere arma necesse erat, quibus ipse exuerat se Hercules, et nunc uti nolebat. Similiter et Reposianus in poematio de concubitu Martis et Veneris, v. 126 seq. Anthol. Burm. lib. I, epigr. 71, fingit Cupidinem Martis cum Venere cubantis relicta arma per ludum tractare, illigare floribus, tentare pondus, mirari.

81. Codices a Scal. et Burmanno citati, cum quibusdam editis, legunt, *quum jam premit impiger infans;* Helmst. *jam premet:* sed præferenda vulgata. Scalig. hic *rumperet* malebat, sed verbum *premere* in his gestis Herculis solenne poetis usitatum est.

82. *Vix capiente manu.* Hoc pariter exprimit Nemes. de Laud. Herc. v. 57: « Corripis exiguis mox grandia guttura palmis, Et quamvis teneris, cogens in brachia pondus, Projicis ». Cujus loci alterum versum hac occasione moneo ab Nic. Heinsio ad Ovid. Her. IX, 86, sic belle emendatum esse: « Et quamvis crebris cohibentes brachia nodis Porrigis ».

83. *Terret velociter* legitur cod. Helmst. *terret feliciter* cod. Leid. *tereret feliciter* Vossian. *velociter ureret hydram* conj. Gorallus, quod et probatum Oudendorpio et Burmanno.

84. *Frangeret*, h. e. edomaret, et mansuetos redderet, ne amplius humano sanguine, sed gramine, pascerentur. Vid. Hygin. fab. 30. Eodem verbo usus est auctor epigrammatis de equis Diomedis, Anthol. Burm. I, 117: « Hospite fregerunt vim Diomedis equi ». Claud. præfat. ad lib. II de Raptu Proserp. « Diraque sanguinei vertit præsepia regis, Et Diomedeos gramine pavit equos ».

85. Describit Geryonen tergeminum, de quo omnia nota. Similem in modum Ovid. Heroid. IX, 91: « Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi Geryones, quamvis in tribus unus erat ».

87. *Fudit OEnidas* e MS notavit Scaliger et Scriverius. *Fudit et Enidas* cod. Voss. Leid. et Helmst. alii *Aolidas* exhibent, alii et *Eolidas:* sed hæc ludibria scribarum. *Aloidæ* Gigantes dicti ab *Aloeo*, Titanis et Terræ filio, et erant gemini, Otus et Ephialtes, de quibus vid. Claud. Bell. Get. v. 68 seqq. et Servius ad

Dicitur in nitidum procubuisse bovem;
Atque aquilam misisse suam, quæ quæreret, ecquis
Posset amaturo vina referre Jovi:
Valle sub Idæa dum te, formose sacerdos,
Invenit, et presso molliter ungue rapit.
Sic est: victor amet, victor potiatur in umbra,
Victor odorata dormiat inque rosa.

Virgilium, Æneid. lib. VI, v. 582.

88. Vetus membrana Scaligeri, *Dicitur in nitidum percubuisse diem.* Cod. Helmst. *procubuisse diem*: inepta lectio: quid enim frigidius, quam Jovem fingere, devictis Gigantibus, in multum diem stertuisse. Male etiam Gorallus edidit *in nitidam procubuisse bovem*, et interpretatur, Jovem amore captum Ius, in nitidam bovem mutatæ, tauri instar juxta eam procubuisse. Nam de ipso Jove in taurum mutato sermo est, qui nitidus videbatur Europæ, eamque rapiebat. — *In bovem procubuit* notat mutatus in bovem est, et ut bos procubuit. *Procumbere* enim proprium est bovis, et sic usurpatur a Virgilio, Ecl. VIII, 89, et Æn. V, 481. Itaque significanter poeta uno verbo actum mutationis simul atque finem exprimit. Tale fere est, quod Nemesianus de Myrrha in arborem mutata ait, Cyneg. v. 29, *Ivit in arboreas frondes*, et quod Prudentius, in Symm. I, 58, Saturnum in equum mutatum *adhinnivisse puellis* dicit. — Aptissimum huic loco est, quod Apuleius, Metam. lib. VI, p. 440, edit. Oudendorp. dicit: « Jupiter mugivit in bovem ». Quod Meursius Critici Arnob. lib. V, cap. 13, perperam corrigit *mugivit in bove*. Ed.

89. *Ecquid* et versu seq. *signa referre*, habent codices Voss. Leid. Helmst. et sic dedit Aldus in prima ed. unde Heinsius *digna* voluit, et Scaliger *signifer esse Jovis*.

90. *Signa referre* phrasis nota; sed in *vina referre* verbum compositum pro simplici *ferre* positum videtur, ut apud Suet. Aug. cap. 78, *retectis pedibus*, ubi vid. Ernestus. — *Amatori* in quibusdam esse, perperam Meibomius notavit.

91. Malim hic legere *tum te*, ut et Heinsius volebat. — *Sacerdotem* hic dictum Ganymedem Scaliger existimat ex imitatione veterum Latinorum, qui vinum ministrantes pueros in sacris vocabant Camillos. Id quidem longius petitum videtur: nec tamen melius quidquam exquiro. Ganymedem, quum raperetur, venatum esse in Ida prodit Virgil. Æn. V, 252 seq. qui locus conferendus. Heinsius legebat *dum te, formose, jacentem*, quod a literarum ductu non multum aberrat.

93. *Sic est*: sic res habet, ut dixi. Est veluti collectio ex superioribus. — Scaliger in vet. cod. reperiebat *patiatur*, unde legebat *spatietur*: sed verum est *potiatur*, quod simpliciter dicitur pro amoribus frui. Terent. Heaut. II, 3, 81: «Vis amare, vis potiri». Ovid. Metam. III, 405: « Sic amet iste licet, sic non potiatur amato »: addere velis Calpurnii VI, 9.

94. *Dormiat inque rosa.* Summas

Victus aret, victusque metat; metus imperet illi,
   Membra nec in strata sternere discat humo.
Tempora dispensant usus, et tempora cultus:
   Hæc homines, pecudes, hæc moderantur aves.
Lux est, taurus arat; nox est, requiescit; arator
   Liberat emerito fervida colla bovi.
Conglaciantur aquæ, scopulis se condit hirundo:
   Verberat egelidos garrula vere lacus.
Cæsar amicus erat: poterat vixisse solute,
   Quum jam Cæsar idem, quod cupiebat, erat;
Indulsit merito: non est temerarius ille.
   Vicimus: Augusto judice dignus erat.

delicias arbitrabantur Veteres jacere in rosis. Senec. epist. 36, *Nemo discit ut si necesse fuerit æquo animo in rosa jaceat.* Vopiscus in Carino: *Rosis Mediolanensibus cubicula et triclinia stravit.* Ed.

95. *Victorem victus metuat*, sic habent Aldina sec. Scaliger et Pithœus. Sed Meibomius alios legere indicat *Victor aret victusque metat*, quod ineptum: sed melius codex P. Servii, prima Ald. et margo Pith. *Victus aret, victusque metat;* idque confirmat cod. Helm. qui *victus erat, victusque metat;* ubi secunda manus adscripsit *arat.* Hæc omnino sincera lectio, et propter triplicem oppositionem victoris et victi plane elegans; nempe ut victori jus sit otii et voluptatis, ita victum merito damnari labori et ærumnis. Apparet, ex hac demum lectione istam Aldinæ secundæ et Scaligeri mendosam esse; itaque eam ut germanam in textum revocare non sum veritus.

97. *Tempora dispensant usus*, h. e. temporum diversa ratio alios usus, alios cultus poscit. Et Gorallus hic præclarum locum carminis Paneg. in Pison. allegavit: *Temporibus servire decet*, etc.

100. *Emerito jugo* Gorallus edidit Meibomium sequutus nimis secure; qui alias plures intrusit lectiones, nulla nisus auctoritate. — *Fervida colla*, calida ex labore et adtritu jugi. Virgil. Georg. II, 542: « Et jam tempus equum fumantia solvere colla ».

101. *Conglutinantur* quidam codices inepte. Burmannus cum Heinsio volebat *Quum glaciantur.*

102. Hic quidem *Verberat et gelidos* cod. Helmst. cum aliis: sed *egelidos* retinendum, hoc est, tepidos, quia opponuntur aquis *conglaciatis.* — *Lacus* hic lacunaria domorum intelligebat Scaliger, et legebat ideo *egelido vere:* at lacus sive stagna intelligenda suadent oppositi priore versu *scopuli;* et similis versus Virgilii, Georg. I, 377: « Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo ».

105. *Indulsit merito*, sc. sibi, vel genio suo: sic intelligunt interpretes. At non de Mæcenate, sed de Cæsare hoc capiendum est. *Indulsit* ei Cæsar bene *merito*, h. e. permisit

Argo saxa pavens postquam Scylleia legit,
  Cyaneosque metus jam religanda ratis:
Viscera dissecti mutavit in arietis agnum
  Æetis, succis omne perita suis.
His te, Mæcenas, juvenescere posse decebat:
  Hæc utinam nobis Colchidos herba foret!
Redditur arboribus florens revirentibus ætas;
  Ergo non homini, quod fuit ante, redit?
Vivacesque magis cervos decet esse paventes,

ei sic vivere, quod bene ante meritus erat: et *non temerarius ille*, sc. Cæsar in judicando est. In minore versu sic distinguam *Vicimus Augusto judice: dignus erat.*

107. *Scylleia* omnes libri scripti et impressi: quoniam tamen hic ea importuna putantur, Heinsius ad Ovid. Metam. XV, 702, legendum putat *postquam Scylaceia legit*, a Scylacæo, quod *navifragum* vocat Virg. Æn. III, 553. Sed nolim mutare, quod omnes constanter servant. Scyllam et Charybdin Argo in reditu prætervectam esse tradit Apollonius, IV, 923, et de reditu navis hic sermonem esse, ostendunt quæ sequuntur de Medea, quæ arietem et Peliam, patrem Jasonis, recoxisse demum post hujus in Græciam reditum dicitur.

108. *Cyaneos metus* adjungit, tamquam par et simile itineris periculum, nullo respectu habito vel profectionis vel reditus.

109. Cod. Helmst. habet *Viscera directi mutaverat arietis agni*, quomodo et Scaliger in suo legerat, et inde emendabat « Viscera directi mutaverat arietis agno Æetis fucis omne perita suis »; quamquam pro *fucis* codices alii cum nostro melius legunt *succis*. Scaligero adsentit Salmas. ad Solin. p. 838, et *dirigere* proprie esse docet in duas partes rectas et æquales scindere. — De etymo et sensu vocis *directus* multis agit Ursinus in Observat. Philol. cap. VII. En. — *Dissecti* tamen dederunt Aldina utraque, margo Pithœi, ac Scaliger: *disjecti* cod. Voss. et Leid. Brouckhusius ad Propert. IV, 8, 30, citat *defecti*. Meibomius totum versum edidit ut nos: sed fere prætulerim lectionem Scaligeri, quam et Gorallus tenet. Saltem in altero versu *Æetis succis* necessarium putavi.

110. *Omne perita* omnes vetusti: sed Gorallus, Salmasio adsentiens, propter analogiam similium compositorum *omniperita* edidit.

113. *Florens revirentibus ætas*: sic Aldina sec. Pith. et Scaliger: *revocantibus æstas* cod. Leid. et Ald. prima: *flores renovantibus æstas* cod. Helmst. non male.

114. *Ergo non* Ald. pr. Veneta, Junt. *Et cur non* Ald. sec. ut conj. Heins. *Ergo* pro *autem* vel *sed* positum, ut supra v. 10.

115. *Paventes*, quod ideo minus digni vivacitate: sic *fugaces* cervos Nemesianus dixit Cyneg. 306, et Gratius in Halieut. v. 65 *capto fugiens sine fine timore.*

Si quorum in torva cornua fronte rigent?
Vivere cornices multos dicuntur in annos;
Cur nos angusta conditione sumus?
Pascitur Auroræ Tithonus nectare conjux;
Atque ita jam tremulo nulla senecta nocet.
Ut tibi vita foret semper medicamine sacro,
Te vellem Auroræ complacuisse virum.
Illius aptus eras croceo recubare cubili,
Et modo puniceo rore levante torum:
Illius aptus eras roseas adjungere bigas,
Tu dare purpurea lora regenda manu:

116. *Si quorum*, hoc est quorumcunque. — *Torva* epitheton fere proprium animalis cornuti. Virg. Georg. III, 51: « Optima torvæ Forma bovis ». Claud. Rapt. Pros. I, 128: « vitulam non blandius ambit Torva parens ».

117. *Multos in annos*: immo *sæclis vix moritura decem* dicitur cornix ab Ovid. Am. II, 6, 35.

118. *Augusta conditione*, hoc est forte brevis et augusti ævi.

119. *Pascitur nectare*, potu Deorum, quo redduntur immortales. Videtur *nectare* referendum ad *Auroræ*, et intelligendus ros matutinus, quo vegetari omnia dicuntur. —Infra *medicamen sacrum*, et *puniceum rorem* vocat. Certe Tithonum ab Aurora ambrosia nutriri scribit Homerus, Hymn. in Ven. 232; ipsam vero Auroram *nectareis ali aquis* Ovid. Met. VII, 706.

121. *Medicamine sacro.* Vid. Ovid. Met. II, 122. En.

123. *Croceum cubile Auroræ*, celebre apud poetas, quod oriens linquere Tithono dicitur. Vid. Virg. Æn. V, 585, et Georg. I, 447.

124. *Rore levante torum*: hæc pluribus visa sunt corrupta. Meibomius et Gorallus ediderunt *Et modo puniceo rore levare sitim*, quod bonum quidem sensum fundit, sed nulla auctoritate firmatum est, quia *torum* omnes legunt. — *Puniceum rore lavante* membrana Scaligeri habuit, unde conjecit Heinsius *rore lavare torum.* At mihi videtur stare posse vulgata lectio, si versus hic connectatur cum sequente, hoc modo: « Et, modo puniceum rore levante torum, Illius aptus eras, etc. » h. e. Et dum ros matutinus ejus torum levat, i. e. nubes et humum refrigerat et humectat, interim aptus eras equos Auroræ adjungere. *Rore matutino levata esse corpora* dicit Curtius, VII, 5, 5.

125. *Roseas tu jungere* habet Ald. sec. item margo Scaligeri et Pithœi, et Meibomius, sed *adjungere* rectum est, quod Aldina pr. Pithœus et Scaliger dederunt; pro quo *Nox jungit equos* dicit Tibull. II, 1, 87. Contrarium est *abjungere*, quod de Aurora usurpat Propert. II, 18, 10, « Quam prius abjunctos sedula lavit equos ». — Et de Luna Olympius Nemes. in fragmento, quod

Tu mulcere jubam, quum jam torsisset habenas,
Procedente die, respicientis equi.
Quæsivere chori juvenem sic Hesperon illum,
Quem nexum medio solvit in igne Venus;
Quem nunc in fuscis placida sub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.
Hic tibi corycium, casias hic donat olentes,
Hic e palmiferis balsama missa jugis.
Nunc pretium candoris habes, nunc redditus umbris:
Te sumus obliti decubuisse senem.
Ter Pylium flevere sui, ter Nestora canum;

adduximus hujus op. tomo I, parte I, pag. 98. Ed.

127. *Quum jam torsisset habenas.* Loquitur de Aurora decedente de cælo, confecto spatio, quum *retorquet* vel reflectit habenas bigarum, die vel sole jam procedente, adeoque *respiciunt* equi, ut revertantur. Propertius, II, 18, 9, Auroram decedentem dicit Tithonum suum ulnis fovere, deinde equos abjungere et lavare; cui conjunctum est, quod hoc loco dicitur, *mulcere jubam equorum*, quod fieri solebat equis jam quiescentibus et jugo solvendis. Noster aptum et dignum fuisse Mæcenatem dicit, qui ministraret Auroræ adjungenti equos, vel abjungenti. Qua in imagine Veteres symbolum immortalitatis quæsiverint necesse est. Et Laur. Begerus in Spicil. Antiq. p. 149, monumentum producit, quo Cleobis et Biton juvenes, qui mane reperti erant mortui, conspiciuntur frena adprehendere vel solvere bigarum, quas Begerus Æternitatis esse suspicatur; ego Auroræ esse arbitror, quo eorum immortalitas, ut hic Mæcenatis, significatur. Quare id monumentum præcipue ex hoc loco lucem accipit.

129-132. Vid. Excursus secundus ad hanc Elegiam.

133. Interpretatio, quam Gorallus dat, hujus loci hactenus placet, ut *Hic* referatur ad Luciferum, orientalium plantarum, quia ab Oriente lucet, quasi potentem et præsidem. Hic Mæcenati donare crocum, casiam, balsama dicitur, credo, ut in ignem rogi dentur, quem variis adolere unguentis mos erat, honoris caussa. Vid. Propert. IV, 7, 31 seqq. — *Corycium* absolute vocat crocum, quia præstantissimus et copiosissimus e Coryco, monte Ciliciæ.

134. *Palmifera juga*, ager Jerichuntis Palestinæ, ubi crescit palma et opobalsamum.

135. *Nunc redditus umbris*, h. e. quum nunc sis datus umbris. Compositum *reddere* pro simplici obvium est.

136. *Sumus obliti senem*, nam quasi juvenem flemus.

137. *Pylium* et *Nestora*, qui idem est, hic repeti, merito offendat. Ergo videtur legendum *Ter Peliam*,

Dicebant tamen hunc non satis esse senem.
Nestoris annosi vixisses sæcula, si me
Dispensata tibi stamina nente forent.
Nunc ego quod possum : « Tellus levis ossa teneto,
Pendula librato pondus et ipsa tuum.
Semper serta tibi dabimus, tibi semper odores;
Non unquam sitiens, florida semper eris ».

ut in superiore Elegia ad Messalam, v. 15; aut emendandum « Et Pylii flevere suum ter Nestora canum »; ubi *ter canum* conjungendum puto, quasi trium ætatum canitie præditum, quemadmodum trisæclisenem appellabant.

138. *Dicebantque tamen* cod. Leid. Helmst. edd. Ald. et aliæ.

139. Pro *vixisses* in Juntina et Ascens. ed. est *vicisses*, quod fere præferendum videtur. Sic Elegia I, v. 16 : « Carmina, quæ Pylium vincere digna senem ».

140. *Nempe forent* exhibent cod. Leid. Voss. Helmst. et *Dispensante tibi stamina nempe forent* edit. Veneta, Juntina, Ascens. Unde Salmasius conj. *si me Dispensante tibi stamina neta forent*. Mihi lectio vulgata satis proba videtur.

141. *Nunc ego quid possum?* Sic legunt omnes editi, et, quos Burmannus vidit, scripti. Scaliger tamen censuit « Nunc ego quod possum : tellus levis, etc. » idque plane perscriptum exstat in cod. Helmst. sententiæ conveniens : quare contexto intuli. — Frequens et solennis formula apud Veteres est, « Quod solum potui », quam exemplis comprobavit Pricæus ad Apuleii Metam. p. 59; conf. infra Epitaph. Homonœæ, v. 15. Ed.

142. *Librare pondus*, ut recte observat Gorallus, perinde est, ac pondus quasi libra suspensum sustinere. Sumptum videtur ex Ovid. Metam. I, 12 : « Pendebat in aere tellus Ponderibus librata suis ».

144. *Non unquam sitiens*. Nempe et libare cineribus mos erat, et flores serere juxta tumulum, et terram irrigare frequenter. — Virg. de Cenotaphio Hectori ab Andromache in Epiro exstructo, Æn. III, 309, seqq. Ed. — Vid. Jac. Guther. de Jure Manium, lib. II.

EXCURSUS I

AD ELEG. IN OBITUM MÆCEN. v. 55.

Hic tela in profugos, tantum curvaverat arcum,
Misit ad extremos exorientis equos.

Plerosque interpretes video hos versus de Mæcenate intellexisse. Brouckhusius ad Propert. lib. III, Eleg. 3, 1, hoc versu Pedonem ostendere ait, Mæcenatem Augusto auctorem fuisse expeditionis in Indiam suscipiendæ, atque per *profugos* poetam intelligere reliquias exercitus Antoniani, ut hoc nomine prætexeret ambitionem Cæsaris. Petr. Burmannus in annot. ad h. l. in sententiam Brouckhusii abit, et Mæcenatem hic spectari, satisque clare cum suasorem expeditionis Indicæ, quæ tamen nunquam suscepta sit, indicari existimat. Nec aliter sensisse Nic. Heinsius videtur, qui testante Burmanno legendum conjecerat *Sic tela*. Hanc enim correctionem, qua connexio et relatio hujus versus ad præcedentia tollitur, tentasse ille propterea videtur, quod hoc disticho comparari Mæcenatem cum Apolline ante memorato crederet. Theodorus Gorallus, sive Jo. Clericus, qui sæpe alias in interpretando παρασοχάζεται, hic omnino meliora vidit, et, de Apolline Antonianos fugante sermonem esse, recte judicavit. Burmannus quidem mutavit sententiam, et versum de Apolline, non de Mæcenate, intelligendum ipse fassus est in Mantissa annott. ad Anthol. Lat. t. II, pag. 720: ego tamen, qui hoc distichon e pulchrioribus Elegiæ locis esse existimo, et sane cupio veram egregiamque ejus sententiam in bona luce collocare, hoc loco constitui rationes omnes, tum eas, quibus inducti alii voluerint illud de expeditione Augusti Indica intelligere, tum

contra, quibus ipse existimem Apollinem, in pugna Actiaca hostes Cæsaris fugantem, celebrari, diligentius et copiosius excutere, totumque illud commentum auctoris similibus, quos ille imitatus est, aliorum poetarum locis illustrare. Et quidem, ut viri docti expeditionem Indicam, ejusque suasorem Mæcenatem, hic inveniant, non alia ipsi quam levi suspicione, cui verba poetæ aptant, duci videntur. Equidem Cæsarem meditatum esse bellum adversus Indos, fortasse etiam hoc optasse Romanos, Poetæ passim significant cum Historicis, ut Horat. Carm. I, 35, 32; Propert. II, 10, 15, III, 4, 1; Ovid. Art. Am. I, 177. At nunquam susceptam eam expeditionem esse satis constat, et in verbis Pedonis nihil est, unde Indiam significari intelligatur. Nam quod *extremos exorientis equos* nominat, id non Indiam solam, sed quasvis remotas Orientis regiones, Parthos, Sabæos, Arabas, Æthiopas, Ægyptios significare potest, siquidem *extremæ oræ* a Propertio, II, 10, 17, de pluribus terris Orientis dicuntur, et *extremum orbem* idem, lib. II, 16, 39, manifeste Ægyptum appellat, de Antonio loquens:

> Hunc infamis amor versis dare terga carinis
> Jussit, et extremo quærere in orbe fugam.

Cætera etiam poetarum loca supra adducta non de solis Indis, sed pluribus Orientis populi loquuntur. In Æthiopiam quidem et Arabiam jussu Augusti expeditionem factam esse Strabo et alii, etiam poetæ, produnt. At quis a Mæcenate decretam et suasam hujusmodi expeditionem e verbis Pedonis exsculpat? Certe *tela in profugos missa ad extremos* usque *Orientis equos* non consilium de bello suscipiendo datum, sed bellum ipsum gestum et in ultimas Orientis oras prolatum significant, quod attamen in Indiam latum esse nusquam legimus. Burmannus quidem instituti, non suscepti, belli significationem in vocula *tantum*, h. e. *modo*, reperit, quum *tantum curvatus esse arcus* dicitur. At quam sinistre hoc! nempe *tantum* hoc loco non *tantummodo*, sed in tantum, adeo, tanta vi significat. Tam valide ille curvaverat, vel adduxerat, arcum, et tam procul emiserat sagit-

tas, ut iis profugos in ultimum Orientem compelleret. Et si de Mæcenate sermo est, quid ei cum arcu et sagittis? num militiæ Romanæ robur sagittarii? num ducis Romani arma arcus et sagittæ? ut iis nominandis bellum ipsum vel belli consilia possint significari. At Apollinis sunt arcus et sagittæ, ejusque tantum numen, tanta vis, ut qui ἑκατηβόλου, *procul jaculantis* cognomen a poetis accepit, ut possit sagittis arcu excussis remotissimos etiam hostes ferire. Itaque distichi propositi hæc omnino sententia est: Hic Apollo Actius sagittis suis profugos e pugna Actiaca hostes in ultimum Orientem compulit: *tantum curvaverat arcum*, hoc est, tantam vim sui numinis adhibuerat, tantum terrorem injecerat. Apollinis in prælio Actiaco alii poetæ singularem operam et potentissimum auxilium spectatum esse perhibent, in eoque prædicando quasi certant cum Nostro, inprimis Virgil. Æn. VIII, 704, seq. et Propert. IV, 6, 39 seq. Antonii copias e pluribus Orientis auxiliis contractas esse constat. Apollinis igitur, pro Augusto pugnantis, eam vim fuisse perhibent, ut sagittis ejus immissis tum naves multæ celeriter captæ, submersæ combustæque sint, tum cæteræ ingenti terrore perculsæ profugerint in Ægyptum aliasque Orientis oras. Illud graviter depingit Propertius l. c.

> Dixerat, et pharetræ pondus consumit in arcus;
> Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit.
> Vincit Roma fide Phœbi: dat femina pœnas,
> Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.

Alterum Virgilius l. c.

> Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
> Desuper; omnis eo terrore Ægyptus et Indi,
> Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.

Nihil hac Virgilii imagine convenientius cum Nostro; et uterque terrorem pingere voluit, numine Apollinis Antonianis copiis injectum, ut dispersæ in remotas se occultare Orientis regiones vellent. *Exoriens*, absolute pro Oriente vel Sole exoriente positum, insolens videtur Burmanno;

nec abnuerim rarius esse. Sed Propertii tamen locus, lib. III, 5, 27: *Qua venit exoriens, qua deficit*, non debebat rejici caussa transpositionis, quam eo loco factam esse Brouckhusius sine gravi ratione suspicatur. Denique orationis series, quam exponit poeta, et connexio, qua propositum distichon a præcedentibus pendet, manifeste probat, non de alio, quam Apolline sermonem hoc loco esse. Poeta versu 51 dixerat, Apollinem post peractam pugnam Actiacam otio indulsisse et lyræ se cantu oblectasse. Jam quemadmodum sequentis distichi verba *Hic modo miles erat*, ad Actium Apollinem respiciunt, ita et hujus *Hic tela in profugos* necessario ad eumdem referenda sunt. Scilicet id agit poeta, ut Apollinis Actii exemplo Mæcenatis, de quo antea egerat, otium et voluptates defendat. Quem antea dixerat desedisse in hortis suis et carmina lusisse per otium, ejusque otii jus habuisse propterea, quod multis ante laboribus et periculis defunctus variis in præliis, sigillatim Actiaco, strenuum fortemque militem se et socium Augusti præbuisset. Vid. versus 35, 39, 45. Post hæc exemplum Actii Apollinis afferens eadem orationis serie utitur, et Apollinem primo lyra cecinisse post Actiacum prælium dicit, deinde militem eumdem et propugnatorem in eo prælio fuisse ostendit. Sententia, quam explicavimus, loci manifesta adeo et clara est, ut pluribus argumentis vix indigere videatur. Et video intelligentissimum poetarum interpretem Heynium non aliter, atque ego, versum Albinovani accepisse, ad Æneid. VIII, 704. Cæterum subit mirari, quum poeta desidiam et otium Mæcenatis excusaverit non modo labore anteacto pugnæ Actiacæ, sed exemplo etiam Apollinis, post eam pugnam feriantis, defenderit; non eumdem exemplo aliorum fortium virorum, et amicorum Cæsaris usum esse, qui otiantes in prædiis suis ex imitatione adeo prælii Actiaci ludos sibi fecerunt. Memorabile enim est, quod Horatius de Lollio, quem ipsum Noster supra v. 10 seq. ut Cæsaris et Mæcenatis amicum laudavit, narrat, eum in villa sua certamen navale ludicrum puerorum, lintribus diversæ classis in lacu

confligentibus, ad similitudinem pugnæ Actiacæ, instituisse. Verba ipsa appono ex Epist. I, 18, 60 ad Lollium:

> ..... Interdum nugaris rure paterno:
> Partitur lintres exercitus: Actia pugna
> Te duce per pueros hostili more refertur.
> Adversarius est frater, lacus Adria; donec
> Alterutrum velox victoria fronde coronet.

Meminimus nos tomo I Poet. minor. Excursu I ad Ausonii Mosell. v. 208 (1), explicare commentum ejus poetæ, quo Amores fingebat jussu Veneris in sinu Cumano ludos facere ad memoriam prælii Actiaci. Decuerat ludicrum navale Lollii, si tum scribenti opportune succurrisset, referre inter exempla certaminum, quibus Romani prælii Actiaci memoriam celebrare consueverunt. Et quoniam mentio facta est certaminis per pueros acti, juvat hic referre aliud, quod inter ipsos apparatus belli Actiaci a pueris urbanis Romæ commissum Dio Cassius, libro L, p. 423, edit. Wechel. memorat. Qui quum suo ipsi motu et studiis contrariis in duas partes divisi, quarum altera Cæsariani, altera Antoniani vocarentur, biduum conflixissent, Antoniani succubuerunt, eoque crediti sunt Antonio futuram cladem prædixisse.

(1) Videatur nota quam huic loco subjecimus in hujus editionis nostræ tomo I, parte 1, pag. 279. Ed.

EXCURSUS II

AD ELEG. IN OBITUM MÆCEN. v. 129-132.

Quæsivere chori juvenem sic Hesperon illum,
Quem nexum medio solvit in igne Venus;
Quem nunc in fuscis placida sub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.

In plerisque excusis exemplaribus Aldi, Pithœi, Scalige., Meibomii, Goralli *quæsivere tori* legitur, sed frustra defenditur et ægre explicatur. Rectius Scaligeri membrana, scriptus Leidensis et Helmst. exhibent *chori.* Hoc et Scalig amplectitur, et choros stellarum intelligit, quas Hesperus antecedit, quarumque chorum diserte nominat Tibullus, lib. II, Eleg. 1, 87:

Ludite, jam Nox jungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo sidera fulva choro.

Porro Scaliger legit *sic Hesperon olim, quem necdum medio*, etc. h. e. quem Venus, quum vix medium confecisse curriculum videtur, dimittit et disparere facit. Hæc sane probabilis et lectio et interpretatio. Alii tamen *choros* intelligere malunt, non stellarum, sed juvenum. Ex ea sententia *chori juvenum* legebat Salmasius, quod et amplectitur Heynius, vir ill. ad Tibull. II, 1, 88, et accipere vult de turba adolescentum ludentium sub vesperam, ut auctor dicat, tam repente Mæcenatem morte ereptum esse, quam vespere Hesperus stella juvenum oculis se subducere soleat. Ego quidem eamdem lectionem *chori juvenum*, ut optimam, amplector libens; quoniam vero non hic sermonem de subi Mæcenatis morte esse video, sed potius de merita ejus immortalitate, quam auctor imagine Hesperi, olim juveni

sed postea inter sidera relati, pingere vult, propterea choros juvenum non ludentes sub vesperam intelligi arbitror, qui Hesperum stellam subito evanescentem desiderent, sed eos, qui olim, juvenis Hesperi æquales, celebrare cum eo choros solebant, et mox a Venere raptum et in stellam mutatum desiderabant. Unde hanc versuum propositorum sententiam esse existimo: Sic etiam Hesperon illum olim chori juvenum, quibus interesse solebat, quæsivere, desideravere, quoniam eum Venus rapuit et in cælum transtulit: quem quidem complexa ea medio in curriculo subito demittit et solvit, h. e. occidere et evanescere sinit; eumdem tamen mox sub nocte, alia cæli regione, rursus nitere videmus. Ut Hesperum illum, ita et alios juvenes, præmature defunctos, credebant Veteres subinde a Venere in cælum transferri, ut ex Elegia, numero VII, a nobis proferenda, v. 27, intelligi potest, et Alb. Rubenius, in diss. de gemm. Tiber. p. 205, hoc loco putat in Hespero Drusum spectari, quem ex rogo a Venere in cælum raptum, et in Hesperon conversum, gemma ea repræsentet equo alato insidentem. Hæc si certa esset sententia, posset inde probabilius concludi, hujus Elegiæ eumdem auctorem ac Elegiæ de morte Drusi esse, qui hoc loco, ut initio carminis, ad exsequias Drusi, ante a se celebratas, respiciat. Cæterum auctor fabulam Hesperi ita conjungit cum præcedente Tithoni et Auroræ, ut optet Mæcenatem sideribus receptum ita fieri Auroræ amasium, ut Hesperus dicatur esse Veneris; h. e. optat eum quasi in sidera vel Deos referri, ita, ut licet nunc ereptus sit hominum oculis, tamen in Deorum consortio immortalis et beatus vivat. Immortalitatem Hesperi, in astra relati, auctor ex eo probat, quod ille, licet vesperi subito dispareat, tamen mane etiam splendeat in altera regione cæli, adeoque perpetuos orbes conficere videatur. Facile adsentior Gorallo, in verbis *Quem nunc in fuscis*, etc. non apostrophen esse ad Mæcenatem, jam cælo receptum; nam hic versu 135 *redditus umbris* dicitur, neque apparet, cur cælo receptus magis, quam quivis alius, Lu-

ciferum videre possit in cælo. Sed oratione ad quosvis legentes conversa, unde secunda persona utitur, indicat poeta Hesperi in Luciferum mutati perennitatem sive immortalitatem, hoc sensu: *Quem* quidem ubi Venus vesperi fulgentem cito disparere fecit, eumdem tamen *nunc*, alio tempore, *sub nocte nitentem*, *contra*, h. e. adversa regione Orientis, et sub nomine Luciferi, *in fuscis equis currere* videmus. Nam uti Tithono, de quo ante dixerat, Orientis regio et Auroræ cubile signum erat immortalitatis, ita et Hespero idem est, quod Luciferi nomine ab Oriente procedit, eoque cursum assiduum et perennitatem servat. Non igitur de Hespero et Lucifero, quasi de duabus stellis, loquitur, sed unam esse, diversis nominibus et locis, significat, ut et alii poetæ faciunt, e. c. Horat. Carm. II, 9, 10, et Papin. Statius Theb. IV, 239. Quando Luciferum auctor ait *in fuscis equis currere*, videtur ei vel bigas et currum tribuere, vel equos desultorios. Utrumque recedere videtur a vulgatiore poetarum et sculptorum more, qui Luciferum equo singulari volantem faciunt. Vid. Ovid. Metamorph. XV, 189, et Trist. III, 5, v. ult. Claud. IV Cons. Hon. 561, et Rapt. Pros. lib. II, 122; Rutil. Num. Itin. I, 430. Certe antiquiores poetæ ei videntur magis currum tribuisse, ut Tibull. I, 9, 62:

Dum rota Luciferi provocet orta diem;

et Ovid. Amor. I, 6, 65:

Jamque pruinosos molitur Lucifer axes.

Recentiores, qui magis argutari solerent, ut diversam vim luminis et cursus in Sole, Aurora, Luna, Lucifero exprimerent, huic equum singularem tribuerunt, ut quadrigas Soli, Lunæ et Auroræ bigas, atque has rursus ita distinguendas putarunt, ut Auroræ quidem currum ab equis, Lunæ vero a mulis, juvencis vel cervis trahi dicerent. In Luna hoc non a priscis, sed recentioribus poetis factum, dudum notavi ad testimonia de Nemes. tomo I Poet. mi-

nor. (1). De tota hac ratione poetarum in siderum cursu pingendo luculente egerunt Taubmannus ad Virg. Cirin, v. 38, Columna ad Ennii Fragm. p. 266, edit. Hessel; Burmannus ad Rutilii Itiner. I, 511, et Heynius ad Tibullum, I, 9, 62 (2).

(1) Hujus editionis nostræ tomo I, parte 1, pag. 98, ubi quoque videatur nota quam huic loco subjecimus. Ed.

(2) Legenda, si vacat, quæ de Hespero dixit Joannes Clericns ad Theogoniam Hesiodi, v. 215, ubi contendit Hesperum dictum a voce Phœnicia quæ *formosum* sonat. Consentire cnm ea Etymologia videtur Hygin. Poet. Astron. lib. II, 42, ubi postquam adseruit nonnullos hunc Auroræ et Cephali filium esse dixisse, subdit: « Pulchritudine multis præstantem, ex qua re etiam cum Venere dicitur certasse (forte cubnisse), ut etiam Erastosthenes dicit eum hac de caussa Veneris appellari ». Sed Eratosthenes quidem, Catasterism. cap. 43, vocat eum φωσφόρον Ἀφροδίτης, neque addit eam appellationis caussam, quam habet Hyginus. Ed.

III.

EJUSDEM ALIA
DE
MÆCENATE MORIBUNDO*.

Sic est Mæcenas fato veniente loquutus,
Frigidus, et jamjam quum moriturus erat:.
« Mene, inquit, juvenis primævi, Jupiter! ante
Augustam Bruti non cecidisse fidem?

* Elegia hæc in editionibus vetustis, et in Scaligeri Catalectis, nec non in eodd. mptis, ut in Helmstadiensi, perpetua serie, et nulla interstinetione, cum superiore cohæret. Primus Pithœus separavit, Scaligeri monitu. Versus ejus plerosque ineptos esse, et ipsa præcedente Elegia magis languidos, frigidos et elumbes, censet Petr. Burmannus sec. a quo judicio meum in hoc non sejungo.

1. Quum Scaliger novam hic inchoari Elegiam, a superiore diversam, censuisset, Bronckhusius contra putavit hic lacunam fuisse, quam ut expleret, hos duos frigidos et infelices versiculos de suo largitum esse nebulonem aliquem. Sed qualescumque hi versus sint, id tamen ultro apparet legenti, superioris Elegiæ in extremis versibus legitimam clausulam fuisse, et hic orationem Mæcenatis incipere, quæ cum priore carmine minime cohæreat.

3. *Jupiter!* frequens exclamatio mirantium vel conquerentium. — Vid. Donat. ad Terentii Adelph. I, 2, 31. Ed. — In vetustis quibusdam hic legebatur *turpiter*.

4. *Augustam Bruti.* Sic quidem omnes scripti et impressi; tantum *angustam* agnoscit cod. Vossian. et Helmstad. Scaliger quidem hic Brutum adolescentem, qui Jul. Cæsarem, quamvis aliquando ab eo filii loco habitus, sustulit, intelligit, eique suffragatur Meibomius et Gorallus, qui hic optare Mæcenatem dicit, se ante id tempus interiisse, quo vidisset amicos suos, Cæsarem et Brutum infestis signis concurrentes, et Romanum imperium cædibus cruentantes. Sed J. F. Gronovius ad Senecæ Consol. ad Marc.

Pectore maturo fuerat puer, integer ævo,
  Et magnum magni Cæsaris illud opus.
Discedo, vellemque prius... » Non omnia dixit,
  Inciditque pudor, quæ prope dixit amor.
Sed manifestus erat moriens : quærebat amatæ
  Conjugis amplexus, oscula, verba, manus.
« Si tamen hoc satis est, vixi te, Cæsar, amico,

cap. 3, felicissime hic auguratus est Drusi nomen substituendum esse ; nam Bruti plane ἄτοπον. Et P. Burmannus adnotat, eodem modo peccatum esse olim in Velleii Paterculi libro II, capite 125 : « ita Drusus ..... prisca antiquaque severitate usus, etc. » : ubi in prima editione *Brutus* legi notaverit Vossius. Gronovio *augusta Drusi fides* est ipse Drusus ab Octavio Augusto tantum non sublatus, certe educatus. Ego malim fidem Drusi in Augustum interpretari, bello Germanico, ejus auspiciis gesto, declaratam, in quo ipse decessit. Quum etiam codices quidam legant *angustam*, fere prætulerim Heinsii conjecturam legentis *Angustam*, vel etiam *Funestam Drusi non cecidisse diem*, i. e. præmaturam mortem; quippe in ipso juventæ flore, medioque victoriæ cursu, anno ætatis trigesimo obiit. Ed.—*Dies* autem pro die suprema, ut apud Senec. Suasor. IV : « Plerosque dixere victuros, et nihil metuentes oppressit dies ». Auctor Dial. de Orat. cap. 13 : « Quandocumque fatalis et meus dies veniet ». Sic *sua dies* unicuique, ut hic *Drusi dies*. Ed.

5. *Integer ævo*. Heinsius *ævi*, ut apud Ovid. Met. IX, 440. *Integer ævi sanguis*, Virg. Æn. 638, et apud alios. Ed.

6. De Druso hic agi, etiam hoc argumento sit, quod vocatur *magni Cæsaris opus*, h. e. ab Augusto ad omnes togæ sagique artes formatus, plane ut eumdem auctor Epicedii in Drusum vocat v. 39 : « Cæsaris illud opus, voti pars altera nostri ».

7. *Discedo* : sic plerique editi ; sed quidam codd. ut et Helmstad. legunt *Discidio* vel *dissidio*, idque probant Scaliger, Gorallus, Burmannus, ut sit ἀποσιώπησις, et significet Mæcenas : Vellem etiam prius discessissem, quam illud discidium et frigus experirer, quod inter me et Augustum aliquando fuit, propter ejus et Terentiæ, uxoris meæ, amores. Sed *incidebat*, interrumpebat, ejus sermonem pudor, quominus omnia de re invisa diceret, quæ prope amor ejus expressisset. De eo dissidio Mæcenatis et Augusti legendus est Meibom. Mæc. c. 27. — Et licet inter Mæcenatem et Terentiam crebra essent divortia, nunquam tamen eam amare destitit, et identidem domum reduxit. Unde salse dixit Seneca eum millies unam duxisse uxorem.—Hinc v. 9 : « quærebat amatæ Conjugis amplexus, etc. » Ed.

9. *Sed manifestus*. Nihil in his verbis sollicitandum. Hellenismus est judice Scaligero, δῆλος ἦν λειποψυχῶν. Jam signa et indicia dabat morientis. Similiter Tacitus, de Zenobia, Ann. XII, 51 : « Spirantem ac vitæ manifestam advertere ».

Et morior, dixit: dum moriorque, satis.
Mollibus ex oculis aliquis tibi procidet humor,
Quum dicar subita voce fuisse tibi.
Hoc mihi contingat! jaceam tellure sub æqua:
Nec tamen hoc ultra me potuisse velim.
Sed meminisse velim: vivam sermonibus; illic
Semper ero, semper si meminisse voles.
Et decet, et certe vivam tibi semper amicus;
Nec tibi qui moritur, desinit esse tuus.
Ipse ego, quidquid ero, cineres interque favillas,
Tunc quoque non potero non memor esse tui.
Exemplum vixi te propter molle beate:

12. Cod. Helmst. legit: « Et morior, dixit, dum morior, satis est »; quæ lectio perplacet.

13. Alii: *aliquis procedet et humor.* — *Molles oculi* proprie dicuntur lacrymantium, quia mollitudo animi in caussa est, ut proveniant lacrymæ. Ovidio, Rem. Am. 340: « Mollibus est oculis? quod fleat illa, refer ». Propertius, III, 15, 29, *lacrymis Amphiona mollem* dicit; et Juven. XV, 131: « mollissima corda...dare se natura fatetur, Quæ lacrymas dedit ».

14. *Quum dicar fuisse*, h. e. mortuum me esse. *Fuit!* notissima exclamatio mortem alicujus nuntiantium. Tib. III, 5, 32: « Sive erimus, seu nos fata fuisse volent ». — Plaut. in Pseud. I, 3, 18: « Mortuus est, qui fuit; qui est, vivus est ». Ed.

15. *Æqua tellus* est, quam Noster priore Elegia, v. 142, *levem* et *suo pondere libratam* dixit. Alio sensu Horat. Carm. II, 18, 32: « Æqua tellus Pauperi recluditur Regumque pueris ».

16. Præfero, quod codex Scaligeri, alius Leid. et Helmst. item Aldina prima habent *te potuisse*, quum præsertim idem *te* in sequenti *meminisse* subaudiendum et repetendum sit. — *Nec tamen* ultra hoc, quod nunc præcipue opto, ultra quietem sub terra levi, aliud quidpiam velim, quod tu pro potestate tua, honoris habendi caussa, mihi mortuo præstare possis. Id tantum velim, ut mei memineris, etc.

19. *Vivam tibi semper amore* legunt editiones Veneta, Juntina et Ascens. pro quo *amare* cod. Voss. Sensus est: mortuus etiam servabo memoriam amicitiæ tuæ: vivam post fata etiam per famam, quam ex amicitia tua nactus fuero. Similis fere sententia Propertii, IV, 11, 74: « Hæc cura et cineri spirat inusta meo ».

21. *Quidquid ero*, frequens et solennis formula. Propert. I, 19, 11: « Illic, quidquid ero, semper tua dicar imago ». Ovid. in Ib. 145: « Quidquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris ».

23. Meibomius et Gorallus ediderunt, *propter te molle beate.* — *Exemplum jussi* cod. Voss. *beatus*

Unus Mæcenas teque ego propter eram.
Arbiter ipse fui : volui quod, contigit esse;
Pectus eram vere pectoris ipse tui.
Vive diu, mi care senex; pete sidera sero :
Est opus hoc terris; te quoque velle decet.
Et tibi succrescant juvenes bis Cæsare digni,
Et tradant porro Cæsaris usque genus.
Sit secura tibi quum primum Livia conjux,
Expleat amissi munera rupta gener.

Leid. Optimum mihi videtur, quod Salmasius suo libro adscripserat : « Exemplum vixi te propter molle beati ».

25. *Arbiter ipse sui* ed. Junt. *tui* Heins. et Salmas.— *Voluit quod contigit esse,* ed. Ven. et Junt. Sed præfero vulgatam. Ipse arbitratu meo eligere potui, quos vellem, honores, et quod volui, consequutus sum.

27. *Vive diu.* Simile illud Tibulli, I, 6, 63 : « Vive diu, mi dulcis anus ».—*Pete sidera sero.* Ovid. Trist. I, 1 : « Optavi peteres cælestia sidera tarde ».

28. *Te quoque velle decet*, sic Hor. Carm. I, 2, 50 : « Hic ames dici pater atque princeps ».

29. *Et tibi succrescant.* Metaphora a pullis arborum, earum stipitibus adnascentium : unde *soboles.* Ed. — *Juvenes bis Cæsare digni*, C. et L. Cæsares, Agrippæ filii, ab Augusto adoptati. *Bis digni* Cæsare, tam sanguinis ratione, quam virtutum similitudine, ut explicavit Noris. ad Cenotaph. Pis. pag. 100. Similiter Ovid. Trist. IV, 2, 9 : « Et qui Cæsareo juvenes sub nomine crescunt, etc. », ubi eosdem intelligit.

30. *Et tradant* hoc loco vult Scaliger, ut persistat in metaphora, a stolonibus sumpta ; nam porro trudi dicuntur gemmæ arborum quum incipiunt exsistere e cortice. Ed. — Sed *tradant* probabilius est, ut adludat ad ritum lampada tradendi, quem significat Lucretius in libro II, vs. 77 : « Inque brevi spatio mutantur sæcla animantum, Et quasi cursores vitai lampada tradunt ». — Similiter *tradere porro genus* Cæsaris, est ejus stirpem ad posteros propagare, quam patres patribus tradunt, veluti de manu in manum. Notum est *porro* adverbium quoque ordinis esse et eamdem vim habere ac *postea.* Ed.

31. Sic cod. Leid. et Ald. Pith. Scalig. *quam primum* cod. Helmst. quod melius. Quædam veteres edd. *Et tibi securo quod primum.* Meibomius edidit *Et secura tibi quum primum.*—*Sit secura*, sc. de stirpe tua, per Tiberium etiam propaganda, ut recte interpretatur Gorallus : nam in sequenti versu *gener* Tiberius intelligendus, qui mortuo Agrippa Juliam duxerat.

32. *Amissi* intelligo Agrippæ vel Drusi, cujus *munera rupta* vel abrupta morte dicuntur, h. e. res gestæ, munia et negotia, quibus Augustum adjuvit. Meibomius tamen et Gorallus ediderunt *rapta*, idque agnoscit cod. Helmst.

Quum Deus in terris Divis insignis avitis,
Te Venus in patrio collocet alma sinu ».

33. Distinguendum est: *Quum*, *Deus in terris Divis insignis avitis*, *Te Venus;* malim tamen *Tum*. — *Tum* quoque dedit Gorallus, et ait sic reposuisse pro *Quum*, quod carebat sensu. Augustus etiamnum in terris, *Deus* vocabatur ab adulatoribus omnis generis, non Græcis tantum, sed et Romanis. Horatius quum alibi, tum Epist. II, 1, 15: « Præsenti tibi maturos largimur honores, Jurandasque tuum per nomen ponimus aras ». Aut potius *numen*, ut habent nonnulli ant. cod. Ed. — *Divis ins. av.*, qui majoribus ortus es in Deos receptis; ut Jul. Cæsar apud Sueton. cap. 6, « paternum genus cum Diis immortalibus conjunctum » dixit, et Horat. Carm. IV, 5, 1, de Augusto: « Divis orte bonis ». Inde *in patrio sinu* Augustum collocari optat, ubi tamen cod. Leid. legit *in proprio collocet ipsa sinu*. Venus, quæ alias illustres viros recipere in cælum dicitur (vid. Eleg. prior. v. 130), in Augusto nepote recipiendo singulari matris officio fungitur. — Et tali sermone ad Venerem Jupiter utitur apud Virg. Æn. I, 289: « Hunc tu olim cælo, spoliis Orientis onustum, Accipies secura ». Ed.

IV.

ASINII CORNELII GALLI

ELEGIA

ET

EPIGRAMMATA TRIA.

NON fuit Arsacidum tanti expugnare Seleucen,

ASINII. Putat *Asinium* esse prænomen, deceptus corrupta lectione vitæ Virgilii: « Caium Asinium Cornelium Gallum oratorem clarum et poetam non mediocrem miro amore dilexit ». Distingue: « Caium Asinium oratorem clarum, et Cornelium Gallum, poetam non mediocrem ». SCALIGER. Sed Asinium Gallum etiam nominant quædam exemplaria Servii ad Virg. Ecl. X, 1; et quum C. Asinius, Pollionis filius, æque ac Cornelius, cognomine Gallus diceretur, de quo vid. Tacit. Ann. I, 12, utrumque facile confuderunt inconsulti Grammatici, e quibus et hujus Elegiæ auctor videtur esse.

1. *Non fuit Arsacidum*. Quam fuerit auctor hujus carminis rerum veterum imperitus, nihil æque probaverit, ut versus primus. Legerat initio epistolæ cujusdam M. Cœlii ad M. Ciceronem hæc verba: « Tanti non fuit Arsacen capere, Seleuciam expugnare, ut earum rerum, quæ hic gestæ sunt, spectaculo careres ». Hæc verba quum legisset bellus hic poeta, carmen suum ita est exorsus: « Non fuit Arsacidum, etc. » Impudenter sane et ridicule: nam hoc scribit, tamquam Cœlius dicat, captum Arsacen a Romano exercitu. Atqui hoc dicit Cœlius, quia Parthi imminebant finibus provinciæ Ciceronis, ne si Parthos quidem cum rege eorum cepisset, tanti hanc victoriam fore, ut careret spectaculo illo. At Pseudogallus et victum putat, et, quod insaniam auget, non a Cicerone, sed a Ventidio. Deinde Seleuciam Arsacidum vocat. Seleucia erat in finibus imperii Romani, neque Parthis parebat. SCALIGER. Nihil hic ridiculum video. Non victum jam putat Parthorum regem Pseudogallus, sed totum bellum contra Parthos susceptum, etiamsi id victoria Parthorum, expugnatio Seleuciæ, et signorum Romanorum restitutio consequatur, tanti non putat, ut propterea necesse sit, puellam suam sui absentis desiderio languere. Sen-

Italaque ultori signa referre Jovi;
Ut desiderio nostri curaque Lycoris
Heu! jaceat menses pæne sepulta novem.
Nec tantum morbus, quantum gravat ira parentis:

tentia est impatientis et nugantis amatoris, qui ipsam victoriam Romanorum levem putat, præ valetudine puellæ suæ, plane ut Propertius, potitus amica, scribit, Eleg. II, 14, 23: « Hæc mihi devictis potior victoria Parthis, Hæc spolia, hæc reges, hæc mihi currus erunt ». Sententia Cœlii, ad Ciceronem scribentis, proverbium sapit, quod usurpare, si forte succurrebat, quid vetabat poetam scholasticum? Potuit eamdem sententiam e Propertio haurire, qui plane ita loquutus est, Eleg. III, 12, 3: « Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi, Ne faceres Galla multa rogante tua ». Item Eleg. IV, 3, 63: « Ne precor adscensis tanti sit gloria Bactris ». Denique si Seleucia Parthis non paruit, qui eam Cœlius potuit a Romanis expugnandam dicere? Intelligenda vero est Seleucia ad Tigrim, vel Babylonia, regia Parthorum. Confundere hanc Scaliger videtur cum Seleucia Pieria. —*Arsacidum.* Arsacidæ sunt Parthorum reges; Seleucidæ Macedones, qui Seleuciam condiderunt: confundit Macedones cum Parthis. Scaliger. Hoc non video. Seleucen *Arsacidum* vocat poeta, quia Seleuciam a Macedonibus conditam tum tenebant Parthi. Et sic *Seleuciam Parthorum* vocat Plinius, lib. X, c. 48. —*Tanti expugnare Seleucen.* Niphates a Ventidio quidem ultra Seleuciam fugatus. Virgilius: *pulsumque Niphaten.* Strabo. — Sed non propterea Seleucia oppugnata. Scaliger. Neque eam revera oppugnatam, dicit poeta, sed potius, tanti non fuisse, velle eam expugnare. —*Seleucen.* Σελεύκην pro Σελεύκειαν, miro metaplasmo, ut si Καισάρην pro Καισάρεια, Ἀλεξάνδρην pro Ἀλεξάνδρεια. Barbarismus non ferendus. Scal. At fortasse poetæ licebat per analogiam sic mutare nomen. Seleuce a Σέλευκος, ut Sebaste, urbs Ponti, a Σέβαστος, unde et alia Sebastia vocata. Nec rara in nominibus propriis duplex terminatio. Calliope dicitur et Calliopea, Cassiope et Cassiopea, Persephone et Περσεφονείη · et in nominibus regionum Græca terminatio in *e* frequens est, ut *Thrace* pro Thracia apud Horat. Carm. II, 16, 5; *Phœnice* pro Phœnicia, et *Messene* pro Messenia. Ed.

2. *Signa referre.* Sic Propert. III, 5, 48: « Vos quibus arma Grata magis, Crassi signa referte domum ». Ed.

4. *Pæne sepulta*, h. e. obruta, oppressa, exanimata. Sic Ovidius, Heroid. X, 76: « Femina perjuri fraude sepulta viri ». Et adfine est, quod Tibullus dicit, El. II, 6, 51, « Tunc morior curis », et Propert. I, 10, 5, « Quum te complexa morientem, Galle, puella Vidimus ». Cf. quæ diximus ad Sulpic. Sat. v. 14.

5. *Quantum gravat ira parentis.* Cytherida, quam ficto nomine Lycorida vocavit Gallus, jam victo Pompeio in lectica circumferebat Antonius. Cicero X ad Attic. Quin etiam ante bellum civile ea erat in contubernio Volumnii. Cicero Tre-

Sic premitur geminis una puella malis.
Æqua tamen matris caussa est: cupit illa paternam
Impleat ut pulchra filia prole domum.
Quid, quod lena meos avertere tentat amores,
Portat et occulto grandia dona sinu?. .
Et juvenem laudat, qui munera misit, ab alta
Indole.......................
Candida quod nulla lanugine vestiat ora,
Quod fluat ex toto vertice flava coma,
Quod citharæ cantusque sciens; deinde horrida bella

batio. Quomodo ergo videtur fuisse sub cura matris, quo tempore Niphates pulsus a Veutidio? hoc est, annis XV plns minns post ea tempora? Deinde liberta Volumnii fuit: ergo sub enra matris servæ esse non potnit. Scal. Quid si de Cytheride ista non eogitavit poeta, sed aliam intellexit alius Galli amasiam, illius forte, eujus amores describit Propertius, lib. I, Eleg. 10, ut multa alia ex Propertio hausit? Et si intellexit Cytheridem, credere par est, ineuriosum temporum et eonditionis ejus fuisse scholasticum poetam, quem auctorem hujus Elegiæ esse suspicor.

8. *Impleat ut pulchra.* Ingenuæ matres filiabus nuptias et conditiones quærant. At mulieri libertinæ qui potuit hoc faeere mater sna? Scal. Sed incertum est, an de Cytheride liberta loquatur auctor.

9. *Quid, quod lena meos avertere.* Serviliter hæc ex Tibullo, Propertio et Ovidio imitata. Scalig. Sed hic mos est seholastieornm poetarnm.

10. *Grandia dona sinu.* Quomodo lena aggredi muneribus eam potest, quam pæne novem menses in lecto mortuam facit, ant morbo depositam ex desiderio? Scalig. At vero hoc ipsum, quod eam lena aggrediebatur mnueribus, quod ejus animum sollieitare, amorem eonvellere tentabat, eam curis ægram et morientem faeere poterat. Præterea non eaussas hie ægritudinis poeta, sed meras suas suspiciones narrat.

14. *Quod fluat ex toto vertice.* Si coma fluit ex vertiee, ergo φαλακρεῦται. Nam non aliter quam defluvium capillorum intelligas. Scal. At vero Tibull. III, 4, 27, de Apolline, « Intonsi crines longa cervice fluebant », et Propert. II, 3, 13; « comæ per lævia colla fluentes ». — Et Avienus, Descript. Orb. Terr. v. 1310, de Indis: « efflua semper His coma, liventes imitantur crine hyacinthos ». Ed. — Neque video, cur, si addatur *ex vertice*, defluvium capillorum intelligendum sit.

15. *Quod citharæ cantusque sciens.* Citharizandi studinm ne in mnliere quidem laudavit Sallustius. Neque enim ejnsmodi artibus exercebat se juventus Romana, sed eampo aprieo, et pulvere et sole, nneta palæstra, et illis omnibus, quæ narrat Horatius in oda ad Lydiam. Scal. Equidem juvenes Romanos palæstra inprimis, equitando et eampo exereitatos esse, ex Horatio et Propertio

Atque ingrata notat tempora militiæ.
Me quoque jam canis narrat splendere capillis,
Et quod ..... vulnere tardus eam.
Multa quoque adfingit, mentitur et omnia; fluxa
Quam vereor ne sit nostra puella fide.
Femina natura varium et mutabile semper:
Diligat, ambiguum est, oderit anne magis.
Nil adeo medium ....
Et tantum constans in levitate sua est.
Filius Europæ Minos, seu poneret arcum,

patet; sed molliores etiam et puellarum amatores fuisse, qui cantu, tibiis et cithara delectarentur, ex iisdem discimus. Quum Nero Imperator adeo citharœdum publice ageret, et cantu placere populo quam maxime vellet, quis neget Romanorum priscos mores in tantum mutatos, ut auctor horum, vel posteriorum etiam, temporum juvenem cantus et citharæ scientem laudare posset. Immo Horatius, dum Serm. II, 3, 104 eos reprehendit, qui multas citharas emptas in unum comportent, nullo tamen citharæ studio dediti, hoc studium non insitatum Romæ tum fuisse significat. — Quod si juvenem Romanum alium desideras, qui a citharæ studio cantuque laudetur, adi Saleii Bassi carmen ad Pisonem, quod hac edit. mihi inserere animus est, et videbis eum virum, v. 154, ita laudari: « Sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas, Dulcis Apollinea sequitur testudine cantus, etc. » De Tito Imperatore testatur Suetonius, cap. 3: « Ne musicæ quidem rudis, ut qui cantaret et psalleret jucunde scienterque ». Hoc est idem quod Pseudo-Gallus ait: « Quod citharæ cantusque sciens ». Nam *psallere* est canere ad fidium sonos. Ed. — Quid, si hic poeta non tam musicæ, quam poeseos studiosum indicare voluit? quo sensu Horatius, Carm. I, 31, 20, optat sibi senectutem dari non turpem, *nec cithara carentem*.

17. *Splendere capillis.* Splendendi verbum non idoneum huic significationi, ut neque Græce dicitur πολιαῖς στίλβειν. Nam caput calvorum tantum στιλπνόν. Scal. Quantopere hic fallatur Scaliger, doceat versus Martialis, IV, 78, 2, « Et facies multo splendeat alba pilo », et Senec. in Hippol. 246: « Per has senectæ splendidas supplex comas Precor ». Adfine est, quod quidam codices Propertii habent, lib. II, 18, 5: « Quid si jam canis ætas mea candeat annis »; et *candentes canos* dicit Virgil. Ciris, v. 320, quod sane idem est ac splendentes.

21. *Femina natura varium.* Versus Virgilii est Æn. IV, 569: cui similis Calpurnii, Ecl. III, 10, et Propertii, II, 9, 31 seqq.

24. *Et tantum constans.* Versus Ovidii de Fortuna, Trist. V, 8, 18. — Huc adduci potest lepidissima fictio Simonidis, in Veteribus Fragmentis, qui mulierem e mari or-

Sive comam premeret casside, pulcher erat.
Non prius e muris pugnantem regia virgo
Viderat, ac dirus crimina suasit Amor.
Acer Amor Deus est; fetas domat ille leænas:
Excuset facinus vindice Scylla Deo.
At, pius æternam servet ni Jupiter Urbem,
Scilicet occiderat virginis illa dolo.
Sic pereat, patrias quicumque insanus in arces
Mente ruit, pœnas ut scelerata dedit.

tam producit ut instabilem : Τὴν δ' ἐκ θαλάσσης ἐν φρέσιν γ' ἤδη νόει· Αὐτὴ φυὴν δ', ὡς πόντος, ἀλλοίην ἔχει. Durius de feminis pronuntiat Liv. XXXIV, 2, et Tac. passim. Ed.

26. *Sive comam premeret.* Totum hoc sumptum ab Ovidio, qui Met. VIII, 24, de Scylla : « hac judice Minos, Seu caput abdiderat cristata casside pennis, In galea formosus erat, etc. »

27. *Non prius e muris.* Brennum et Tarpeiam Propertii imitatur. Sed τὴν ποιητικὴν κακουργεῖ, ut quidam olim τὴν λυρικήν. Scal. De Brenno error est Scaligeri, et Tatium dicere volebat, cui Tarpeia Capitolium prodidit, et de quo cecinit Propertius, lib IV, Eleg. 4, 7 seqq. quamquam hic et Brenni meminit, sed alia de caussa, III, 13, 51. Etiam in hoc errat Scaliger, quod hunc versum Galli agere de Tarpeia putat. Nam de Scylla, patrem patriamque Minoi prodente, sermo est, cujus tamen fabula persimilis Tarpeiæ est. Ovidium potius et Virgilium in Ciri, de Scylla agentes, hoc loco imitatus est Pseudogallus.

29. *Acer Amor Deus est.* Ineptus versiculus. Scalig. Sic ineptus habendus erit etiam Virgilius, qui eamdem cantilenam vesano Scyllæ amori describendo præmisit, Ciris v. 135 : « Ille etiam Pœnos domitare leones, Et validas docuit vires mansuescere tigris, etc. » — *Fetas domat ille leænas.* Sed *fetæ* leænæ aliud curant, quam amorem; satis occupatæ sunt alendis catulis. Omne animal tempus habet finitum huic rei. Non potest dici, quam inepte fetas leænas amore domari dixerit. Scal. In alio auctore *fetas* pro vitiosa lectione habere, quam ita exagitare, maluisset Scaliger. Quid enim, si *Pœnas* legere malimus? quod ipsum in Ciris allegato loco est, e quo hæc expressa videntur : quid, si etiam *sævas*. Et nihil vetat *fetas* pro iis accipere, quæ feturæ habiles et maturæ sunt, quemadmodum *maritæ* pro sponsis, et *matres* subinde dicuntur, non quæ pepererunt, sed quæ pariturae sunt : et *gener* super Eleg. I, 31, dicebatur, non qui est, sed qui esse vult.

31. *At, pius æternam.* Post Scyllam aliud perfidiæ et doli muliebris exemplum profert Tarpeiam, arcis Romanæ proditricem, a Propertio integro carmine, IV, 4, celebratam, e quo poeta plurima compilare solet auctor.

33. *Sic pereat, patrias :* distichon illepidum. Scal. Mihi non videtur.

Obruta virgo jacet; servat quoque nomina turris
 Illa, triumphator Jupiter unde tonat.
Quid loquor, ah! demens? roseæ nec flore juventæ,
 Nec capitur missis lux mea muneribus.
Non patris imperium, matris non aspera jussa
 Sollicitant: firmo pectore durat Amor.
Non secus Ægæo moles objecta fragori;
 Illa manet, frustra ventus et unda furit.
Nec minus, ut vires paullatim colligit ignis,
 Purior accenso fomite flamma micat.
Illa meos reditus spe non præsumit inani,
 Et fovet in tacito gaudia certa sinu.
Me vocat absentem, me me suspirat in unum,
 Et de me noctes cogitat atque dies.
Quin etiam argento, puroque intexitur auro
 Altera jam castris parta lacerna meis.

35. *Servat quoque nomina turris.* Ineptissime præter Veterum consuetudinem arcem Tarpeiam *turrim* vocat, ex idiotismo Italico et Gallico. Scal. Vid. quæ monemus in Excursu ad hanc Elegiam.

37. *Roseæ nec flore juventæ. Roseæ* epitheton hic locum non habet. Scal.

39. *Matris non aspera jussa.* Jam diximus matrem illam, quæ servitutem serviret, non habuisse jus in filiam, quæ libertinæ conditionis fuerit. Præterea ætas paullo grandior Cytheridis eam ab hac custodia matris dura satis vindicabat. Scal. Neque vero necesse est, eamdem Cytheridem vel Lycoridem hic intelligere, quam Gallus Forojuliensis amabat. Lycoridis nomen satis vulgatum, atque aliis etiam puellis a poetis inditum est, ut ab Horatio, Carm. I, 33, 5.

41. *Non secus Ægæo.* Dicendum erat : « Non secus ac moles Ægæo objecta fragori ». Aliter hiat sententia. Scal.

42. *Illa manet.* Dan. Heinsius ad Sil. Ital. I, 468, legendum censet *Firma manet.* Sed *Illa* defendi videtur loco Virgilii, quem ipsum auctor respexisse videtur, Æn. X, 696 : « Ille velut rupes, vastum quæ prodit in æquor, Obvia ventorum furiis... Vim cunctam atque minas perfert cœlique marisque, Ipsa immota manet ». Ed.

43. *Nec minus, ut vires :* et hic quoque dicendum erat : « Nec minus ac vires paulatim ut colligit ignis ». Aliter et hic quoque hiulca erat sententia. Scal. Librarii error hæc facile turbavit.

49. *Puro intexitur auro.* Lacernæ illæ ex mero lanificio sine ulla auri accessione.

Illic bellantum juvenum studiosa figuras,
　　Atque audita levi prælia pingit acu.
Pingit et Euphratis currentes mollius undas,
　　Victricesque aquilas sub duce Ventidio;
Qui nunc Crassorum manes, direptaque signa
　　Vindicat, Augusti Cæsaris auspiciis.
Parthe tumens animis, et nostra clade superbe,
　　Hic quoque, Romano stratus ab hoste, jaces.
At mea cum primis victrix apparet imago;

50. *Altera jam castris.* Propertius, IV, 3, 18: « Texitur hæc castris quarta lacerna tuis ». Scal. Idem Propert. eadem Eleg. v. 33: « Noctibus hibernis castrensia pensa laboro, Et Tyria in radios vellera ducta suos ».

52. *Atque audita levi.* Ex Penelope Ovidiana. Scal.

55. *Qui nunc Crassorum.* Ex Propertio, II, 34, 63: « Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma ». — *Direptaque signa.* Immo *ereptaque signa.* Nam *direpta* quis ferat? Scal. Scriptum puto *derepta*, ut *arma militibus derepta* dicit Horat. III, 5, 20.

56. *Vindicat Augusti.* Mira imperitia temporum. C. Octavianus, Augustus appellatus VII consulatu suo, anno Augusti vicesimo, auctore Censorino; Corn. autem Gallus mortem sibi conscivit anno Augusteo quarto. Unde igitur divinare potuerit nomen Augusti, quod impositum est XVI annis post Galli cædem? Error Eusebii, qui putat primo anno Actiaco Augustum appellatum. Caussa erroris, quia primus annus Actiacus est primus annus Augusteus. Hinc putavit eo anno Augusti nomen datum. At anni Actiaci sero tandem Augustei vocati, et προληπτικῶς hoc factum. Scal. Error hic facile admitti potuit ab imprudente et serioris ætatis scholastico poeta, cui sufficiebat Galli, celebris poetæ, amores cum Lycoride, compilatis Veterum libris, descripsisse. Etsi de tempore, quo cognomen Augusti Senatus consulto datum, constat, nemo tamen præstabit, tum primum id inventum, neque ante a quoquam privatim usurpatum esse. Solent talia sæpe hominum sermonibus agitari ante, quam senatusconsulto firmentur. Propertius in Elegiis quibusdam Augusti nomen usurpavit, de quibus vix certo affirmari potest, scriptas esse post illud senatusconsultum. Trajano Optimi cognomen, historici tradunt, datum esse anno imperii ejus nono, post Armeniam devictam; et tamen hujus meminit Plinius in Panegyrico, qui tertio imperii ejus anno dictus est.

57. *Parthe tumens.* Ovidius: « Parthe dabis pœnas ». Scal. Idem Fast. VI, 467: « Parthe, quid exsultas? Dixit Dea, signa remittes, etc. »

59. *At mea cum primis.* Hæc præsertim mirum in modum inepta esse et nihil Romanum spirare Scaligero videntur. Ed.

Exigit hoc pietas et bene fidus amor.
Ipsa quoque exprimitur dejecto pallida vultu;
Stat lacrymans; et me pæne vocare putes.
Quam bene, quum ferrum nondum prodiret in auras,
Omnia pacis erant, et sua cuique satis.
Dives erat, si quis, parvi possessor agelli;
Severat ille prius, deinde coquebat olus.
Non locus invidiæ, quamvis vicinus abunde
Et pecus, et messes, mustaque haberet ager.
Liber Amor, nulli mulier suspecta marito;
Casta satis, norat si qua negare palam.
Tunc Venus .... spirabat dulciter ignes,
Spiculaque in silvis tuta vibrabat Amor.
Cur mihi non illis nasci mea vita diebus
Contigit? invidit quis bona tanta Deus?
O niveas luces! o tempora dulcia! vere
Aurea Saturni sæcla fuere senis.
Nunc ferrum erupit, rabiesque asperrima ferri,
Nunc furor et cædes ....
Forsan et hic noster tinget cruor hospitis arma,

61. *Ipsa quoque exprimitur.* Verbum *exprimitur* ineptissime ἀντὶ τοῦ φαντάζεται. Scal.

63. *Quam bene, quum ferrum,* etc. Ovidius, Metam. I, 141 : « Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum Prodierat : prodit bellum, quod pugnat utroque ».

65. *Parvi possessor agelli.* In agello serit olus. At in horto volebat dicere. Nam agellus ad aratorem pertinet. Scal. Nimis morosus est Scaliger. An, qui parvi possessor agelli est, et sibi olus coquit, id necesse est in agro severit, non in horto? At vero, qui ab auctore Moreti inducitur, Simulus *exigui cultor agri* dicitur, et tamen olera, e quibus moretum conficeret, ex hortulo petebat.

67. *Quamvis vicinus abunde.* Ovidius, Art. Am. I, 350 : « Vicinumque pecus grandius uber habet ». Scal. Conferendus hic locus Prop. III, 13, 25 : « Felix agrestum quondam pacata juventus, Divitiæ quorum messis et arbor erat, etc. »

72. *In silvis tuta vibrabat Amor.* Tibullus, II, 1, 69, de Cupidine : « Illic indocto primum se exercuit arcu, etc. »

73. *Cur mihi non illis nasci.* Similiter Cato in Diris, v. 179 : « Infelix ego, non illo qui tempore natus, Quo facilis natura fuit! »

79. *Forsan et hic noster.* Tibull. I,

Aut cadet unanimis frater ab ense meo.
Quid mihi cum bello? pugnent, quibus inclyta regna,
Aut quibus . . . . . Marte petuntur opes.
Nos alias pugnas, aliis pugnemus in armis:
Inflet Amor lituos, et fera signa canat.
Fortis ad occasum ui pugnem Solis ab ortu,
Detrahat ignavo protinus arma Venus.
Sin cadat ex votis, et res bene gesta feratur,
Cesserit emerito cara puella mihi.
Quam . . . . sinu, cui basia jungam,
Dum lateri vires, nec sit amare pudor.
Tunc me vina juvent nardo confusa rosisque,

10, 13: « et jam quis forsitan hostis Hæsura in oostro tela gerit latere ».

80. *Aut cadet unanimis frater.* Fratrem frater occidit, et hospes hospitem in bellis civilibus. At quare hoc metuit, bellum gerens cum Partho? An quia quidam milites Crassi consenuerunt socerorum Medorum in arvis, ut ait Horatius? Nugæ. SCAL. Bellum civile conjunctum fuisse Parthico Antonii, auctor carmiois mox proferendi de Mævio affirmat. Certe, diuturnam non fore Cæsaris et Antonii gratiam, tum cuilibet facile fuit suspicari. Ante hunc versum in Pithœi editione deficientium plurium versuum nota et spatium est, quo loco multa de bello civili ab auctore dici potuisse, quæ perieruot, quis neget? Gallum aliquem, Propertii propinquum, ex Antoniaois partibus bello Perusino occisum esse memorat Propert. I, 21: qoo facto sane evenit, quod hic Gallus timet; vel scholasticus poeta, hujus Elegiæ auctor, hoc ex Propertio repetiit.

83. *Aliis pugnemus in armis.* Quibus armis et pugnis fungantur Veneri militantes, declarant Tibull. I, 1, 73: « Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes Non pudet, et rixas inseruisse juvat. Hic ego dux milesque bonus ». Horat. Carm. III, 26: « Hic arma defunctumque bello Barbitou hic paries habebit... Hic ponite lucida Funalia et vectes, etc. »

84. *Inflet Amor lituos.* Inflandi verbum magis convenerit tibiæ, et calamis, quam tubæ aut lituo. « Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras. Jam calamos inflare leves ». Iude φυσηταὶ tibicines, non autem tubicines. SCAL. Et tamen Propertius, III, 3, 42: « Nil tibi sit raoco prætoria classica cornu Flare »; et Virg. Georg. II, 539: « Necdum etiam audierant inflari classica ». — *Et fera signa canat.* Gallus dixisset *canant*. SCAL.

85. *Fortis ad occasum.* Non possum legere sine risu. SCAL. Sint hæc digna risu, oum propterea indigna Gallo; quem præ amore insanientem describit Virg. Ecl. X. Immo

Sertaque et unguentis sordida facta coma.
Nec dominæ pudeat gremio captare soporem,
Surgere nec media jam veniente die.
Si quis amore vacans irriserit, imprecor illi,
Ardeat, et quid sit, discat, amare senex.
Servus et ut nostros incassum laudet amores,
Et sapit hic, dicat, saucius igne novo.
Heu male (crede mihi) si quis sua gaudia differt,
Dum loquimur, nox est, mortis et umbra subit.

ipsi hic acclamemus Gallo, sive verus auctor sit, sive grammaticus ejus nomine abutens, quod Apollo apud Virgilium, l. c. « Galle, quid insanis? »

93. *Nec dominæ pudeat.* Expressa videntur e Tibullo, I, 1, 43, « satis est requiescere lecto... Et dominam tenero continuisse sinu ».

96. *Discat amare senex.* Sic Tibullus cecinit, I, 2, 89: « Vidi ego qui juvenum miseros lusisset amores, Post, Veneris vinclis subdere colla senem. Ed.

99. *Si quis sua gaudia differt.* Martialis: « quid gaudia differs? Ipse jubet mortis te meminisse Deus ». Scalig.

100. *Nox est, mortis et.* Tibullus, I, 1, 70: « Interea dum fata sinunt, jungamus amores: Jam veniet tenebris Mors adoperta caput». — Videantur quoque extremi versus in Copa, et nostras adnotationes, ad tom. I, parte II hujus edit. Cæterum et illic multo plures hujus generis adhortationes exscribere potuimus; sed nunc libet de verbo *Vivite* notare *Vivas* et *Vivatis* formulas esse faustæ acclamationis, qua nihil sibi gratius fieri posse putabant superstites. Vid. Lips. lib. I, Saturn. pag. 57; Barth. ad Stat. Theb. IX, 894. Sic *Vivatis* in annulo nuptiali duorum conjugum apud Sponium, *Recherches des Antiq.* Diss. XI, p. 179, et sæpe Græco vocabulo ζήσητι, *vivatis.* Quæ verba notat Servius ad Virgil. Æn. III, 493, melius optativo efferri quam imperativo, quod non semper observavisse Veteres, saltem probat adlegatus Copæ locus: « Vivite, ait, venio ». Ed.

EXCURSUS

AD CORNELII GALLI ELEGIAM, v. 35.

Obruta virgo jacet; servat quoque nomina turris
Illa, triumphator Jupiter unde tonat.

A Tarpeia virgine, cujus dolum et proditionem hactenus detestatus est poeta, arcem Tarpeiam dicit nomen accepisse, ubi Jupiter Capitolinus, fulmen mittentis habitu, colebatur, qui propterea e templo Capitolino, tamquam ex arce sua, fulminare et tonare dicitur. Propertius, lib. IV, 1, 7:

Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat.

Papin. Statius, Theb. VIII, 409:

Nec fragor Ausoniæ tantus, quum Jupiter omni
Arce tonat.

Et Claudianus, Laud. Stil. lib. III, 167, de Roma:

.... Huic fulmina vibrat
Jupiter, hanc tota Tritonia Gorgone velat.

Etsi tonare hinc dicebatur Jupiter Capitolinus, ab eo tamen diversus erat *Jupiter Tonans*, cui singularem ædem Cæsar Augustus in clivo Capitolino dedicavit teste Suetonio, Aug. c. 29 et 91, quemque sæpe a poetis cum Jove Capitolino et Fulminante confundi dicit Just. Rycquius, de Capit. Rom. c. 20. *Triumphator* hoc loco dicitur Jupiter Capitolinus, quia victorias et triumphos largiri Romanis, augere et conservare imperium credebatur, cui etiam triumphantes vota solvere, et dona triumphalia in ejus templo condi solebant. Neque enim id nomen pro Jove *Imperatore* positum existimo, cujus signum dedicatum fuisse in Capitolio inter cellam Jovis ac Minervæ memorat Livius, lib. VI, c. 29, et

cui supplicasse duces ad exercitum proficiscentes, ex Plinii Paneg. cap. 5 colligitur. In præsenti nobis maxime morandum in appellatione *turris* est, quam Scaliger putat ab auctore ineptissime tributam arci Tarpeiæ esse. Clarissimum hoc argumentum esset carminis hujus ab auctore ætatis recentissimæ compositi, si certo constaret, quod Scaliger affirmat, significationem eam *turris* ex idiotismo Italico et Gallico esse. Sed quamquam hæc singularis et solitaria dictio Poetæ, quales etiam apud alios inveniuntur, videri potest, non tamen eam ab omni usu Veterum abhorrere arbitror (1). *Turrium* quidem in Capitolio meminit Cicero, orat. III in Catil. cap. 8; sed in hoc Galli loco id offendit maxime, quod totam arcem, quæ plures turres vel propugnacula muri habet, turrim vocavit. Hoc tamen ita licuisse poetæ puto, ut aliis *arcem* et *arces* promiscue dicere licuit. Generatim poetæ *arces* τὰ ἄκρα vocant et loca editiora. *Ætnæas arces* pro monte Ætna Gratius dixit Cyneg. v. 524, *Cithæronis arces* Propert. III, 15, 25. Quidni igitur et *turres* potuerint τὰ ἄκρα. Sic *Œbaliæ* h. e. Tarenti *turres* nominat Virg. G. IV, 125, ut Horatius *arces* Carm. II, 6, 22. Si turres vocari posse arcem concedis, quod muri ejus plures turres vel propugnacula habent, nec vero *turrim* singulari numero posse; cogita et *arcem* sæpe dici ædificium sublime et magnum, in arce collocatum, et *arces* adeo plurali numero pro arce, quæ plura magna ædificia complectatur, nihilominus tamen *arcem* unam, vel primariam partem arcis pro tota arce haud raro nominari. Unde enallage numeri

(1) Certe valde similis est dictio, qua utitur Juvenalis, Sat. VI, 290: « proximus urbi Hannibal, et stantes Collina in turre mariti ». Hic nempe Collina turris, ut scholiastes vetus etiam explicat, dici videtur mons Collinus, muro et turre munitus, in qua starent propugnatores. E Juvenalis loco idem petiisse videtur Claudianus, de Bello Gildon. v. 86: « Muro sustinui Martem, noctesque cruentas Collina pro turre tuli ». Si Collina appellari turris a Juvenale potuit, certe etiam Tarpeia a Gallo potuit, cujus eadem est ratio. Et *turrium* quoque in Capitolio meminit Cicero, orat. III, in Catil. cap. 8; *Romanas* item *turres* celebrat Propert. III, 20, 15: « Romanæ turres, et vos valeatis amici ». Ed.

singularis pro plurali in *turri* Tarpeia nominanda concedi nostro poetæ potest. Sic *sacras arces* quum plurali numero Horatius dicit Carm. I, 2, 3, haud dubie respicit ad plura Deorum templa in Capitolio ædificata, quæ ipsa sæpe arces vocantur. *Arcem Monetæ* pro templo a Sulpicia nominari supra vidimus, et ipsum templum Jovis Capitolini, de quo hic agit Poeta, quum primaria et editissima domus arcis esset, frequenter Veteribus *arx Jovis* vocatur, probante Rycquio, de Capitol. cap. VI. Quod si *arces* et *turres* sæpe permutantur a poetis, quidni etiam licuerit Nostro *turrim* pro arce singulari numero ponere, qua non tam arcem totam, quam templum Capitolinum significat, unde Jovem tonare dicit, ut Statius : *Jupiter omni arce tonat?* Subinde *turres* vocata esse ædificia quælibet sublimia, regia, magna, probat hic locus Horatii, Carm. I, 4, 13:

> Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
> Regumque turres.

Et *turris Mæcenatiana* ab Antiquis, præsertim a Suetonio, in Ner. cap. 38, celebratur, quam *domum* ejus *altam* et *molem propinquam nubibus arduis* dicit Horat. Carm. III, 29, 10, et Epod. IX, 3, et pluribus descripsit Meibomius, in Mæcen. c. 28. Quum vero etiam Capitolini Jovis templum pro ipsius quasi regia et aula haberetur, siquidem Pap. Statius Silv. IV, 3, 161, et Martialis VII, 59, *Tarpeiam Jovis aulam* dicit, nescio equidem cur Pseudogallus idem templum non potuerit turrim vocare. Neque igitur plane verum est, quod Scaliger contendit, *turrim* a Gallo pro ipsa arce seu munimento montis Tarpeii positam esse. Quo sensu certe non nisi recentiores apud Latinos occurrit, et quidem ob recentiorem et barbarum morem castella ædificandi in montibus, quorum primaria pars moles turrita et in medio sita esset. Idiotismum fuisse scriptorum sæculi Longobardici, observat Carolus de Aquino in Lexico militari, apud Cangium in Glossar. Sic antiquus Scholiastes Statii, a Barthio allegatus, diversus tamen ille a Lactantio, ad Theb. II,

252, Larissam arcem Argorum *Turrim* interpretatur, et, qui alii eo sensu hanc vocem usurparint, Barthius ad eumdem locum larga manu adnumerat. Quod si etiam *turrim* hoc sensu usurpasset Gallus, pro Græcismo tamen id verius, quam pro idiotismo linguæ recentis haberi deberet. Græci enim acropoles, castra, castella et oppida munita vocare solent πύργους. De oppidis munitis vel castellis in Hispania, a Tib. Graccho dejectis, hoc vocabulum usurpat Strabo lib. III, p. 163, et clarissime hunc usum probat Theognis, v. 233, ubi bonum virum ostendit insipientis populi arcem et πύργον esse:

Ακρόπολις καὶ πύργος ἐὼν κενεόφρονι δήμῳ
Κύρμ' ὀλίγης τιμῆς ἔμμορεν ἐσθλὸς ἀνήρ.

Huc pertinet Κρόνου τύρσις, quam ad Oceanum et beatorum insulas collocat Pindarus, Olymp. B. pag. 98. Plura in hunc censum dabit Barthius ad Statii l. c. et ad lib. III, 356. Ad Græcorum morem inter Latinos jam Claudianus *turres* pro castellis et munimentis dixit, in IV Cons. Hon. v. 104, idemque Stilichonem *turrim pericli* publici, h. e. præsidium, et propugnaculum rei publicæ nominat, in Ruf. I, 265.

I. EPIGRAMMA SINE TITULO.

OCCURRIS quum mane mihi, ni purior ipsa
 Luce nova exoreris, lux mea, dispeream.
Quod si nocte venis, jam vero ignoscite, Divi,
 Talis ab occiduis Hesperus exit aquis.

1. *Occurrit* vitiose legitur in edit. Pithœi, sed *Occurris* recte Heinsius, ut editum etiam in Scaligeri Opusc. Post. pag. 340. ED.

3. *Quod si nocte venis :* non belle cohærent. SCAL. Meo judicio belle. Et omnino hoc epigramma elegans est, et bono ævo dignum. — *Jam vero ignoscite Divi.* « Pace mihi liceat cælestes dicere vestra : Mortalis visus pulchrior esse Deo », apud Gellium. SCAL. Est hoc epigramma Q. Catuli in Roscium, quod refertur a Cicerone de Nat. Deor. lib. I, cap. 28 : non a Gellio ut Scaliger putat. Hic tamen alios similes versus ejusdem Catuli habet, lib. XIX, cap. 9. — Hos vero huic epigrammati adeo adfines versus desumpsit Q. Catulus ex Græcis Platonis, apud Diog. Laert. in ejus vita, lib. III, cap. 29, ubi Astera puerum exorienti soli comparat : Ἀστέρας εἰσαθρεῖς, Ἀστὴρ ἐμὸς, εἴθε γενοίμην Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω· quos Apul. in Apol. p. 13, sic interpretatur : « Astra vides, utinam fiam, mi sidus, Olympus, Ut multis sic te luminibus videam ». Passim vero amores suos sideribus, et præsertim Lucifero, conferunt poetæ. Hor. Carm. III, 9, 21 : « Quamvis sidere pulchrior Ille est », ubi vid. Torrent. et Burmanni notæ ad Ovid. Am. III, 3, 9; et hinc toties iis *sidereos vultus* tribuunt, de quibus Barth. ad Stat. Theb. V, 613, et Delr. ad Senecæ Œdip. 409. Male autem in versibus Catuli allegatis, Scip. Gentilis ultimum versum sic exhibet : « Mortalis visus pulchrior esse Dea », pro *Deo*, quod Auroræ non convenire existimat. Sed alterum bene vindicat Menag. ad Diog. Laert. lib. II, Segm. 116, p. 128, et ita edidit Aldus in Catalectis. Hoc probari potest quod *Venerem Deum*, *Junonem Deum*, et similia ap. Virg. et alios reperiuntur. Vid. Serv. ad Æneida, VII, 498; Delr. ad Sen. Herc. Fur. pag. 255. Tamen in versu Licinii Calvi quem adfert Servius ad Virg. Æneida, II, 632, *Pollentemque Deum Venerem*, perperam ille et Macrob. Saturn. III, 8, *Deum* pro *Deam* dictum putant, quum *Deum* illic pro *Deorum* positum recte censeat Dousa, lib. I, Explan. Plaut. cap. 21; Vossius de Analog. I, 11, et alii. ED.

4. *Talis ab occiduis.* Hic versus expressus ex hoc contrario Ovidii videtur, ex Pont. II, 5, 50 : « Qualis ab Eois Lucifer exit aquis ». ED.

II. DE DUABUS SORORIBUS

MERETRICULIS EX ILLYRIO, GENTIA * ET CHLOE, QUÆ ROMANA CASTRA CUM MATRE ** LENA SEQUERENTUR.

. . . matris amor deliciumque meum.
Ne vero inter vos odio certate sorores,
Utrius alba magis vel minus atra cutis.
Hoc unum certate, suos magis urat amores,
Altera nonne oculis, altera nonne comis.
Anne coma ex auro flava est tibi, Gentia? an auri
Ex ipsa magis est bractea flava coma?
E Beronicæo detonsum vertice crinem

* *Gentia*, περιέργως affectatum nomen ex illo veteri Illyrici rege Gentio. Scal. *Gentii* nomen non inusitatum fuisse Romanis, probat Apuleius, qui de L. Lucullo iamborum scriptore refert, improbatum eum esse, quod Gentium et Macedonem pueros veris nominibus suis carminibus, ut ille ait, prostituerit.

** *Quæ Romana castra cum matre*. Non est Romanum lenas castra sequi cum mercimonio suo. Nam et Antonio ipsi vitio datum, quod Cytheridem in castra duxisset. Scal. De inscriptione hac epigrammatis dubium est, an ab ipso poeta profecta sit; et in ipso epigrammate nihil occurrit, ex quo intelligas, meretriculas istas Romana castra sequutas esse. Nullum igitur inde probabile argumentum contra auctorem. Nec invitus epigrammata tria cuivis alii, quam Gallo poetæ, concedo, quæ fortasse aliquis recentior ob argumentum lascivius, Gallo et Lycoridi aptum, Elegiæ subjecit. Cæterum morem illum castrorum Romanorum quem hic urget Scaliger, non severe semperque observatum, docere possunt Cæsaris Augusti edicta, de quibus Suet. Aug. cap. 24.

1. *Matris amor deliciumque meum*. Variis modis initium epigrammatis mutili supplere tentat Burmannus sec. Anthol. Lat. lib. III, 172, qui et elegantissimum pronuntiat, nec censuram Scaligeri legisse videtur. Ego tanti non puto in eo laborare. — Sed *Utraque* in pentametro supplendum vix dubitari potest. Ed.

3. *Utrius alba magis*. Tironem esse oportet, qui hæc a veteri poeta profecta esse credat. Scal. — Utraque tamen ex Illyrio, quo refer illud Ovidii, Art. Am. II, 658: « fusca vocetur, Nigrior Illyrica cui pice sanguis erit ». Ed.

Rettulit esuriens Græcus in astra Conon:
Gentia, rapta tibi fiat coma protinus astrum,
Et regat Illyricas certior Ursa rates.
Quum quatit, et caudam Junonius explicat ales,
Mille oculos, gemmas mille decenter habet.
. . . . huc illuc flectat ocellos,
Hinc illinc videas currere mille faces.

9. *Rettulit esuriens Græcus.* Juvenalis est Sat. III, 78: « Græculus esuriens in cælum, jusseris, ibit ». Scal. Et hoc de Conone sumptum est e Catulli Coma Berenices, v. 7 : « Idem me ille Conon cælesti lumine vidit E Beroniceo vertice cæsariem ». De Conone Samio, Mathematico, vid. Is. Vossius ad h. l. Catulli, p. 258; qui monet Κώνων male vocari pro Κόνων, quum Catullus et Callimachus primam corripiant, quod etiam ex hoc loco patet. In glossis autem Philoxeni vitiose scribitur *Canon*, Σάμιος μαθηματικός. Sed recte Vulcanius, in notis, pag. 26, corrigit *Conon*, adducto Virgilii loco, Ecl. III, 40: « In medio duo signa : Conon, et...quis fuit alter? etc. » Ed.

11. *Et regat Illyricas.* Ovid. Trist. IV, 3, 1 : « Magna minorque feræ, quarum regis altera Graias, Altera Sidonias, utraque sicca, rates ».

13. *Mille oculos, gemmas.* Tibullus de Vertumno ad verbum; impudens est fur : « Talis in æthereo felix Vertumnus Olympo Mille habet ornatus, mille decenter habet ». Scal. Tibull. IV, 2, 13.

14. Hic supplet Oudend. *Fusca Chloe geminos*, non ineleganter. Ed.

15. *Currere mille faces.* Tibull. eodem carmine, v. 5 : « Illius ex oculis, quum vult exurere Divos, Accendit geminas lampadas acer Amor ». Et Propertius, II, 3, 14 : « Non oculi, geminæ, sidera nostra, faces ».

III. IN IMAGINEM PUELLÆ.

Subrides si virgo, faces jacularis ocellis,
Et tua nescio quo murmure labra sonant:
Cur non ora mihi jam dudum in verba resolvis?

1. *Subrides.* Manutius scripturam membranæ hic dedit *Sofrides*, quod monstrum vocabuli unusquisque videt ita legendum, ut scripsimus.

V.

INCERTI AUCTORIS

DE

MÆVIO,

QUI TEMPORE BELLI CIVILIS FRATREM IGNARUS INTERFECIT.

VENERAT Eoum quatiens Antonius orbem,
  Et conjuncta suis Parthica bella gerens,
Dotalemque petens Romam Cleopatra Canopo:
  Hinc Capitolino sistra minata Jovi;
Hinc invicta Deo fidebat Cæsare Roma,
  Quæ tunc pæne suo pondere lapsa fuit.
Deserta est tellus; classis contexerat æquor;
  Omnia permixti plena furoris erant.

2. *Parthica bella gerens*, legiones, quibus Parthico bello usus erat. Tale est Plinii, Paneg. c. 12: « Danubius duratus glacie ingentia tergo bella transportat ». Sic Virg. Æn. VIII, 687, de Antonio: « Ægyptum viresque Orientis, et ultima secum Bactra vehit ».

3. *Dotalemque:* fere solenne in hac caussa vocabulum est. Vid. quæ diximus ad Eleg. in obit. Mœcen. v. 54. In indignitate belli, ex Ægypto in Romanos moti, describenda poetæ veluti certare invicem et exscribere solent, quum Romæ et Capitolio Canopum, Jovi Anubin, Tiberi Nilum, Romano duci meretricem reginam, tubis Romanis sistra Ægyptia, tentoriis conopea, ut hic fit, clamant opposita. Vid. Virgil. Æn. VIII, 686 seqq. Propert. III, 9, 31 seqq. Horat. Epod. IX, 11 seq. Ovid. Metam. XV, 826 seq. Lucan. X, 64.

5. *Fidebat Cæsare Roma.* Propert. III, 11, 66: « Vix timeat, salvo Cæsare, Roma Jovem ».

6. *Suo pondere lapsa.* Sic Horat. Epod. XVI, 2, « Suis et ipsa Roma viribus ruit ».

Fratribus, heu! fratres, patribus concurrere natos,
　Impia sors belli, fataque sæva jubent.
Hic generum, socerumque petit; minimeque cruentus
　Qui fuit, hic sparsus sanguine civis erit.
Mævius a castris miles melioribus ausus
　Hostilem saltu præcipitare ratem,
In damnum felix, et victor, ut impius esset
　Nescius, occiso fratre superbus erat.
Dum legit exuvias hostiliaque arma revellit,
　Fraternos vultus oraque mœsta videt.
Quod fuerat virtus, factum est scelus; hæret in hoste
　Miles, et e manibus mittere tela timet.
Ille ferox: « Quid lenta manus nunc denique cesses?
　Justius hoste tibi qui moriatur, adest.
Fraternam res nulla potest defendere cædem;
　Mors tua sola potest: morte levanda tua est.

9. *Fratribus, heu! fratres:* Sic etiam Horat. Carm. I, 35, 33: « Eheu! cicatricum et sceleris pudet, Fratrumque ». Ed.

11. *Hic generum, socerumque.* Pithœus in margine et Scaliger in prima edit. conj. *Hic generum, socerum ille petit*, quod confirmari a codice Vossii ait Burmannus. In proximo versu idem codex et Pithœus in margine *civis erat* pro *erit*.

13. *Mævius a castris.* Heinsius volebat *e transtris*, quasi dicatur miles e transtris navis suæ transiluisse in hostilem. At hoc non ad sensum poetæ, qui militem significare voluit a castris melioribus, h. e. meliorum partium, vel melioris caussæ, profectum esse. Certe castra in litore Actiaco habebat Augustus. — *Præcipitare* h. l. est dare præcipitem, premere, demergere ratem. — Quid velit auctor verbo *præcipitare* explicat Lucanus, III, 623: « Membraque contendit toto, quicumque manebat, Sanguine, et hostilem, defectis robore nervis, Insiluit, solo nociturus pondere, puppim ». Ed.

18. *Oraque mœsta.* Rectius ... *oraque nota* putat Burmannus, et sic attulisse Lipsium in not. ad Tacit. Sed *mœsta* hoc loco gravius et significantius est. Mœsta ora fratris occisi hoc magis commovebant militem, quod inde colligebat, ipsum occisum in conflictu fratris facinus agnovisse, eoque mortuum servatis mœstitiæ signis sibi nunc suum facinus exprobrare.

21. *Quid cesses?* malim *cessas:* nam hoc usitatum. Seneca, Herc. OEt. 840: *Quid, anime, cessas?* idem in Phœniss. v. 91: « dextra quid cessas iners exigere pœnas? »

24. *Morte levanda tua est.* Substituendum conjicit Heinsius *tuenda;*

Scilicet ad patrios referens spolia ampla penates,
Ad patrem victor non potes ire tuum.
Sed potes ad fratrem: nunc fortiter utere telo.
Impius hoc telo es: hoc potes esse pius.
Vivere sic poteris? potuisti occidere fratrem.
Nescisti; sed scis: hæc mora culpa tua est.
Viximus adversis, jaceamus partibus isdem ».
Dixit; et in dubio est, utrius ense cadat.
« Ense meo moriar maculatus cæde nefanda?
Cui moreris, ferrum quo moriare, dabit. »
Dixit, et in fratrem fraterno concidit ense:
Victorem et victum condidit una manus.

vel *pianda* Burm. ut apud Ovid. Met. VIII, 483 : « Mors morte pianda, In scelus addendum scelus est, in funera funus ». Ed. — *Luenda*, propius accedit ad vulgatum, et occurrit in Priap. Carm. 67, *hac pœna culpa luenda tua est:* ubi Burm. eadem varietate *levanda* in cod. Wittiano esse dicit. Sed *levanda* tamen teneri potest, ut sit levior reddenda, vel excusanda.

28. *Hoc potes esse pius.* Heinsius corrigebat *quo potes esse pius.* Sed hac correctione perit gravitas oppositæ sententiæ.

29. *Vivere sic poteris?* cod. Voss. *si;* Heins. *qui poteris.*

31. *Partibus isdem;* et perperam cod. Voss. *idem.*

33. *Maculatus cæde nefanda?* multo melius est, quod habet margo Pithœi et Scaligeri, *maculato;* et sic affert Lipsius : ideo enim suo ense mori non vult, sed fraterno. Ed.

36 *Condidit una manus.* Burmannus emendandum putavit *conficit una manus;* nihil melius : nam *condidit* de sepultura vix potes intelligere.—Et *conficit* est proprium arenæ verbum a gladiatoribus desumptum. Vid. Pricæus ad Apul. p. 473, et notæ ad Sueton. Ner. cap. 29. Sic *vulneribus confecti*, de gladiatoribus, apud Cicer. Tuscul. Quæst. II, 16, et de Jul. Cæsare apud Valer. Maxim. I, 7, § 2; Virg. Æn. XI, 824, « nunc vulnus acerbum Conficit ». Inde *confectores* dicti, qui ad mortem depugnabant. Vid. Scalig. ad Manil. p. 386. ed. Bœcl. Ed.

VI.

ITEM DE EODEM.

Siccine componis populos, Fortuna, furentes,
  Ut vinci levius, vincere sit gravius?
Occisum credens gaudebat Mævius hostem:
  Infelix fratris sanguine lætus erat.
Nec licuit non nosse scelus, dum membra cruenta
  Nudat, in exuvias incidit ipse suas.
Et scelus, et fratrem pariter cognovit; et amens
  «Hoc age, ait: majus nunc tibi restat opus.
Vincere victorem debes, defendere fratrem.
  Cessas? ad facinus quam modo fortis eras?
Terram, jura, Deos, bellum jam polluit ipsum;
  Quod civile fuit, sit quoque culpa gravis.
His manibus patriæ tu jam pia signa requiris

Item de eodem. Sic inscriptum esse in schedis Scaligeri, sed in cod. Voss. hanc Elegiam a superiore non distingui testatur Burmannus.

1. *Siccine componis*, h. e. committis inter se, et in bella discriminaque conjicis, quemadmodum componi vel comparari gladiatores dicuntur.

5. *Nec licuit non nosse scelus*. Sic Pithœus. In cod. Voss. et in Scaligeri exemplari est: « Nec licuit non nosse, senex dum membra cruenta ». Sed quis seni hic locus sit, non video. — *Cruenti* in cod. Voss. unde Heiusius volebat *ruenti*.

6. *Exuvias suas*, h. e. notas sibi, ut quæ gentis et fratris sui signa essent.

8. Scaliger et Pithœus dederunt *nunc ubi restat*. Sed bene Heinsius et Francius conjecerunt *nunc tibi restat opus*; idque a codice Voss. firmatur.

12. *Fit quoque*: sic Pithœus edidit. Scaliger *sit*; cod. Voss. *sic*, quod præferendum putem.

13. *His manibus*, h. e. quum his manibus tantum scelus commiseris, *pia signa requiris*, cupis adhuc redire ad signa, quæ bello justo et pio pro patria militant?

Miles, in Antoni dignior ire rates?
Eripuit virtus pietatem; reddere virtus
Debet: qua rapuit, hac reparanda via est.
Quid moror absolvi?» dixit: gladioque cruento
Incubuit, jungens fratris ad ora sua.
Sic, Fortuna, regas semper civilia bella,
Ut victor victo non superesse velit.

14. *Dignior ire*, transire, in rates Antonii, et in partibus ejus, nefarium bellum patriæ inferentis, stare. Alias *ire in rates*, ut ire in hostes, significare debeat aggredi et adoriri naves hostiles; sed hic sensus non congruit.

16. Pithœus edidit *hæc reparanda*, sed Scaliger *hac reparanda*; quod rectum, immo necessarium est.

18. *Jungens fratris ad ora sua*. Structura hæc verborum non placet Burmanno; itaque cum Heinsio legendum suadet: «Incubat, os jungens fratris ad ora suum». Sed mihi non placet ita refingere verba poetarum, ut elegantius, quam ipsi voluerint, loqui videantur. — Non dissimilis confusio verborum apud Albinov. Epiced. Drus. v. 34: «Colla que et hoc oculos illius ore premam». *Ad ora*, ut in illo Propert. Eleg. I, 3, 16, ex restitutione cl. Fr. Gronovii: «Osculaque admota sumere ad ora manu», licet hic alio sensu dicatur de eo, qui moriens super fratris cadaver cadit, et ori ejus ultima et fatalia oscula jungit. Ita enim sæpe de iis qui super cadavera vel reliquias illorum quos in vita dilexerant, procumbentes, moriebantur; ut de Thisbe super exanimem Pyramum procumbente. Ovid. Metam. IV, 139. Sic de Indis feminis Propert. Eleg. III, 11: Gaudent victrices et flammæ pectora præbent, Imponuntque suis ora perusta viris»; et apud Statium, Theb. VI, 25, de Eurydice in exsequiis Archemori: «Orba parens, lacerasque super procumbere nati Relliquias ardet, totiesque avulsa refertur». Vide quoque eodem prope sensu expositum alium Statii locum a Gronovio in Diatrib. Stat. pag. 336. Ed.

20. *Non superesse*. Heinsius voluit *ne superesse*; Francius *nec*.

VII.

EPITAPHIUM

M. LUCCEII M. F.

INCERTO AUCTORE.

QUUM præmatura raptum mihi morte nepotem
  Flerem, Parcarum putria fila querens,
Et gemerem tristi damnatam sorte juventam,
  Versaretque novus viscera tota dolor;
Me desolatum, me desertum ac spoliatum
  Clamarem, largis saxa movens lacrymis;
Exacta prope nocte, suos quum Lucifer ignes
  Spargeret, et volucri roscidus iret equo;

2. *Putria fila*, eoque facile et cito rupta, referunt morbosum corpus, valetudinem adfectam defuncti. Tale est quod Ovidius infelicem vitam suam vocat *nigra stamina fati sui*, Trist. V, 13, 24, et IV, 1, 64.

4. *Novus dolor* est insolitus, aliis omnibus et præteritis major, validior. — Sic Tibull. I, 2, 1 : « Adde merum, vinoque novos compesce dolores ». Ed. — Hoc verbum olim explicavi ad Stat. Theb. II, 418, tom. I Mus. Crit. p. 98.

5. Numerorum artificium ad lugentis dolorem exprimendum, in cumulatis spondæis, et verbis idem fere significantibus, hic merito admiratur Burm. — *Desolatus* solenne orbitatis vocabulum in vetustis monumentis. Sueton. Calig. 12, « deserta desolatsque reliquis subsidiis aula ». Apud Stat. Silv. II, 1, 67, *desolati penates*, et in fine *desolata soror*.

6. *Saxa movens*, quasi sensu et misericordia adficiens. Ovid. Met. XIII, 48 : « Saxa moves gemitu ». — Et similiter Cicero de Orat. I, 57 : « Lapides, mehercule, omnes flere ac lamentari coegisset ». Ed.

8. *Roscidus iret equo*. Auctor Eleg. in Mæcen. v. 131, *in fuscis placida sub nocte nitentem currere equis* dixit. Ovid. Fast. II, 314 : « Hesperus et fusco roscidus ibat equo ». Extrema nocte et Lucifero orto, sibi som-

Vidi sidereo radiantem lumine formam
  Æthere delabi: non fuit illa quies;
Sed verus juveni color et sonus; at status ipse
  Major erat nota corporis effigie.
Ardentes oculorum orbes, humerosque nitentes
  Ostendens, roseo reddidit ore sonos:
« Adfinis memorande! quid o me ad sidera cæli
  Ablatum quereris? desine flere Deum.
Ne pietas ignara superna sede receptum

nium contigisse ait, ut verum hoc et singulare fuisse significet. Ovid. Her. XIX, 195 : « sub Auroram, jam dormitante lucerna, Somnia quo cerni tempore vera solent ». Et Conf. Tibull. III, 4, 1.

10. *Non fuit illa quies*, h. e. non merum somnium, sed plus quam somnium, clara visio. Sic Statius, Theb. V, 135 : « Nec imago quietis Vana meæ, nudo stabat Venus ênse, videri Clara mihi, somnosque super » ; i. e. supra quam per somnium videri potest. Cæterum expressisse hoc Virgilii videtur Æn. III, 173 : « Nec sopor illud erat ». — Talem claritatem somnii describit Silius Ital. III, 198 : « neque enim sopor ille, nec altæ Vis aderat noctis, virgaque fugante tenebras Miscuerat lucem somno Deus ». Ed.

11. Fabrettus et Bonada dederunt *et status ipse* : sed nostra lectio melior. — *Major erat nota corporis effigie* expressum e Virg. Æn. II, 773 : « Umbra Creusæ Visa mihi ante oculos, et nota major imago ». Qui de Diis, vel in Deos relati, apparebant, forma supra humanam majore videbantur. Quibusdam locis hoc firmat Burmannus. Verum et ii, qui instinctu Deorum loquebantur, vel audebant aliquid inusitatum, habitum adepti augustiorem videbantur. Exempla habes Sibyllæ apud Virgil. Æn. VI, 49; Decii, Liv. VIII, 9; Nervæ Imp. apud Plin. Paneg. cap. 8.

13. *Ardentes oculorum orbes* sumpsit a Virgilio, Æn. XII, 670. Eosdem inter signa divinitatis habitus videas apud eumdem, Æn. V, 648. Sic Philosophia Boethio apparens, ut Diva, *oculis ardentibus* est, ut ille scribit Consol. Phil. Pros. 1. — Totum hoc de Deorum præsentium specie et signis luculentius explicat Heynius vir cl. Excursu XIII ad Virg. Æneidos lib. I, 402, nostræ edit. tom. II, p. 194; et Wernsdorfius eadem de re accurate disputavit in dissertat. anno 1775 edita, de divinis hominum hospitibus. Ed.

15. *Adfinis* positum videtur pro avunculo. Vid. præfatio nostra. — *Memorande*, cujus memoria merito mihi cara superest post fata. Alii maluerunt *venerande* : sed hoc minus aptum, pro statu cælesti, quo est juvenis apparens. Apposita his versibus sunt, quæ habet Hercules Œteus apud Senecam, vers. 1942 : « Quid me tenentem regna siderei poli, Cæloque tandem redditum planctu jubes Sentire fatum? parce : nam virtus mihi In

Lugeat, et lædat numina tristitia.
Non ego Tartareas penetrabo tristis ad undas,
Non Acheronteis transvehar umbra vadis;
Non ego cæruleam remo sulcabo carinam,
Nec te terribilem fronte timebo, Charon;
Nec Minos mihi jura dabit grandævus, et atris
Non errabo locis, nec cohibebor aquis.
Surge, refer matri, ne me noctesque diesque
Defleat, ut mœrens Attica mater Ityn.

astra et ipsos fecit ad Superos iter ».

18. *Lædat lumina tristitia :* nimio fletu oculos corrumpat. Tibullus *fœdare* dicit II, 6, 43, « Nec lacrymis oculos digna est fœdare loquaces ». Gruterus in prima edit. Labbæus et Ferretius expresserunt *et lædat numina tristitia*, quod mihi æque ac Burmanno magis aptum huic loco videtur : nam præcesserat *desine flere Deum*, præcesserat *pietas*, et Veteres existimabant, immodico luctu et fata incusando Deos lædi. Sic Romulus inter Deos receptus et Julio Proculo apparens apud Ovid. Fast. II, 506 : « prohibe lugere Quirites ; Ne violent lacrymis numina nostra suis ». Et in secunda Gruteriani operis editione, quasi ex ipso lapide emendatum, exstat, ut ipsi dedimus.

19. *Ad umbras* Gruterus in margine, Fabrettus et Bonada ; male : nam sequitur *umbra*. Burmannus monet expressum hic Virg. Æn. V, 733. Putabant Veteres, piorum animas lætius excipi apud inferos, non tristem Charontis vultum, non Cerberi latratum, non Minois judicium experiri, sed cum quadam gratia admitti in Elysium. Id Burmannus ad hunc locum multis testimoniis probavit. Hic juvenis, se neque ad undas Tartareas pervenisse, neque in Elysium penetrasse dicit, sed paullo post affirmat in cælum receptum.

21. Ad hunc locum observat Burmannus, defunctorum animas fingi ipsas ad remos sedere in cymba Charontis, portitore ipso clavum regente. — *Pulsabo carinam* habet Fabrettus, Bonada et margo Gruteri : id verbum convenientius videtur *carinæ*, quam *sulcare :* usitate enim sulcari unda, mare dicitur. Atque ipsa vox *carina* mihi hoc loco suspecta est, quia *cærulea* vocatur, quod epitheton aquæ est, non navis. Itaque libenter *paludem*, aut aliud simile substituerem, si posset aliqua cum auctoritate fieri. — Sed animadverti potest *cæruleam* esse ab imitatione Virgilii, qui Æn. VI, 410, *cæruleam puppim* vocat. Et Propert. II, 28, 40 : « Una ratis fati nostros portabit amores Cærula ad infernos velificata lacus ». Ed.

24. *Nec cohibebor aquis* expressum est ex his Horatii, Carm. II, 208 : « nec Stygia cohibebor unda ». Similiter Cornelia apud Propertium, IV, 11, 15 : « Damnatæ noctes, et vos, vada lenta, paludes, Et quæcumque meos implicat unda pedes ».

Nam me sancta Venus sedes non nosse silentum
  Jussit, et in cæli lucida templa tulit.»
Erigor, et gelidos horror perfuderat artus:
  Spirabat suavi tinctus odore locus.
Dic nepos, seu tu, turba stipatus Amorum,
  Lætus Adoneis lusibus insereris;
Seu grege Pieridum gaudes *plaudente sororum*,
  Omnis cælicolum te *chorus excipiet;*

27. *Nam me saucta Venus.* Venus est inter Deos Veterum ψυχοπομπούς, et præsertim juvenes et amantes ducere in Elysium vel in cælum dicitur. Tibull. I, 3, 57: «Sed me... Ipsa Venus campos ducet in Elysios»; et vid. quæ notavimus supra ad Eleg. III, v. extr. Scilicet amoribus, deliciis et voluptatibus implent Veteres beatitatem aut Elysium suum, ideoque hujus ducem et auctorem faciunt Venerem. Ex ea ratione non adeo ineptum est, quod Ausonius in Cupidine cruciato Venerem facit apud inferos comparere. Similiter pueros et puellas fingunt a Dite vel Proserpina rapi, ut sibi sint in deliciis apud inferos, quod multis locis probavit Burmannus ad Anthol. Lat. tom. II, p. 87 et 221.

30. *Spirabat suavi tinctus odare locus,* qui indicio erat adfuisse Deum. Ovid. Fast. V, 376: «tenues secessit in auras: Mansit odor: posses scire, fuisse Deam». Conf. Virg. Æn. I, 403 seq. Claud. Epithal. Hon. 240; Stat. Silv. I, 3, 11.

31. Perperam Fabrettus, Ferretius et Bonada *Dic nepos* dederunt: sed vitium hoc metricum docet, vere in lapide scriptum *Die nepos*, non *Dive*, quod Burmannus mavult. Recte igitur prima Gruteri edit. *Die*.

32. *Adoneis lusibus insereris*, adjungeris Adonidi ludenti cum Venere. Lusus Adoneos intelligas ex appellatione *columbi Adonei* apud Catull. Carm. 27. Adonidem fabulabantur aliam partem vitæ apud Venerem in cælo, aliam cum Proserpina apud inferos agere. Pariter Ausonius in Epitaph. 33, quod et alia similia hujus carminis habet: «Verum aut Persephonæ Cinyreius ibis Adonis».— Persimilia his et sequentibus sunt, quæ Himerius Sophista, non longo abhinc tempore editus, Orat. XXIII, 23, de filio suo defuncto jactat: «Immo nunc maxime in superioribus illis locis oblectes te cum Diis, et res humanas deorsum despicias, ludens cum Cupidine, epulans cum Hymenæo, vaticinans cum Brancho, numine adflatus cum Trophonio». Ed.

33. *Plaudente sororum.* Hæc Labbæi conjectura, quæ placuit. Ceteri supplerunt *divisque Camenis.* Nunc fere mallem *Charitumque sororum.* Nam Gratiæ cum Musis conjungi solent. Vid. Eleg. I, 60; Prop. IV, 1, 73.

34. Te *chorus excipiet:* sic Burmannus conjecit, quem sequutus sum. Formula hæc firmari potest alio epitaphii exemplo, *Rufi Festi*, Anthol. Lat. lib. IV, 310: «Jamque venis, tendit dextras chorus inde Deorum, Et toto tibi jam plauditur ecce polo». Fabrettus, et ex

Si libeat thyrsum gravidis a*micire corymbis*,
Et velare comam palmite, Lib*er eris;*
Pascere si crinem et lauro redimi*re capillos,*
Arcum cum pharetra sumere, P*hœbus eris;*
Indueris teretes manicas, Phrygiu*mque galerum*,
Non unus Cybeles pectore vivet A*tys;*
Si spumantis equi libeat quatere ora *lupatis*,
Cyllare, formosi membra vehes e*quitis.*
Sed quicumque Deus, quicumque vocab*eris heros*,

eo Bonada et Anglus anonymus dederunt, te *chorus insequitur :* alii te *comitatur honos* ».

35. A*micire corymbis :* sic Dorvillius, teste Burmanno, conjecit. Fabrettus, Bonada, alii *onerare corymbis :* Scriverius *ornare corymbis.* Labbæus et Anglus *agitare corymbis.*

37. Redim*ire capillos.* Sic Burmannus emendavit cum Labbæo: alii redimi*tus ovanti :* sed infinitivus requiritur. Ante oculos fortasse habuit poeta illud Ovidii in Epistola Sapphus : « Sume fidem et pharetram, fies manifestus Apollo : Accedant capiti cornua, Bacchus eris ». — Cui similis locus Propert. IV, 2, 31 : « Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi, Furabor Phœbi si mihi plectra dabis ». Ed.

39. Phrygiu*mque galerum.* Sic Burmannus post Labbæum : alii, Phrygi*am* vel Phrygiu*mque tiaram,* quod præfert Schraderus propter superstitem literam *u*, ut in illo Virg. Æn. VII, 247 : « sceptrumque sacerque tiaras ». Ed. — Per *galerum* autem intelligitur pileus ille Phrygius, curvus et inflexus, quo ornatus Atys, Deum Matri adstans, sæpe conspicitur in vetustis monumentis, ut in Begeri Thes. Brand. tom. III, pag. 312, atque in Corp. Inscript. Grut. p. 29. — Tali galero vel mitra opertus est Atys in statua apud Pignor. Orig. Petav. c. 12. Ed. — In his etiam apparet tunica ejus manicata, quæ itidem ad habitum Phrygium pertinebat. Virg. Æn. IX, 616 : *Et tunicæ manicas et habent redimicula mitræ, O vere Phrygiæ.*

41. Ora *lupatis* hic omnes editores scripserunt; et hoc vocabulum res ipsa dabat. Pariter in proximo versu non aliud, quam e*quitis* substitui poterat. — *Cyllarus* est notissimus Castoris vel Pollucis equus. Atque igitur hoc sibi vult poeta : Si velis equo vehi, ultro tibi Cyllarus habitur regendus, ut qui ipsum Castorem, formosum equitem, referre possis. Similis sententia Claudiani in IV Cons. Hon. 557 : « Serviretque tuis, contempto Castore, frenis Cyllarus, et flavum Xanthus sprevisset Achillem ».

43. Vocab*eris Heros* dederunt omnes, nec præferendum huic, quod forte præstantius Burmannus dicit, vocab*ere Divus.* Etenim Heros melius distinguitur a Diis, quam Divus, et, qui ante nominati sunt, Atys et Castor sine dubio inter Heroes referendi. Sic enim, præsertim a Græcis, omnes defuncti viri illustres vocitantur.

Sit soror, et mater, sit puer incol*umis*.
Hæc dona unguentis et sunt potiora *corollis*,
Quæ non tempus edax, non rapi*t ira Jovis*.

45. *Hæc dona*, i. e. carmina, et ultima pietatis officia.—Potiora *metallis* vnlebat Gruterus, Labbæus, Fleetwodus atqne Anglus. — Et hoc versus ultimi sententia videtur exigere. En. — Ferretius etiam, qui tamen vnlebat *aptiora*, sed male. Sed *corollis*, quod Macarius, Fabrettus et Bonada dederunt, præferendum cum Burmannn, quia corollæ melins junguntur *unguentis*, et pariter sunt inter consueta mnnera sepulcralia, ut ostendit versus 35 Copæ: « Quid cineri ingrato servas bene olentia serta? Anne cornnatn vis lapide ista tegi? »—Et odoribus funeralibus etiam Stat. carmina præfert Silv. III, 3, 31 seqq. « Macte pio gemitu, dabimus solatia dignis Luctibus, æternasque ultro sacrabimus umbris Inferias,.....nos nnn arsura feremus Munera, venturosque tuus durabit in annns, Me monstrante, dolnr ». En.

46. Rapit *ira Jovis*: hæc potior conjectura Macarii est, quam Fabrettus, Bonada, Anglus annnymus, denique Burmannus amplexi snut, et sine dubio sumpsit auctnr e nntissimo Ovidianarum Metamorphoseon epilogo: « quod nec Jovis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas ». — Imitatus est auctor epigrammatis de Romæ ruina apud Pithœnm, lib. III, p. 84: « Nnn tamen annorum series, nnn flamma, nec ensis Æternum potuere hoc abolere decus »; ubi male *nec hostis* apud Opitium, et *poterunt* prn *potuere* melins apud Schnttium. Simile illnd in Inscriptione Prænestina: « Hoc posuit donum, quod nec sententia mortis Vincere, nec pnterit fatorum summa potestas ». Propert. Eleg. III, 1, 61, de Pyramidum et Mausoleorum monumentis: « Aut illis flamma, aut imber snbducet honores, Annorum aut ictu, pondere victa ruent ». Vid. Barth. ad Stat. Theb. XII, 811. Ed. — Gruterus et Ferretius dedernnt, nnn rapit *unda maris*, quod sequitur Fleetwodus. Labbæus supplevit, nnn rapit *hora ruens*.

VIII.

EPITAPHIUM

CLAUDIÆ HOMONOEÆ

CONJUGIS

ATIMETI·TI. CÆSARIS A. L.

Tu qui secura procedis mente, parumper
Siste gradum, quæso, verbaque pauca lege.

HOMONOEA.

Illa ego, quæ claris fueram prælata puellis,
Hoc Homonœa brevi condita sum tumulo;
Cui formam Paphie, Charites tribuere decorem,

1. *Tu qui secura procedis mente. Procedis secura* transponit Apianus. Ex hoc initio desumptum est aliud Epitaphium apud Ferretium, quod edidit Burm. Anthol. Lat. lib. IV, ep. 116: « Heus tu, qui transis secura mente, viator, Siste gradum, hoc tumulo verba notata lege. Antilla hic jaceo, etc. » Et apud Gruterum, pag. 977, 3: « Tu qui carpis iter gressu properante, viator, Siste gradum, etc. » Ed.

3. Distichon hoc separavit a priore, eique nomen Homonœæ præposuit Apianus, non male. — *Illa ego, quæ cunctis* pro *claris*, in codice Cyriaci Anconitani: *quæ claris quondam prælata* in codice Perotti, secundo loco; nam bis in eo legitur.

4. *Brevi tumulo*, qui hominis tantum cineres et ossa continet, ut apud Propert. II, 1, 72: « Et breve in exiguo marmore nomen ero ». Sic in epigr. 260, lib. IV Anthol. « Nunc sum deflcti parva favilla rogi ». Sic *brevis dominus*, qui mortuus et sepultus, apud Horat. Carm. II, 14, 24. — Tibull. II, 6, 34: « Sic bene sub tenera parva quiescit humo ». Ed.

5. Apianus perperam edidit « Cui formam Paphiæ Charites tribuere decoram ». Sed *Paphie*, Venus, distinguenda a Gratiis. Illa formam vel pulchritudinem, hæ decorem tribuunt, qui quomodo ab ista differat, e descriptione Tibulli patet IV, 2, 7: « Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit, Componit furtim subsequiturque decor ».

Quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis denos ætas mea viderat annos,
Injecere manus invida fata mihi.
Nec pro me queror hoc: morte est mihi tristior ipsa
Mœror Atimeti conjugis ille mei.

ATIMETUS.

Si pensare animas sinerent crudelia fata,
Et posset redimi morte aliena salus;
Quantulacumque meæ debentur tempora vitæ,
Pensassem pro te, cara Homonœa, libens.
At nunc, quod possum, fugiam lucemque Deosque,
Ut te matura per Styga morte sequar.

HOMONŒA.

Parce tuam, conjux, fletu quassare juventam,

6. *Quam Pallas.* Similiter de Eucharide epigr. 354, lib. IV, Anthol. Lat. « Docta, erudita pæne Musarum manu ». Et sic amicam suam describit Propert. I, 2, 29: « Quum tibi nec desit jucundis gratia verbis, Omnia quæque Venus, quæque Minerva probat ». Conf. hujus operis Eleg. II, v. 17.

8. *Injecere manus :* ex imitatione Virgilii, Æn. X, 419: « Injecere manum Parcæ ».

9. Quibusdam in libris hæc fuit verborum distinctio, « Nec pro me queror : hoc morte est mihi tristior ipsa »; sed perperam. Alius codex habuit : « Nec queror : hoc pro me morte est mihi tristior ipsa ». *Pro me* significat mea caussa, quia ipsa longiorem vitam cupio. — Similiter Cornelia Paulli apud Prop. Eleg. IV, 11, 26: « Ipsa loquor pro me ». Et apud Ovid. Am. II, 9 init. « O nunquam pro me satis indignate Cupido ». Ed.

11. *Pensare animas* est animam reddere pro altera, unum mori pro altero : frequens poetis phrasis. Statius, Silv. III, vs. 192, de Admeti conjuge: « Ergo et Thessalici conjux pensare mariti Funus, et immitem potuit Styga vincere supplex Thracius ». In epitaph. Pomptillæ, epigr. 90 lib. IV Anth. Lat. « Pro cujus vita vitam pensare precanti Indulsere Dei ». — *Pensare* et *redimere* propria hac in re verba sunt. Frequens est elegantissima hæc sententia in carminibus funestis, qua dilectorum defunctorum animas conjuges, instar Dioscurorum, alterna morte redimere optant. Ed.

14. *Pensassem pro te.* Apud Boissard. Pontan. et in codice Henniniano *Pensarem*.

15. Cod. Voss. legebat « fugio lucemque Deosque Ut te immatura ». — Invisam mœrentibus lucem vel vitam dicere solent poetæ. Virgil. Æn. IV, 631; XII, 177. Ed.

17. *Quassare juventam*, h. e. juvenile corpus affligere et conficere. Si-

Fataque mœrendo sollicitare mea.
Nil prosunt lacrymæ, nec possunt fata moveri:
Viximus, hic omnes exitus unus habet.
Parce, ita non unquam similem experiare dolorem,
Et faveant votis numina cuncta tuis.
Quodque meæ eripuit mors immatura juventæ,
Id tibi victuro proroget ulterius.

ATIMETUS.

Sit tibi terra levis, mulier, dignissima vita,
Quæque tuis olim perfruerere bonis.

militer Stat. Silv. V, 1, 179: « Parce, precor, lacrymis, sævo nec conente planctu Pectora, nec crucia fugientem conjugis Umbram ». *Quassatum corpus*, h. e. variis morbis concussum dicit Sueton. Aug. 81.

18. Pro *mea* in quibusdam legitur *tua*: sed Homonœam hic versus spectat. Similiter Seneca in Octav. v. 270: « Renovare luctus parce cum fletu pios, Manes parentis neve sollicita tuæ ». Conf. epitaph. superius Luccii, v. 16.

19. *Nec possunt fata moveri*. Virg. Æn. VI, 376: « Desine fata Deum flecti sperare precando ».

20. *Viximus, hic omnes*; et hoc formatum ad illud Virg. Æn. IV, 653: « Vixi, et quem dederat cursum Fortuna, peregi ». Calpurn. Ecl. VIII, 11: « Viximus, et calamo juvenes cantavimus olim ». — Sic Græcis βεβίωκα, de quo vid. Petav. ad Epiphan. p. 27. Ed.

23. *Quodque meæ eripuit*. Sic Cornelia moriens, apud Propert. IV, 11, 93: « Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos ». — Similiter clarissimus poeta Lyricus Gallicus, J. B. *Rousseau*, in ode *au comte du Luc*, Parcas alloquitur: « Tranchez mes destinées, Et renouez leur fil à celui des années Que vous lui réservez ». Et camdem sententiam adducit auctor Epitaphii quod hoc loco confert Burm. Anthol. Lat. t. II, p. 96: « Immatura peri: sed tu diuturnior annos Vive meos, conjux optime, vive tuos ». Ed.

26. *Quæque tuis*, scil. dignissima, quæ olim perfruerere bonis tuis. Ab ignorata hac serie constructionis provenisse videtur lectio vel emendatio codicis Voss. « Atque tuis olim perque fruare bonis ». — Petr. Bonadam, vir cl. Variar. Lect. lib. I, cap. 5, p. 43, hoc distichon e Jo. Tacuini Inscript. Antiq. p. 78, ed. Venetæ 1525 profert, ubi legit *dignissima vitæ*, et adjectivum *dignus* genitivo junxisse multos scriptores sequioris latinitatis, multis exemplis probat. Sed tamen *dignissima vita* plerique dederunt inscriptionum veterum editores, et nostra inscriptio ad melioris ævum latinitatis pertinet. Ed.

IX.

ÆMILII MAGNI ARBORII

AD

NYMPHAM NIMIS CULTAM.

PARCE, precor, virgo, toties mihi culta videri,
  Meque tuum forma perdere parce tua.
Parce supervacuo cultu componere membra:
  Augeri studio tam bona forma nequit.
Ne tibi sit tanto caput et coma pexa labore,
  Et caput hoc bellum est, et coma mixta placet.
Ne stringant rutilos tibi serica vincla capillos,
  Quum vincant rutilæ serica vincla comæ.
Nec tibi multiplicem crines revocentur in orbem,
  Inculti crines absque labore placent.

1. *Toties culta*, tot modis et rebus.

3. *Componere* pro ornare, nescio, an meliore linguæ ætate dictum. In epithalamio Laurentii, quod Burmannus, Anthol. Lat. t. II, p. 633, dedit, legitur v. 38 : « Atque alias comit, per te componitur aurum ». Et in Paschasii Radberti Ecloga in mortem S. Adalhardi, v. 3 : « Spargite humum lacrymis, componite floribus arva ».

5. Burmannus mavult legere *Ne tibi sit tanti, caput et coma pexa labore*, ut coma labore pexa dicatur de suggestu comæ nimis laboriosa arte structæ, ut contra, versu 10, *inculti crines absque labore* dicuntur. Sed mihi tanti non est, vulgatam lectionem, quæ satis bona et sana est, mutare. — *Nec tibi sit tanti*, locutio Propertio soleunis. Ed.

6. *Coma mixta*, confusa et turbata.

9. *Revocentur*, i. e. reflectantur : *sinuare* dixit Claud. Rapt. Proserp. II, 15 : « Illi multifidos crinis sinuatur in orbes ». Qui orbes crinium alias annuli dicuntur. Martial. II, 66 : « Unus de toto peccaverat orbe comarum Annulus ». Juvenal. VI, 496 : « pectitque comas et volvit in orbem ».

Aurea nec video cur flammea vertice portes,
  Aurea nam nudo vertice tota nites.
Utraque fert auris aurum, fert utraque gemmas,
  Utraque nuda novis anteferenda rosis.
Ora facis vitreo tibi splendidiora nitore,
  Quum tamen ora vitro splendidiora geras.
Incendunt niveum lunata monilia collum,
  Nec collum simplex dedecuisse potest.
Contegis occulta candentes veste papillas,
  Candida quum nolit veste papilla tegi.
Ne toga fluxa volet, reprimit tibi fascia corpus;
  Sat corpus veneror, sit toga fluxa licet.
Dic, teretes digitos quare annulus et lapis ambit,
  Quum teretes digiti dent pretium lapidi?
Ornatu nullo potes exornatior esse,
  Et tantum ornaris in mea damna nimis.
Ne te plus æquo species externa perornet,

13. *Utraque fert auris aurum :* ineptus literarum lusus.

15. *Vitreo nitore*, h. e. succo vel fuco, qui vitreum nitorem refert. Tibull. I, 8, 11 : *Quid succo splendente genas onerasse* prodest.

16. *Quum tamen.* Sic recte edidit Rivinus. Perperam in editi. Petron. *Quum tantum.*

17. *Incendunt*, quia rubri igneive coloris gemmæ in monili. Martial. XIV, 26, « Caustica Teutonicos accendit spuma capillos », h. e. rufos facit. Val. Flaccus, III, 411, « Ergo ubi puniceas Oriens accenderit undas ». — *Lunata monilia*, curvata circa collum : neque enim hic eam rationem valere arbitror, qua alias monilia, jumentis addi solita, ornatus caussa lunata appellari potuerunt, quibus lunula, vel dens apri lunatus adpensus erat. Vid. Stat. Theb. IX, 689, et quæ notavimus ad Calpurn. VI, 44. *Lunare arcum sinuosum* dicit Ovid. Am. I, 1, 23. — Similiter Prudent. Hamartig. v. 269 : « Colla vel ignitis sincera incingere sertis ». Quod hic *collum sincerum*, Arborius *simplex* dicit. Ed.

19. *Occulta candentes veste papillas :* recte improbatur *occulta veste :* quin levi mutatione legi potest *occultas veste papillas.* Poterat etiam *Contegis occultans*, vel *Occultante tegis candentes veste papillas.*

21. *Ne toga fluxa volet.* Confer *tunicas solutas* et *ventosos sinus* Mæcenatis, Eleg. II, 25.

27. *Species externa perornet.* Suspectum est Burmanno *perarnet*, quia *arnatus*, *exarnatior* et *ornaris* præcessit : ideoque *decoret* conjicit, quum præsertim, quod in penta-

Quum sis plus æquo pulchra decore tuo.
Non ego sum, pro quo te componendo labores,
Nec qui te talem non, nisi cogar, amem.
Pronus amo, non sum tenero qui pugnet amori,
Nec qui te roseam vellet amare Deam.
Cum radiis certare Jovis tua lumina possent,
Et possent radiis vincere signa Jovis.
Sole nihil toto melius splendescit in orbe,
Sole tamen melius splendidiusque nites.
Sunt tibi colla quidem nive candidiora recenti,
Sed nive, quæ nullo marcida sole jacet.
Conveniunt tepido tua frons et pectora lacti,
Sed lacti, saturæ quod posuere capræ.
Cedit odora tibi vernantis gloria silvæ,

metro sequitur, *pulchra decore tuo*, huc respicere videatur. Ego vero retinendum censeo *perornet*, quia ludere Noster in eodem genere verborum solet, et in sequenti versu non verba *decore tuo* referuntur ad præcedentem, sed *plus æquo*.

29. *Te componendo labores:* ultima in *componendo* correpta nævus et signum est serioris ætatis, e qua haud dubie hic Poeta est. Vid. quæ diximus ad Eleg. I, 48, et Calpurn. VIII, 53. Cæterum hoc loco auctor τὸ *componere* excusatius et rectius usurpasse videtur, ut sit in elegantem et decorum habitum formare, temperare, disponere; nam sermo est de decore: quo sensu Tibull. IV, 2, 7: « Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit, Componit furtim subsequiturque decor ».

31. *Tenero qui pugnet amori,* h. e. qui repugnet, adversetur. Virgil. Æn. IV, 38, « placitone etiam pugnabis amori ». Contra Helena apud Ovid. Her. XVII, 191: « Dum novus est, potius cœpto pugnemus amori ».

32. *Nec qui te roseam*, h. e. nec qui te tum demum vellet amare, si esses Dea rosea, vel ipsa Aurora. Fortasse legendum *vellet habere*, vel *nollet amare*.

33. *Cum radiis certare Jovis*. Vid. Galli Epigr. II, 15, et Eleg. VII, 13.

38. *Nullo marcida sole*. *Non calcatam nivem* dicit Ovid. Pont. II, 5, 38; *intactas nives* Rutil. Numat. Itin. II extr.

40. *Lacti, saturæ quod posuere capræ,* expressum ex Ovidio, Am. III, 5, 13: « Candidior, quod adhuc spumis stridentibus albet, Et modo siccatam, lacte, relinquit ovem ».

41. *Odora gloria silvæ:* usitatius dicitur honor silvæ. Vid. Nemes. de auc. v. 19, et Lactant. de Phœn. v. 10: « Lucus perpetuæ frondis honore virens ». — *Odora* e frondibus et floribus. Vid. Calp. IV, 111; VIII, 64.

Nec tibi quod riguus præferat hortus, habet:
Nulla colorati species tibi proxima prati,
Nec quum floruerit, par tibi campus erit;
Alba ligustra tuæ nequeunt accedere laudi,
Fixaque cespitibus lilia laude premis;
Nulla tuos possunt æquare rosaria vultus,
Quum nec adhuc spinis sit rosa vulsa tuis;
Gratia, quam violæ maturo flore merentur,
Si quæ contulerit se tibi, vilis erit.
Non Helenæ mater, nec par tibi filia Ledæ;
Quamvis hæc Paridem moverit, illa Jovem.
Compulit illa Jovem cygni latuisse sub alis,
Compulit illa Phrygas sæva sub arma duces.
Leda, per albentes humeros fluitante capillo,
Dum legit Argivæ florea serta Deæ,
Erranti super astra Jovi de nube suprema

43. *Nulla colorati*. Versus propter rhythmum consonantem insuavis, et eodem vitio laborat qui sequitur. —*Tibi proxima*, proxime ad speciem tuam accedens similitudine.

46. *Fixa cespitibus*, plantata, inhærentia : nec tamen admodum placet hoc verbum.—*Premis laude*, superas : contrarium *tollere laude*. Statius, Achill. I, 607 : « tantumque admota superbo Vincitur Æacide, quantum premit ipsa sorores».

48. *Vulsa tuis*. Vix dubito, quin legendum sit *suis*.

50. *Si quæ contulerit*. Ita Burmannus edidit, Rivinum sequutus. Nam male in edit. Patiss. Frellon. et Lotich. *Si quod contulerit*. Ovid. Rem. Am. 711 : « Utraque formosæ Paridi potuere videri, Sed sibi collatam vicit utramque Venus ».

51. *Non Helenæ mater*. Leda et Helena exempla primariæ pulchritudinis. Petron. cap. 138 : « Quid huic formæ aut Ariadne habuit, aut Leda simile? quid contra hanc Helene, quid Venus possit?»

52. *Paridem moverit*, amore accenderit. Horat. Carm. II, 4, 2 : « niveo colore Movit Achillem, Movit Ajacem ».

56. *Argivæ Deæ*, Junoni : *Dum legit florea serta*, flores in serta nectendos, quibus Junonem a se cultam ornet. Vid. notata nostra ad Calpurn. IX, 4 et 23.

57. *Erranti super astra Jovi*. Poeta hic ad fabulam Ledæ transtulisse videtur, quæ Ovidius de Callistone a Jove observata narrat, Met. II, 402 : « At pater omnipotens ingentia mœnia cæli Circuit. . . . Dum redit, itque frequens, in virgine Nonacrina Hæsit, et accepti caluere sub ossibus ignes ».

Cognita, plumalem de Jove fecit avem.
Tuque puellarum dum ludis in agmine princeps,
Inter virgineos lucida stella choros,
Si magno conspecta Jovi de nube fuisses,
Deposuisse Deum non puduisset eum.
Ast Helenæ facies et opima potentia formæ
Dardanio Paridi per mare præda fuit:
Græcia conjurat repetendam mille carinis,
Jurata hanc ratibus Græcia mille petit.
Te tam conspicuam Phrygius si prædo videret,
Et te vel ratibus, vel rapuisset equo.
Annis tracta decem sunt Troica bella; sed uno,
Si pro te fierent, mense peracta forent.
Virgine Ledæa, me judice, dignior esses,

60. *Lucida stella :* ob eximiam pulchritudinem in reliquo ludentium puellarum choro, sideris instar, eminens et elucens. Per eam rationem Hesperon, olim juvenem, e turba ludentium adolescentum, raptum a Venere, et in sidus mutatum fingit Albinovanus, Eleg. in obitum Mæc. 129. — Contra Horatius, Carm. III, 15, 6, Chlorin vetulam inter virgines ludentem, dicit esse quasi *nebulam* inter stellas : « Maturo propior desine funeri Inter ludere virgines, Et stellis nebulam spargere candidis ». En.

62. *Deposuisse.* Versus propter rhythmum odiosus merito videtur Burmanno, qui propterea mutat : « Deposuisse Jovem non puduisset eum ». Ego mallem *Non puduisset eum deposuisse Jovem* ».

63. *Opima potentia.* Non placet hoc Burmanno : et mihi supra modum placet. — *Opima* potentia est ampla et luculenta, argute quidem et eleganter, quia mox dicit *prædam* fuisse Paridi, quæ proprie opima diei solet, ut apud Horat. Epod. X, 21. — *Potentia* formæ ea est, quæ magna et periculosa audere imperat. Sic plane Ovid. Met. X, 573 : « sed (tanta potentia formæ), Venit ad hanc legem temeraria turba procorum ».

64. *Per mare præda fuit*, sc. rapta et tracta per mare, ut præda ; et Horat. Carm. I, 15, 1 : « Pastor quum traheret per freta navibus Helenam », quem locum Poeta etiam sequentibus in versibus expressit.

66. *Jurata ... mille petit.* Horat. Carm. I, 15, 5 : « Quam multo repetet Græcia milite, Conjurata tuas rumpere nuptias ». Et Ovid. Metam. XII, 6 : « conjuratæque sequuntur Mille rates, gentisque simul commune Pelasgæ ».

67. *Tam conspicuam*, hoc est pulchram, claram, spectabilem : sic serior latinitas, ut *perspicuam* rosam et perdicem dixit Eucheria, in Poem. v. 14 et 23.

Pro qua Trojanas flamma cremaret opes.
Tu poteras Priamo validissima caussa fuisse,
Nulla ut cura foret regna perire sua.
Si succincta togam, ritu pharetrata Dianæ,
Venatrix toto crine soluta fores;
Si Dryadum comitata choro, si nuda lacertos,
Arcu fulmineos insequereris apros;
Te quicumque Deus silvosa per antra vagantem
Conspiceret, veram crederet esse Deam.
De pretio formæ quum tres certamen inissent,
Electusque Paris arbiter esset eis;
Præfecit Venerem Paridis censura duabus,
Deque tribus victæ succubuere duæ.
Cum tribus ad Paridem si quarta probanda venires,
De tribus a Paridi quarta probata fores;
Pomaque si formæ potiori danda fuere,
Hæc potius formæ danda fuere tuæ.
Ferrea corda gerit, tua quem cælestis imago,

75. *Ritu pharetrata Dianæ*. Perperam *risu* legitur in edit. Patiss. Frellon. et Lotich. et Hadrianidis: sed rectius *ritu* edidit Rivinus. Ovid. Met. X, 536: « Nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ ».

76. *Crine soluta*. Sic Diana subinde incedit, quando otiatur; sed in ipso venatu crinem complicatum et substrictum habet, ut adnotavimus ad Nemes. Cyneg. 93.

77. *Dryadum comitata choro*. Vid. Grat. Cyneg. 16, et Nemes. 94.

80. *Veram crederet esse Deam*. Obversata videtur Poetæ animo narratio Virgilii, Æn. I, 314 seqq. qua matrem Æneæ obviam, habitu venatricis, et ab eo pro Dea agnitam memorat, v. 327: « O quam te memorem, virgo? ... o Dea certe ». Sic apud Petronium in fragmentis, amans de sua Venere: « Totus tibi servit honos, formaque Dearum Fulges, et Venerem cælesti corpore vincis ».

82. *Electusque*. Versus ignavus et inelegans, ut ille 62 et 74.

85. *Cum tribus ad Paridem*, etc. Similiter Petronius, c. 138: « Ipse Paris Dearum libidinantium judex, si hanc in comparatione vidisset, tam petulantibus oculis; et Helenam huic donasset, et Deas ». Ed.

86. *Paridi*. *Paride* edidit Rivinus: sed alterum rectius et metro aptius putat Burmannus.

88. *Hæc potius formæ*. Ita ipse Paris de sua Helena apud Ovid. Her. XVI, 137: « Si tu venisses pariter certamen in illud, In dubium Veneris palma futura fuit ».

89. *Ferrea corda gerit*. Frequens

Vel tam purpureæ non teligere genæ:
Robore vel scopulo genitum convincere possim,
Quem tam solennis forma movere nequit.

hoc poetis. Tibull. I, 1, 63 : « non tua sunt duro præcordia ferro Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex ». Ovid. Trist. I, 7, 41 : « Et tua sunt silicis circum præcordia venæ, Et rigidum ferri semina pectus habent ».

91. *Robore vel scopulo genitum.* Sic Ovid. Her. VII, 37 : « Te lapis et montes, innataque rupibus altis Robora, te sævæ progenuere feræ ». — Et hac comparatione nihil apud poetas frequentius. Sic enim Dido apud Virgil. Æn. IV, 365 : « Nec tibi Diva parens...duris genuit te cautibus horrens Caucasus ». Quod imitatus quoque est Ovid. Metam. VIII, 12, in expostulatione Scyllæ ad Minoem ; et similiter Ariadne, Her. X, 131 ; et apud Catullum, Carm. LXV, 154, et alios poetas passim, sequutos vestigia Homeri, Iliad. II, ubi Patroclus iidem Achilli exprobrat. Ed. — Plura hujus commatis congessit Broukhusius ad Tibullum, lib. III, eleg. 4, vs. 85.

92. *Solennis forma.* Hoc corruptum putat Burmannus, et *præpollens* vult substituere, vel *sublimis forma*. Oudendorpius pro *sacrata* sumebat. Mihi nihil mutandum videtur. *Solenne* non modo est, quod solito more fit per annum, sed et quod solum in anno præcipueque colendum et celebrandum est. Itaque *solennis forma* est præcipua et eminens, ut forma *augusta*, *cælestis*. — Apud Ovid. Metam. XIV, 262 : « pulchro sedet illa recessu Solenni in solio ». Durior videlicet translatio qua *solennis* pro cæteris eminentiori et magis conspicuo ponitur. Notandum voces *solennis* et *sublimis* sæpe permutari, et *sublimis forma* bene dici pro egregia, excellenti : ut *sublimes viri* pro nobilibus apud Varr. de Re Rust. II, 4, § 10 ; *certamen sublime* Claud. in Ruf. I, 297 ; *sublime solatium* in Inscriptione antiq. apud Gruter. p. 294, 4. Ed.

X.

INCERTI

ELEGIA DE SPE.

Spes fallax, spes dulce malum, spes summa malorum,
  Solamen miseris, qua sua fata trahunt.
Credula res! quam nulla potest fortuna fugare;
  Spes stat in extremis officiosa malis.
Spes vetat æternis Mortis requiescere portis,

1. *Dulce malum* : ut Menander in Fragm. pag. 128 ed. Cler. Ὦ Ζεῦ πολυτίμητ', οἷόν ἐστ' ἐλπὶς κακόν. — Sic Seneca tragicus : « Heu! quam dulce malum, mortalibus additum Vitæ dulcis amor! » Ed. — Pro *summa malorum* Heinsius volebat *laborum* : sed vulgatam agnoscunt omnes codices et editiones.

2. *Qua sua fata trahunt*. Sic Pithœus et Scaliger ediderunt, habentque schedæ Scaligeri a Burmanno inspectæ. Sentio tamen cum Heinsio, qui volebat *quos sua fata trahunt*. Sic Ovid. Her. VI, 51, *sed me mala fata trahebant*, et Metam. III, 176, *sic illum fata trahebant*. Burmannus mavult *qui sua fata trahunt*, h. e. ægre vitam trahunt luctantes cum miseriis.

3. *Credula res*, ut Ovid. Her. VI, 21, *Credula res amor est*; et Tibull. II, 7 init. « Credula vitam Spes fovet, et melius cras fore semper ait ».

4. *Spes stat*. Heinsius *perstat*, quod minime præferendum. — *Stat officiosa*, sedulo et assidue sustentat; et ministrat solatii argumenta. Ovid. Her. XVIII, 60: (Luna) *præbebat lumen eunti Ut comes in nostras officiosa vias*.

5. *Æternis Mortis requiescere portis*. Francius *æterna porta*, et Schraderus τῷ *requiescere* aptius putabat *portu*. Sed nihil necesse est vulgatam lectionem sollicitare. Equidem sepulcrum, quod hoc loco intelligitur, *portum corporis* vocat Ennius apud Cicer. Tusc. I, 44; sed tamen et *portas* de eodem valere probat *Ditis æterna domus* in Epigr. 353 libri IV Anthol. Lat. et locus Elegiæ ad Liv. v. 73 : « Claudite jam Parcæ nimium reserata sepulcra, etc. » Sic et *limen Olympi* Virg. Eclog. V, 56. — *Portis* firmari videtur loco

Et curas ferro rumpere sollicitas.
Spes nescit vinci: spes pendet tota futuri.
Mentitur; credi vult tamen illa sibi.
Improba, mentis inops, rebus gratissima læsis,
Quas fovet, et verti fata subinde docet.
Sola tenet miseros; invitos sola moratur:
Sola perit nunquam; nec perit, atque redit.
Sæpe bono, rursusque malo blandissima semper;
Et quos decepit, decipit illa tamen.
Instabilis, dubio devexa ad tempora motu,

Lucretii, III, 67: « Semota ab dulci vita stabilique videntur, Et quasi jam Leti portas cunctarier ante ». Potest tamen, si *æterno portu* legamus, hoc optime defendi loco Cicer. Tuscul. V, 40: « Si dolores longinquitate producti vehementius tamen torquent, quid est tandem, Dii boni! quod laboremus? Portus enim præsto est, quoniam mors est æternum nihil sentienti receptaculum ». Ed.

7. *Spes pendet tota futuri*. Sic cod. Voss. sed Pithœus in margine *futuris*, quomodo et schedæ Scaligeri: *tuta futuri* Scioppius, non male. Mihi placet *pendet tota futuris*, h. e. imminet et propendet tota in res eventuras, vel futurarum rerum exspectatione suspensa et dubia est.

9. *Rebus gratissima læsis*. Sic vulgatæ cum schedis Scal. Vossii codex *lessis*, unde Heinsius *lassis*, Burmannus *fessis* conjiciebat. Posset etiam *lapsis*. Sed hæc nihilo meliora, quam vulgatum *læsis*. Sunt iidem *læsi*, qui afflicti. Ovid. Pont. III, 6, 21: « miseris cælestia numina parcunt, Nec semper læsos et sine fine premunt ». Idem Trist. I, 5, 35: « Quo magis, o pauci, rebus succurrite læsis »; et conf. Trist. V, 2, 41. Sed in *læsis* et *lapsis* codices sæpe variant.

11. *Sola tenet miseros*. Ovid. Her. III, 142: « Sustinet hoc animæ spes tamen una tui ». Et idem, in Art. Am. I, 445: « Spes tenet in tempus, semel est si credita, longum: Illa quidem fallax, sed tamen apta Dea est ».

12. *Nec perit atque redit*. In Vossiano est *nec venit*. Heinsius conjecit *nec peritura redit*. Oudendorpius *Sola ruit nunquam*. Ego mallem ex versu ult. *sed fugit atque redit*.

13. Hunc versum sic explicat Barthius, Advers. XXIII, 12: Nunc bono, nunc malo semper blandissima arridet, neque non eos, qui jam semel decepti sunt, ideoque non credere tam fallaci debebant, denuo tamen fallit; quæ ostendendo bona, mala consolatur; bona vero melioribus extrahit. Burmannus, v. 14, vult *Nec, quos decepit*.

15. *Devexa* Pithœus habet et utraque editio Scaligeri: *divexo* cod. Voss. et schedæ Scal. quæ tamen *devexo* in margine: rectum puto *devexa ad tempora*, h. e. quæ propendet ad captanda quævis tempora, inhians temporibus, ideoque semper dubia agitatur.

Audax, et clausum quæ putet esse nihil.
Omnia promittit nota levitate Deorum;
Nil fixum, et casus admonet esse leves.
Naufragus hac cogente natat per feta procellis
Æquora, quum mersas viderit ante rates.
Captivus duras illa solante catenas
Perfert, et victus vincere posse putat.
Noxius, infami districtus stipite membra,

16. Scioppius hic vult *clausum quæ jubet esse nihil.*

17. *Mota levitate* habent Voss. cod. et Scaligeri schedæ, qui lectionem hanc ut elegantem probabat; sed *nota* legendum putat Pithœus in notis, Scioppius et alii. Ipse sic edere volui. Spes esse levis dicitur in votis et desideriis suis, ut Fortuna in casibus, neque *Deorum* referendum est ad *levitate*, sed ad *omnia*. Spes, inquit, pro nota levitate sua, *omnia* quæ Deorum sunt, et quæ hominibus a Diis concedi possunt, *promittit*, ut Tibull. II, 6, 27: « Spes facilem Nemesin spondet mihi ».

19. *Per fœta procellis* exstat in edit. Pith. et Scal. Voss. codex modo habet *persœda procellas.* Heinsius tamen melius censuit *per fœda procellis*, quod apud Ovidium aliosque frequens est. Expressus videtur locus Senecæ de Benef. lib. I, c. 1: « Adeoque adversus experimenta pertinaces sumus, ut bella victi, et naufragi maria repetamus ».

22. *Perfert*, i. e. assidue et ad extremum fert: ut *perferre fetum* dicitur ad maturitatem partus gerere. Vid. notata nostra ad Calp. X, 24; et *Pervixi*, h. e. satis et ad extremum vixi, dicitur in epigr. apud Pith. lib. I, Epigr. vet. p. 29. Imitatur illud Tibulli, II, 6, 25: « Spes etiam valida solatur compede vinctum, Crura sonant ferro, sed canit inter opus ». Scaliger edidit *Perferet, et victos;* sed *perfert* alii omnes. — *Victos* etiam habet edit. Pith. item cod. Voss. et schedæ Scal. quo admisso, quoniam Spes subintelligenda esset, hinc Scioppius legi voluit *hæc victos.* Sed *victus* jam legendum suaserunt Scaliger et Pithœus, uterque in margine, idque omnino constructioni aptius et ad sensum fortius est. Duo miserorum exempla, bene sperantium, proferuntur, captivus et victus: captivus perfert catenas suas, et victus etiam vincere se posse putat.

23. *Infami stipite:* crucem commissam intelligi, indicat *districtus:* nam minus bene *destrictus* cod. Voss. et sched. Scal. In eamdem sententiam Seneca, ep. 101: « Invenitur, qui velit adactus ad infelix illud lignum, ... trahere animam tot tormenta tracturam? » et Ovid. Pont. I, 6, 38: « Atque aliquis pendens in cruce vota facit ». — *Fixa cruce*, quæ sequitur, significari videtur σκόλοψις, vel *adactus per medium hominem, ut per os emergat, stipes*, ut describit Seneca l. c. et quo intelligendus versus Mæcenatis ibidem productus: « Vita dum super-

Sperat et a fixa posse redire cruce.
Spem, jussus præbere caput, paloque ligatus,
Quum micat ante oculos stricta securis, habet.
Sperat et in sæva victus gladiator arena,
Sit licet infesto pollice turba minax.
Et, cui descendunt jugulo tinctoria toto,
Spem, quamvis lecto jam referatur, habet.
Spem recipit carcer foribus præclusus ahenis:
Spes et in horrendo robore parva manet.
Spes Marium movit turpi se credere limo,
Et tantum furto vivere velle virum.
Hæc illum Libyæ penetrare in litora victæ
Jussit: et o Superi, quis fuit ille dies,
Quo Marium vidit supra Carthago jacentem!

est, bene est. Hanc mihi, vel acuta Si sedeam cruce, sustine ».

25. *Paloque ligatus.* Ad palum deligari, et virgis cædi prius solebant noxii, quam securi percuterentur. Exemplum est apud Liv. XXVI, 16.

28. *Infesto pollice*, ut *infestos spectatores* dixit Suet. in Cæs. c. 26. Pariter Juven. III, 36: « Munera nunc edunt, et verso pollice vulgus Quemlibet occidunt populariter ». Et Prudent. in Symm. II, 1097: « pectusque jacentis Virgo modesta jubet converso pollice rumpi ».

29. Scaligeri et Pithœi editiones corrupte exhibent: « Et qui decenti jugulo tinctoria moto ». Sed vid. Excursus ad hanc Eleg.

31. *Spem recipit carcer.* Similiter Ovid. Pont. I, 6, 37: « Carcere dicuntur clausi sperare salutem ».

32. *Robur* vocatur arca robustea, vel locus angustior in carcere, e robore constructus, quo includebantur servi, et alii, de quibus atrocius supplicium sumendum esset. *Robustum carcerem* vocat Plautus, Curcul. Act. V, 3, 14. Cicero pro Mil. c. 22: « Subito accepti in quæstionem, tamen separantur a cæteris, et in arcas conjiciuntur, ne quis cum his colloqui possit ». Lucanus, II, 125: « Sæva tribunicio maduerunt robora tabo ». Conf. Turneb. Advers. XXIII, 21.

33. *Turpi se credere limo.* Narrat Velleius Paterculus, II, 19: « Marius post sextum Consulatum, annosque LXX, nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus extractus arundineto, circa paludem Maricæ, in quam se fugiens abdiderat, injecto in collum loro in carcerem Minturnensium perductus est ».

34. *Furto vivere*, h. e. clam et precario, quod velle indignum viro est. *Lucro* Scioppius volebat. — *Furtum facere* est celare aliquid vel clam facere. Martial. V, 50, 5. *Furto fugam abscondere* Virg. Æn. IV, 337.

37. *Supra* procul dubio corru-

Tertia par illis nulla ruina fuit.
Spes Magnum profugum toto discurrere in orbe
Jusserat, et pueri Regis adire pedes.
Spes uni nunquam potuit dare verba Catoni,
Mendacisque Deæ non tulit ille dolos.
Quid non spes audet? Priamo post Hectora mansit.
Spes fuit uxori, Protesilae, tuæ.
Orpheus infernas speravit tollere leges,
Tartareum et cantu flectere posse canem.
Spe duce per medias enavit Dædalus auras:
Et nova mirantes terruit ales aves.
Pasiphae (quid non homini sperare libebit?)
Speravit torvo posse placere bovi.
Sperat, qui curvo sulcos perrumpit aratro.
Sperat, qui ventis vela ferenda dedit.
Spes hamis pisces, laqueo captare volucres

ptum est. Optima conjectura Burmanni videtur, qui substituit transpositis literis *suppar Carthago*, i. e. eadem calamitate Mario similis. Firmatur ex Manilio, lib. IV, 47, ubi de eodem Mario: « Et jacuit Libycis compar jactura ruinis ». Et Lucan. II, 92: « solatia fati Carthago Mariusque tulit, pariterque jacentes Ignovere Deis ». Cæterum expressisse idem hoc poeta ex Velleio videtur, qui lib. II, cap. 19 extr. de Mario: « At ille cursum in Africam direxit, inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit: quum Marius adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio ».

40. *Pueri Regis*, Ptolemæi, Ægypti regis, ad quem confugerat Pompeius victus, sperans ab eo gratiam beneficiorum, quæ in patrem ejus contulerat: qui tum *puero quam juveni propior regnabat Alexandriæ*, ut ait Vell. Paterculus, II, 53.

43. *Post Hectora*, sc. occisum, in quo ipsa Troja cecidisse, et spes salusque Phrygum occubuisse credebatur. Vid. Pentadii tumulus Hectoris, quem ipsi infra producemus.

47. *Enavit Dædalus auras*: inepte *undas* in Pithœi et Scaligeri editt. Recte Burmannus cum Heinsio et Francio substituit *auras*. Idem verbum de Dædalo usurpavit Virg. Æn. VI, 16: « Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos ». Et de auris similiter dixit Lucret. III, 590: Quum prolapsa foras enaret in ætheris auras ».

51. *Sperat, qui curvo*: adumbratum, ut alia plura, e Tibullo, lib. II, 6, 21: « Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis Semina ».

53. *Spes hamis pisces*: eadem Tibullus l. c. « Hæc laqueo volucres,

Erudit: hæc orbem bella cruenta docet.
Spes sequitur gravibus rastris mala rura domantem.
In nova se nulla cum ratione parat.
Semper adulatur, semper malefida vagatur;
Et populos, urbes, totaque regna capit.
Desertos medicis spes nunquam deserit ægros:
Defessi nunquam spem posuere rei.
Spes est, quæ classes diverso ex hoste coactas
Ducit; spes cupidos ducit in arma viros;
Et dicit: «Dura, nec te præsentia jungant:

hæc captat arundine pisces, Quum tenues hamos abdidit ante cibus».

55. *Mala rura domantem*, maligna, dura et ingrata, non respondentia labori : neque probabile puto, quod Heinsius volebat, *male*, i. e. ægre domantem.

56. Pro *In nova* Scioppius *in bona :* ego vulgatum præfero. Semper enim spes nova aggreditur captatque, quamvis vetera non bene cesserint, nec se in hæc sciat satis bona ratione moveri.

57. *Malefida vagatur*, sic ut de Fortuna Ovidius, Trist. V, 8, 15: « Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat ». Ed.

59. *Desertos medicis.* Pariter Ovid. Pont. I, 6, 35 : « Sæpe aliquem solers medicorum cura reliquit, Nec spes huic vena deficiente cadit ».

60. *Defessi nunquam.* Scioppius et Heinsius voluerunt *Confessi*, quod et Burmannus probat; vel *Defecti*.

61. *Classes diverso ex hoste.* Burmannus cum Heinsio mavult *diverso ex orbe*. Per classes intellige exercitus.

62. *Ducit in arma.* Cod. Voss. *tollit in arma :* et certe vocis *ducit* repetitio inconcinna. Burmannus conj. *pellit* vel *trudit*. — Propertius tamen, lib. II, 1, 18, eadem phrasi : « Ut possem heroas ducere in arma manus ». Ed.

63. Pithœus et Scaliger ediderunt *Et dicit, duro :* sed Burmannus posuit *dura*, ad exemplum aliorum, ut Virg. Æneid. I, 207, « Durate, et vosmet rebus servate secundis », et Claud. Bell. Get. 269, « durate parumper, inquit ». — Et sic Albinov. ad Liv. 198 : « Duravitque animum, destituitque preces »; ubi vid. Lindenb. Petron. Epigr. IV : « Ergo age, duremus, quamvis adoleverit ætas »; ubi plura in notis interpretum. Græcis est ὑπομένειν, καρτερεῖν· vid. Salmas. ad Solin. p. 346 et 776; Burm. ad Val. Flacc. I, 237 : « Iugentes durate animæ, etc. » Brouckusium quoque ita legisse colligo ex ejus imitatione in Juvenilib. pag. 467 : « Spes facit ut durem; spes me sustentat, alitque; Nec male si nunc est, et male semper erit ». Ed. — Pro *jungant* plerique legendum censent *tangant*. Burmannus tamen *frangant* mavult. — *Tangant* etiam Scriverius et Heinsius, vel *vincant*. Adsentiunt Burmanno Francius et Oudendor-

Fors varias mutat mobilitate vices.
Incerto ludit casu Fortuna per orbem;
*Et semper contra quæ fugit, atque redit ».

pius. Ovidio, Epist. IX, 6: Quem nunquam Juno, seriesque immensa laborum Fregerit, etc. » Sic in Monostichis de Moribus, apud Pithœum, p. 23: « Non læta extollant animum, non tristia frangant ». Cicero, post redit. in Senat. c. 15: « Nam quid est quod animum meum frangere aut debilitare possit »; et, pro domo, c. 36: « qui me animo nimis fracto esse, atque adflicto, loquebantur ». Sic spes *frangi* dicuntur: videndum ad Victor. Varr. Lect. XXXVII, 9; confer. Barth. ad illud Claudian. de Laud. Stilichonis, 69: « Nec contra nixus ovantem Confringas animum ». Ed. — Quid si *pungant* legamus? quod proxime ad vulgatam scripturam accedit. Cic. ad Atticum, II, 16: « Hoc ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit ». Propertio, lib. III, 8, 27: « Odi ego, quos nunquam pungunt suspiria, somnos ».

64. *Fors varias*. Dura, nam fors perpetuo mutabilis varias vicissitudines ingerit, et statim lætis rebus mutat tristia; quale est hoc Theocriti: θαρσεῖν χρῆ, φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον. Quoniam in cod. Voss. et schedis Scalig. exstabat *non vilitate*, inde Burmannus conj. *cum levitate*. Sed illa codicis scriptura ipsam vulgatam *mobilitate* confirmat.

66. *Et semper*. Sic Pithœus et Scaliger ediderunt. Pithœus tamen in margine: « Est semper, contra qua fugit, atque redit ». Barthius in Ablegm. Crit. et in Advers. XVII, 3, legit « Se semper contra quæ fugit, atque redit ». Mihi placet hæc emendatio Barthii, quæ valde confirmatur Elegiæ *de Fortunæ vicissitudine*, infr. producendæ, v. 98: « Se tamen hac semper mobilitate fugit ».

EXCURSUS

AD ELEGIAM DE SPE; v. 29, 30.

Et, cui descendunt jugulo linctoria toto,
Spem, quamvis lecto jam referatur, habet.

Quum in vexatissimo hoc versu mirum in modum fluctuent critici, ut Scioppius in Suspect. lect. lib. V, epist. 25; Barthius ad Claud. pag. 365 edit. pr. et p. 352 edit. sec. item ad Stat. Theb. II, 609, et Advers. XXIII, 17; denique Salmasius Exercit. ad Solin. p. 133, edit. Traject. ego, ne hæreat et fluctuet lector, figendam in textumque inferendam putavi lectionem, quam ex ipsa scriptura corrupta emergentem, atque unice veram et planam puto, et Burmannus maxime probavit. *Tinctorium*, *gladius*, habet glossa Isidori, quia sanguine tingitur; quamquam alii *cinctorium* malunt dici, h. e. parazonium, quod vocabulum Pomponio Melæ vindicatur, lib. II, cap. 1, *Mars omnium Deus; ei pro simulacris enses et cinctoria dedicant.* Vid. Grævii not. ad Isid. Gloss. Inde *tinctoria mens* est gladiatoria et cruenta Plinio, lib. VII, c. 7. *Descendere* dicitur gladius, qui penitus adigitur. Florus, lib. III, 10, 13, *in jugulos gladiis descendebant;* Claudianus, Bello Get. 601, *Altius haud unquam toto descendimus ense In jugulum Scythiæ;* Ovid. Metam. III, 67, *toto descendit in ilia ferro.* Alia non repeto, quæ Burmannus copiosius adduxit. Non negaverim tamen, etiam vulgatum *moto* retineri posse, ut intelligatur jugulum descendente ferro dimotum, discedens et patens, quemadmodum vulnus ipsum discedere, absistere, hiare dicitur. *Dimovere* hoc sensu dixit Severus in Ætna, v. 505: *Vix cuneis quisquam fixis dimoverit illam.* In Prudentio, Cathem. XII, 115, codex Egmondanus habebat: *Quo plaga discedat patens*: Heins. *descendat.* Gratius, Cyneg. 352:

licet alti vulneris oræ Abstiterint. Item auctor, Halieut. v. 42, vulnus *laxatum* et *ora patentia* dicit.

Altero versu verba *quamvis lecto jam referatur* respiciunt morem Amphitheatri, quo gladiatores mortifere vulnerati, et semivivi, ex arena referebantur in spoliarium, ut ibi et tentarentur vulnera, et prorsus necati spoliarentur. Vulgatum quidem, unco tracta esse cadavera occisorum in spoliarium. Unde crebræ illæ acclamationes Senatus, mortuo Commodo, apud Lampridium, cap. 18 : « Gladiatoris cadaver unco trahatur ! gladiatoris cadaver in spoliario ponatur ! » Sed hoc in manifeste mortuis, et in strage cumuloque occisorum, ubi delectui et observationi vix locus erat, factum videtur. Sueto more ut plurimum referebantur cæsi in lecto vel lectica, ut hic noster locus docet, et quum hoc vix aliis fieri soleret, quam desperatis et mox exspiraturis, aut necandis in spoliario, hinc magnam Spei vim ostendit Poeta, quod in iis etiam maneat, qui jam lecto referantur; quamquam et hoc in dubium vocare videtur Seneca, epist. 94: « Numquid aliquem esse tam cupidum vitæ putas, « ut jugulari in spoliario, quam in arena malit ? » Erat hæc relatio ex arena quasi elatio mortui et deductio funeris ante mortem; eumque in finem præsto in arena erant Libitinæ instrumenta et apparatus funebris (1). Clare hoc notat, cum poetæ nostri verbis conveniens, Quintilianus, Declam. IX, p. m. 153 : « Sonabant clangore ferali tubæ, illatisque Libi- « tinæ toris, ducebatur funus ante mortem (2) ». Igitur lectica impositi per carnifices portabantur in spoliarium, et prius cauterio examinati, si quis inesset adhuc spiritus, prorsusque necati deponebantur. Et factum subinde in spectaculis

(1) Vid. Lipsius, Saturn. Serm. lib. II, cap. 22.

(2) Non agnoscit in hoc versu lectum Libitinæ Antonius *de Rooy* in Spicil. Crit. cap. 22, pag. 160, sed quia hunc locum adumbratum ex Ovid. Pont. I, 6, 39, putat, ubi sic legitur : « Hæc Dea quam multos laqueo sua colla ligantes Non est proposita passa perire nece ». Propterea existimat in τῷ *lecto* latere *laqueo*, ut hoc disticho hominem innuerit auctor, qui laqueo vitam finire decreverit : atque igitur scribit : *Spem, quamvis laqueo jam religatus, habet.* Ed.

est, ut tam tristi immanique deductioni admisceretur ludicrum et hilaritas, carnifice, qui cadavera gladiatorum referret, in formam et habitum Mercurii ψυχοπομποῦ exornato, qui eas quasi animas in Orcum deduceret. Docent hoc nos quædam Tertulliani loca, quæ quoniam necdum plane intellecta ab interpretibus, nec a Lipsio ad illustrandum Amphitheatri ritum adducta et explicata video, simul autem intelligo, iis explicandis lucem non minimam afferri huic Elegiæ loco posse, paullo curatius nunc ea conabor interpretari. Ita vero Tertullianus in Apolog. cap. XV: « Risimus « et inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium « mortuos cauterio examinantem. Vidimus et Jovis fratrem « gladiatorum cadavera cum malleo deducentem ». Ostendere vult hoc loco Tertullianus, ab ipsis gentilibus Deos suos subinde in ludis, scenis et spectaculis rideri, ludibriis et contumeliis affici. Quo refert, quod sæpe noxii genere supplicii sui Deos imitari cogantur, et gladiatorum cadaveribus etiam apponatur carnifex, homo vilissimus, qui Mercurium ψυχαγωγὸν referat, iisque suscipiendis et quasi in Orcum deducendis operam præstet. Loquitur de meridianis, qui erant non legitimi gladiatores, sed fere ii, qui ex spectaculo matutino, quo pugnabatur cum bestiis, reliqui erant facti. Hi quamvis bestias evasissent salvi, tamen meridie committebantur inter se, nudi ad internecionem dimicaturi, et nefandum humanis oculis spectaculum exhibentes; quod merito detestatur Seneca, Epist. VII, et amplius describit Lipsius, Saturn. lib. II, cap. 15. Quotquot igitur cecidissent, prius quam abstraherentur, ne viderentur non recte mortui, a Mercurio cauterio examinabantur, an quid latentis spiritus inesset, quoniam, ut poeta ait, Æn. VI, 391: *Corpora viva nefas Stygia vectare carina.* Examen illud cauterii cuspide caducei ignita et candente factum, alio similique loco, ad nat. lib. I, 10, Tertullianus docet: « Risimus « et meridiani ludi de Diis lusum, quo Dis pater, Jovis fra- « ter, gladiatorum exsequias cum malleo deducit, quo Mer- « curius in calvitio pennatulus, in caduceo ignitulus, corpora

« exanimata jam mortemve simulantia e cauterio probat ». Ex utroque Tertulliani loco simul hoc intelligitur, Ditem patrem etiam vel Orcum personatum gladiatorum cadavera *deduxisse cum malleo*. Alias quidem vulgaris auctorum phrasis est, Orcum homines *rapere*, *auferre* (1), nec aliud, quam ipsa mors intelligitur; sed hic Orcus quasi exsequias it, et gladiatorum corpora deducit. Verbum *deducere* exsequias sic explico, ut intelligatur, Ditem patrem præcedere, et cadavera post eum portari in lecto, pedibus antrorsum porrectis. Hoc enim modo deductos esse mortuos e Persii his versibus perspicitur, Sat. III, 103:

> ....tandemque beatulus alto
> Compositus lecto, multoque lutatus amomo,
> In portam rigidos calces extendit: at illum
> Hesterni capite induto subiere Quirites.

Hinc recte ex illo simulacro *Orci deducentis* explicari possunt verba histrionis, apud Suetonium in Ner. cap. 39, demonstrato Senatu hoc pronuntiantis: *Orcus vobis ducit pedes*. Discimus præterea ex hoc loco, Diti patri vel Plutoni malleum, tamquam insigne, tributum esse. Vix apud alium quempiam hoc legimus. Tantum in nummis quibusdam Thessalonicensium (2) effigies Dei Cabiri conspicitur, dextra clavem, sinistra malleum erectum gestantis: et quum Veteres memorent, plures fuisse Cabiros Deos, unumque Axiocersum nominatum pro Plutone haberi (3), haud abs re est judicare, Axiocersum in nummo exhiberi (4), atque adeo probari inde, malleum Plutonis gestamen esse. Quæ vero ratio et significatio sit mallei Diti et Orco tributi, haud

(1) Ut in Inscriptione apud Reinesium cl. XII, 30: CRASPE, FILI LEPIDISSIME, HEV HEV ORCVS QVVM TE VORAVIT, etc. ubi *Orcus te voravit* eodem sensu ac, in fragmento Petronii, quod Burmannus adducit Anthol. Lat. lib. III, ep. 126, « postquam nos auferet Orcus ». Orcus passim pro Plutone vel sepulcro ponitur. Et ὄρκον dixerunt Græci conditorium mortuorum. Ed.

(2) Qualis est a Petro Seguino in Numism. select. pag. 16, et a Montefalconio, t. I, Supplem. Antiq. tab. LXXXIII, allatus.

(3) Vid. Scholiastes Apollonii Rhodii ad lib. I, v. 917.

(4) Vid. Schwartzius, de Diis Clavigeris, p. 21.

plane manifestum est. Illa mihi maxime probabilis videtur, respici ad ritum maetandi victimas in sacrificiis, quando, ut Ovidius, Metam. II, 626, indicat,

> .... dextra libratus ab aure
> Tempora discussit claro cava malleus ictu.

Morituri aperte dicuntur habenturque *victimæ nil miserantis Orci*, Horat. Carm. II, 3, 24. Quemadmodum igitur Proserpina credebatur morituris crinem auferre, et sic Orco damnare, quoniam victimis inferorum mos erat pilos, tamquam primitias resectas igni comburere (1); ita Plutonem puto pro victimario habitum, qui Orci victimas malleo quasi conficeret, et plane morti dederet. Præterea exprimitur malleo dura fatorum lex, et moriendi necessitas. Nam si eam sæpe *ferream* et *aheneam* vocant poetæ, si eidem *clavos* trabales et *cuneos* tribuunt (Horat. Carm. I, 35, et III, 24), quibus defigere dicunt homines; pronum est, etiam Plutoni malleum tribui, quo duros illos fati clavos et cuneos adigat. Hæc ratio mallei, Diti attributi, quum satis aperta sit, non est, ut in sententia Schwartzii acquiescamus, qui malleum Cabiri ad ejus ortum ex Vulcano et Cabira, Protei filia, quem Strabo, lib. X, p. 472 prodit, itemque ad ejus cultum, sacris Vulcani aliquanto similem, denotandum refert. Cæterum quod mimus ille Ditis patris cum malleo egit in amphitheatro, videtur fuisse ludicræ sævitiæ genus, quo cadaveribus cauterio Mercurii probatis, ad certiorem iis mortem inferendam, malleum incussit, capitaque eorum et ossa comminuit. Hac ratione mallei exposita, carere omnino Havercampi ad Tertulliani locum interpretatione possumus, quæ sane coacta nimis et longius petita videtur. « Credo, inquit, scenam ideo repræsentatam, quia finge« bant, nihil nostri nisi tenues umbras quasdam et simulacra, « *modis pallentia miris*, permanare ad Orcum. Jam vero « Pluto cum malleo fuit introductus, qui tamdiu nitida et « saginata ista gladiatorum corpora, præsertim si animæ

(1) Vid. Lomeier de Lustrat. p. 336.

« quid a cauterio Mercurii fuisset excitatum et latentis spi- « ritus appareret, tunderet, atque, ut aurifabri metalla, di- « duceret, donec nihil nisi trama figûræ, ut cum Persio « loquar, reliquum esset, quod expedite Plutonium suum « regnum subire posset. »

— Restat ut varias doctorum sententias de primo horum versuum referam, a quo statim ad secundum digreditur Wernsdorfius ut locum Tertulliani illustret. Et primo Scioppius, loco cit. tentat, *jugulo victoria: noto*, etc. Salmasius, in Plinianis Exercitt. p. 188, ed. Paris. corrigit: « Ut cui detenta in jugulo tinctoria muto ». Barthius ad Claud. prim. ed. dat: « Et qui jugulo tincta arma recepit ». Sed in secundis curis ita adfert hunc versum : « Et cui cedenti jugulo tincta arma notavit ». Idem in notis ad Stat. Theb. II, 609, corrigit: « Et cui descendit jugulo victoria toto ». Diversis etiam divinationibus Heinsius, adfecto huic loco succurrere tentavit, emendando: « Et cui descendit jugulato in pectora mucro », quæ ultima emendatio Burmanno arridet. Adsentior vero Wernsdorfio ut *tinctoria* in textum admittatur; nec me movet tantum Isidori Glossarium *Tinctorium gladius*, sed et quod apud Plinium, *tinctoria mens*, lib. VII, cap. 7, legitur, pro crudeli, seu animo gladiatorio, ut recte legunt Turnebus et Salmasius. Cæterum ad exempla quæ de usu τοῦ *descendere* afferuntur, addere licet Lucan. I, 31 : « Nulli penitus descendere ferro Contigit », ubi male in plerisque cdd. *discindere. Descendunt jugulo tinctoria toto*, quæ in jugulum penitus adiguntur; quod eleganter exprimit Statius, Theb. X, 812 : « Hæc erat, hæc metuenda manus, ferrumque, quod amens Ipsa dedi : viden' ut jugulo consumpserit ensem? Altius haud quisquam Danaum mucrone subisset ». Ed.

XI.

SULPICII LUPERCI SERVASTI JUNIORIS

DE

CUPIDITATE.

Heu! misera in nimios hominum petulantia census,
Cæcus inutilium quo ruit ardor opum?
Auri dira fames et non expleta libido
Ferali pretio vendat ut omne nefas.
Sic latebras Eriphyla viri patefecit, ubi aurum
Accepit turpis materiam sceleris.
Sic quondam Acrisiæ in gremium per claustra puellæ

1. *Petulantia in census :* pro cupiditate divitiarum improba et immoderata, insolens et novum est.

2. Heinsius scribere voluit *quo ruis*, sed nihil mutandum.

4. *Venditat omne nefas* Heinsius. Supra in Petronii Fragm. I. 4, « nummis vendere verba solent ».

5. *Latebras viri*, Amphiarai, quibus se absconderat, ne ad bellum Thebanum proficisceretur. — Rem narravimus ad Ausonii Cupid. cruc. tomo I Poet. min. Ed.

6. *Materiam sceleris*, perfidiæ et proditionis. Respexit fortasse Statium, Theb. IV, 211 : « Sic Eriphylæos aurum fatale penates Irrupit, scelerumque ingentia semina movit ». — Vid. Vinetus ad Ausonii Cupidinem, v. 26 ; et Horatii Carm. III, 16, 13 : « Concidit auguris Argivi domus ob lucrum Demersa excidio ». Ed.

7. *Acrisiæ puellæ*, Danaes Acrisii, Argivorum regis, filiæ. Confer. Horat. Carm. III, 16, 1. — Et huic loco similia habentur apud Columb. Carm. III ad Fedol. Ed.

Corruptore auro fluxit adulterium.
O quam mendose votum insaturabile habendi
Imbuit infami pectora nostra malo!
Quamlibet immenso dives vigil incubet auro;
Æstuat augendæ dira cupido rei.
Heu mala paupertas nunquam locupletis avari!
Dum struere immodice, quod tenet, optat, eget.
Quis metus hic legum, quæve est reverentia veri,
Crescenti nummo si mage cura subest?
Cognatorum animas promptum est, patrumque cruorem
Fundier: affectus vincit avara fames.
Divitis est semper fragiles male quærere gazas;
Nulla huic in lucro cura pudoris erit.
Istud templorum damno exitioque requirit;

8. *Corruptore auro:* nomen diversi generis pro adjectivo positum, non insolens. In Pentadii Carm. VI infra producendo *lenones undæ.* — *Fluxit adulterium,* h. e. adultero aditus patefactus est. — Conferendus cum hoc versu Ovid. Am. III, 8, 29: « Jupiter admonitus nihil esse potentius auro, Corruptæ pretium virginis ipse fuit ». Ed.

10. Pro *imbuit* Burmannus legi posse putat *induit*, quia hæc verba sæpe permutata a librariis: sed num propterea hoc rectius?

11. *Vigil incubet auro,* possideat et custodiat: *incubare* solenne de divitiis studiose servatis, quibus ipse non utitur avarus. Virg. Æn. VI, 610: « Aut qui divitiis soli incubuere repertis ». Conf. Georg. II, 507, et Martial. XII, 53; « incubas gazæ, ut magnus draco, etc. »

14. *Struere immodice,* scil. divitias, ut Horat. Carm. II, 3, 19: « et exstructis in altum Divitiis potietur hæres ». Ed.

16. *Si mage cura subest,* h. e. si major cura habetur nummi, vel, si major cura nummum sequitur. Nam respexit Horatium, Carm. III, 16, 17: « Crescentem sequitur cura pecuniam ». — *Crescere* de divitiis et divitibus fere proprium. Juvenalis, XIV, 139: « Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit ». Petronius, cap. 38, *de nihilo crevit,* et cap. 43, *ab asse crevit.*

17. *Patrumque cruorem Fundier.* Cod. Voss. *Fratrumque.* Pro *fundier* Pithœus in notis reponit *Fundere et affectus.* Conferendi cum his loci Virgiliani, quos Poeta respexisse videtur, Æn. III, 55: « Polydorum obtruncat, et auro Vi potitur: quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames! » et Æn. VI, 621: « Vendidit hic auro patriam, etc. »

21. *Istud . . . requirit,* h. e. Istud lucrum quærit sibi et occupare studet, etiamsi non aliter, quam cum summo scelere, sacrilegio et rerum sacrarum damno parare possit.

Hoc cælo jubeas ut petat, inde petet.
Mirum, ni pulchras artes Romana juventus
Discat, et egregio sudet in eloquio;
Ut post jurisonæ famosa stipendia linguæ,
Barbaricæ ingeniis anteferantur opes.

22. *Hoc cælo jubeas.* Imitatur Juvenalem, III, 78 : « Græculus esuriens in cælum, jusseris, ibit ».

23. *Mirum, ni pulchras.* Per ironiam hoc vult dicere : Mirum non est, si Romana juventus artes et eloquentiam negligat, quia omni studio nihil consequitur aliud, quam ut post multa studia esuriat, et ingeniis videat opes anteferri. Respexisse locum Ovidii videtur, Art. Am. I, 459 : « Disce bonas artes, moneo, Romana juventus, Non tantum trepidos ut tueare reos, etc. » Cæterum ex hoc versu colligere licet, Sulpicium Lupercum non modo stante adhuc Romana re publica vixisse, sed et rhetorem vel artis oratoriæ professorem fuisse. — Pari sententia concludit epigramma similis plane argumenti in Burmanni Anthol. Lat. lib. III, 73 : « Non ergo mirum si quisquam pravus et excors Divinos vates nullius esse putat ». Ed.

25. *Ut post* multam operam forensem et emerita eloquentiæ stipendia negligantur tandem ingeniosi homines, atque iis divites, cætera barbari, anteferantur. Sic posthabitis aliorum interpretationibus, quæ verum sensum minus attingunt, versus hos intelligo, et videtur Sulpicius idem queri, quod ille apud Petron. fragmento III, supra in Satiricis prolato : « Sola pruinosis horret facundia pannis, Atque inopi lingua desertas invocat artes ». — Meo quidem sensu pro Petronii fragmento quod hic adducitur, aptius poterant alia verba quæ apud Petronium, cap. 84, sequuntur, allegari, ex quibus ipsis Sulpicius Lupercus videtur suam querelam formasse : « Qui solas exstruere divitias curant, nihil volunt inter homines melius credi, quam quod ipsi tenent. Jactantur itaque, quacumque ratione possunt, literarum amatores, ut videantur illi quoque infra pecuniam positi ». Ed. — Perperam et ex vitio sæculi sui Lupercus primam syllabam in voce *stipendia* corripuit, quod et Sidonium Apoll. fecisse, Barth. Advers. XLIX, 18, observat; sed Cat. Thet. et Pel. 173, et Hor. Epod. XVII, 36, eam producunt. Ed. — *Jurisonæ linguæ*, quæ caussas agens in foro jura et leges sonat. Id novum verbum esse notavit Vinetus ad Auson. pag. 595. Sine gravi caussa Heinsius emendare voluit : « Ut post jurgisonæ clamosa impendia linguæ ». Jurgia et clamores fori, alias invidiosos, hic non reprehendit Sulpicius, sic enim sua ipse vineta cæderet, sed potius famam, quæ ex opera forensi quæritur, hinc *famosa stipendia.* Vestritius Spurinna, Ode II, 10, « contemptrix queruli magnanima fori ». Ubi vid. notata.

27. *Honestum fœdus*, quod hoc loco intelligat Lupercus, non possum aliud ex tota orationis compage colligere, quam ut sit societas ea, vel pactum, quo parentes rhetorem conducebant filiis suis ho-

Atqui sunt, quos propter, honestum rumpere fœdus
Audeat illicite pallida avaritia.
Romani sermonis egens, ridendaque verba
Frangit ad horrificos turbida lingua sonos.
Sed tamen ex vultu adpetitur spes grata nepotum:
Saltem istud nostri forsan honoris habent.
Ambusti torris species, exesaque sæclo

nesta disciplina instituendis: qualis pacti et moris multa exempla in antiquitate inveniuntur. Queritur Lupercus, ut professione rhetor, avaritiam quidem et divitiarum amorem in caussa esse, quod rara juventus operam dare eloquentiæ, parum lucrosæ, velit, sed esse etiam inter ipsos rhetores, qui avaris prætextum suppeditent, quo juvenes abducant a rhetore, atque adeo honestum illud fœdus disciplinæ, aut pactum cum præceptore initum, rumpant.—*Atqui sunt*, sc. quidam rhetores, vel eloquentiam professi, *quos propter*, h. e. quorum ob culpam. His observatis locum non habet emendatio Heinsii *Atque hi sunt*; nec ea Swarthii: *Ad quæstum quas propter* (*opes* nempe) *honestum rumpere fœdus*.

29. *Romani sermonis egens.* Jam describit rhetorem ejusmodi, quem putat in culpa ejus contemptus esse. Nam, inquit, lingua quorumdam, eloquentiam profitentium, nec vera Romani sermonis facultate pollet, nec pronuntiatione etiam, quæ commendare orationem possit, dum verba in se ridenda et barbara turbide enuntiat, et sæpe horrifico fracta sono elidit. *Egent* ex vet. cod. edidit Vinetus, et exponit: Latinum suum sermonem in barbaricum commutarunt.

31. Etiam hic mire obscurum est, quid sit *spes grata nepotum*. Interim e nexu orationis sic explico: *Sed*, si oratio non commendat rhetorem, fortasse cultus vitæ et habitus est, qui honorem bonis artibus conciliet, ut parentes spem gratam liberorum vel nepotum suorum ei velint committere. — *Spes* dicuntur ipsi liberi educandi et instituendi. Petronius, cap. 4: « spes quoque suas ambitioni donant ». Virg. Æn. IV, 274: « Ascanium surgentem et spes hæredis Iuli ». Cod. Voss. et Scalig. *exultu* habuit, et in margine *ex vultu*. Burmannus cum Oudendorpio legit *ex cultu*, quod ipse probo.

32. *Saltem istud*; h. e. Fortasse istam saltem partem honoris tuentur, quæ nobis artium magistris cultu habituque externo acquirenda est.

33. *Ambusti torris species* vocatur facies plane exsucca et informis, illustraturque bene a Barthio verbis Galli Confess. cap. 9: « Facti estis quasi torris de incendio raptus ». Cætera hujus distichi verba brevitatis caussa non persequor.— Enarrat nunc habitum speciemque virorum, qui juvenum studiis præfecti sunt; nempe decrepitos, deformes, macilentos et pallidos esse, qui, quantum ipsi esuriant, ore et habitu fateantur, et nullum honorem studiis afferre possint.

Abduntur priscis corpora de tumulis.
Perplexi crines, frons improba, tempora pressa,
Exstantes mala deficiente genæ.
Simatæque jacent pando sinuamine nares:
Territat os nudum, cæsaque labra tument.
Defossum in ventrem propulso pondere tergum

34. Versus iste plane obscurus et corruptus videtur. Pithœus et Scaliger in margine notarunt, pro *abduntur* in vet. cod. legi *abtuntur* vel *abruntur*, et in alio *aptantur*, quomodo Vinetus edidit: hinc Heinsius *raptantur* conjecit, vel *raduntur*; Barthius, Advers. XXIII, 17, *larvantur* legit. Idem varie tentavit et exposuit aliis locis, ut Ablegm. crit. III, 3, et Advers. XVII, 3, XLIX, 18, et in notis ad Gallum Confess. pag. 79. Ex his nihil eligere, quod satis congruat, possum præter *aptantur*, vel, si mavis, *adduntur*. Aptantur scholis, vel adduntur pueris instituendis homines plane exsucca et macilenta facie, quasi larvæ et corpora sepulcris extracta, qui terrere quidem juvenes, quasi larvæ, possint, sed nullo in honore esse.—Plaut. Merc. V, 4, 22, *larvam* appellat senem decrepitum et amore stolidum. Confer. Casin. III, 4, 2. Et Apuleius, Metam. lib. I, pag. 5, edit. Pric. hominem *lurore ad miseram maciem deformatum* mox appellat *larvale simulacrum*. Ed.—Immo, ut opinor, *abduntur* sanum est, et significat eruuntur et amoventur, quasi de tumulis, ut *abdere domo*, i. e. amovere, ejicere, dixit Virg. Georg. III, 96, et Nemes. Cyneg. v. 141; vid. hujus Edit. tom. I, part. 1, p. 114. Ed.

36. Vinetus edidit, ut in codice Scaligeri et Voss. exstabat, *Exstantes malæ deficiente genæ*. Sed Scaliger ita corrigebat, ut apud Pithœum legitur, et nos dedimus.

37. *Simatæ nares* sunt retusæ, supinæ, contractæ, et opponuntur aduncis et aquilinis: *simas nares* dixit Calpurn. X, 34, et *simum vultum* Serenus in Moreto, v. 107, ubi vide notata. Verbo *simare* usus est Vitruvius, lib. IV, cap. 1 et 2, ubi quædam edd. *sinuare*. *Resimas nares* dixit Ovid. Metam. XIV, 95, et Colum. VI, 1. — *Jacent* retrorsum pressæ, unde *pandum sinuamen* efficiunt. Pro *Simatæque* cod. Voss. habuit *Simanosque*, et Scalig. *Simanturque;* unde Vinetus edidit *Simæ intusque*. — Heinsius egregie de hoc verbo agens inter alia affert illum Lucilii versum: « Simavit taxim ad nares delphinus ut olim ». Ed.

38. *Os nudum* videtur esse patulum albis dentibus. — *Cæsa labra* Barthius, Advers. XVII, 3, explicat *incisa*, ut *calcanea scissa* auctor Moreti rimis turpibus plena dixit. Et inde Heinsius conjecit *scissa* vel *fissa*. Ego tamen non satis video, quid *cæsa* vel *scissa* labra ad *tument*: malim igitur *crassa labra*. Martialis *labra turgida* cum sima nare jungit lib. VI, 39. — *Cassaque* conjecerat aliquando Tollius, sed vulgatam dein probabat ex Tibull. Eleg. I, 11, 37: « Illic percisisque genis, ustoque capillo, Errat ad

Frangitur, et vacuo crure tument genua.
Discolor in manibus species, ac turpius illud,
Quod cutis obscure pallet in invidiam.

obscuros pallida turba lacus »; ubi *exeisisque* substituit clariss. Brouckusius. Ed.

39. *Defossum* videtur ad *ventrem* magis, quam ad *tergum* referendum. — *Tergum frangitur*, introrsum flectitur et sinuatur, *in ventrem defossum*, demissum, profundum, *propulso pondere* abdominis propendentis. *Defossus* idem ac demissus, profundus. Corn. Severus in Ætna, v. 140: « Antraque demissis pedibus effossa latebris », ut in Moreto, v. 77, « gravis in latum demissa cucurbita ventrem », et de Domitiano Sulpicia, v. 36, « Non trabe sed tergo prolapsus et ingluvie albus ». Utroque loco vide notata nostra. Simili sententia est versus iste Persii, Sat. I, 57: « Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet ».

40. *Vacuo crure*, tenui, exili, suris et carne destituto. — Heinsius ad Ovid. Metam. VIII, 807, legit *vario crure*, forte *varo* pro incurvo, ut *varus distortis cruribus*, apud Horat. Serm. I, 3, 46. Ed. — *Tument genua*, quia, quo magis exile et macrum crus est, hoc crassiora esse genua videntur, sicut Ovidius de Fame, Metam. VIII, 807: « Auxerat articulos macies, genuumque rigebat Orbis, et immodico prodibant tubere tali ». Vid. quæ dixi ad Sereni Mor. v. 35.

41. *Discolor in manibus species.* Pro *discolor* haud dubie legendum *decolor*, quod cum altero sæpe commutant libri, et hoc loco præferebat Heinsius. — Et hic legendum esse: *Decolor, immanis species*, rectissime vidit Schraderus, ut indicat Petr. Burmannus in Mantissa ad tom. I Anthol. Lat. p. 736. Ed. — *Decolor* autem est, qui nativum colorem amisit. — *Ac turpius illud* conj. Burman. Ed.

42. *Pallet in invidiam*, h. e. pallore invidiam, qua ipse torquetur, prodit, ut supra *pallidam avaritiam* dixit v. 28. — *Obscure*, ex more hominum, qui obscure et contemptim vivunt: *obscura* omnia ærumnosa et tristia. *Obscura diligentia* Terentius, in Prol. Andr. v. 21.

XII.

INCERTI

ELEGIA

DE

FORTUNÆ VICISSITUDINE.

TEMPORE qui læto sortem ridemus amaram,
Certa velut stabiles non Dea verset equos;
Cur idem adverso lætam venamur in æstu?
Ah! mea tam bene quod cognita caussa mihi est!
O qui carorum caput, o carissime quondam,
An potes et miseri nunc meminisse tui?
Est equidem in lætis nemo non promptus amicus,
Ipsa homini adversis umbra inimica sua est.

1. Editor collectionis Poetarum Pisaurensis hic legit, nescio cujus auctoritate, *sortem redimimus amaram*. Ed. — *Ridemus*, contemnimus, minime timemus.

2. *Certa velut*, h. e. quasi Fortuna dea certa et immutabilis sit. — *Equos* qui Fortunæ adscripserit, equidem neminem alium Veterum scio: sed noster poeta, qui rotam sciebat tribui, equos etiam posse putabat; vid. v. 82. Et insignia Deorum, ejusdem significationis, sæpe permutantur. Ut hic Fortuna equos habet, cui alias alæ tribuuntur, sic Aurora, quæ alias equos, alas habet in monumento apud Begerum, Spicil. antiq. p. 84. *Aquas* pro *equos* hic legere, quod Oudendorpius volebat, nihil profuerit.

3. *Adverso in æstu*, pro rerum adversarum molestia. *Æstus* serioris ætatis poetis videtur pro quavis ærumna et labore positum, ut observavimus ad Olympii Laudes Herculis, v. 12. — Et hæc Burmanno mira et insolens locutio videtur. Ed.

5. Distinguendum puto *O qui carorum caput*, sc. meorum es, *o carissime quondam!*

8. *Ipsa homini adversus*. Burmannus corrigit *Ipse homo in adversis*.

Tantalus infelix, dicunt, conviva Deorum,
  Nunc quoque apud manes victima sacra Jovi est.
Usque adeo pœnas non delent ultima fata!
  Qui cecidit Divis, surgere nemo valet.
Scilicet et nobis, qui functo corpore nuper
  Dura per antiqui busta fugamur avi,
Perfida felices ostendit regula Divos;
  Et voluit sanctis partem aliquam esse locis:
Non alio exemplo, nisi ut eruta turbine diro

Ego malo *Ipsa homini adversis*, sc. in rebus.

9. *Conviva Deorum* est ex Horat. Carm. I, 28, 7. Ed.

10. *Victima sacra Jovi est*, i. e. per continuos cruciatus quasi perpetuo moritur, ut quemvis mortalem *victimam nil miserantis Orci* dicit Horatius, Carm. II, 3, 24; et vid. quæ ad Eleg. de Spe, v. 30, in Excursu diximus.

12. *Qui cecidit Divis*, h. e. quasi victima Divis devota. Nec necesse est, quod Burmannus suadet, « Qui cecidit, vivus surgere nemo valet ». — Interpretor *qui cecidit Divis*, qui ab ipsis Divis victus et afflictus est, ut Gratius dixit, Cyneg. v. 315: « Sic et Achemenio cecidisti, Lydia, Cyro ». Ed.

13. *Scilicet et nobis*. Hæc cum sequentis distichi verbis *ostendit regula Divos* cohærent. Cætera valde obscura et ænigmatica sunt. Quantum hariolari possum, videtur hic queri aliquis, qui in sacrum ordinem et in monasterium detrusus, initio duram et tristem disciplinam subierat, ubi quasi *functo corpore*, vel mortuo similis, *fugari*, h. e. in fuga omnis jucundioris vitæ transire *per busta antiqui avi*, h. e. illius, qui parens et conditor ordinis in illo monasterio sepultus erat, videbatur, et inter hæc spem aliquam dignitatis et honoris consequutus erat, sed subito casu adflictus et dejectus, ad miseriamque redactus fuerat. Etsi hæc prodere auctorem Christianum, et sacri ordinis virum, videntur, ipsum tamen carmen minime Christiano sensu, sed profano et vindictæ cupido animo, planeque ad mentem et exempla gentilium, scriptum est. — Quod hic se *functo corpore* fuisse dicit in monasterio, id plane convenit cum descriptione monachi, qua utitur Rutilius, Itiner. lib. I, v. 518: « Perditus hic vivo funere civis erat ». Ed.

15. *Regula* quænam hoc loco dicatur, difficile intellectu est, nisi sensu ecclesiastico de regula ordinis religiosi vel monastici capere velimus. Hæc *regula ostendebat* auctori *felices Divos*, i. e. fortunam vel spem felicitatis faciebat falsam et fallacem, unde *perfida* dicitur. Usurpavisse videtur hanc phrasin Calpurnii, 162, *Ostenditque Deos*, vel, quem hic imitatus est, Virgilii Ecl. I, 42, « Nec tam præsentes alibi cognoscere Divos ».

16. *Sanctis locis*, in ecclesia vel monasterio.

Desereret media nos rota fracta via.
Ah! mihi præteritos referant si numina vultus,
Non etenim veterem, te, nova plaga, queror.
Ut facili amissos adblandiar ore favores,
Tura ferens dignis, carmina læta, Deis.
Ut gravis hiberno torrens de monte volutus
Obvia non magna arbuta verrit ope;
Sæpe domos etiam, sæpe addita mœnia raptat,
Currens præcipiti per juga longa via:
Sic simul atque uno nos abstulit improbus ictu,
Mentem etiam et Musis pectora nota, furor.
Altus eram certe: sortis furor omnia vicit,
Obvius ut quisque est, Tu mihi, clamo, veni.
Improbus est, quisquis non, hæc spectacula cernens,
Fortuna instabili se quoque stare putat.
En ego nec caros habeo miserandus amicos,

21. *Adblandiar favores*, h. e. blandiendo acquiram: *eblandiar* corrigendum putat Burmannus, quod sane elegans et melioribus usitatum est; nescio tamen, an satis certum pro latinitate serioris ævi, quod novare significationes solet.

22. *Carmina læta, Deis.* Per Deos intelligere primates rei publicæ vel ecclesiæ videtur.

23. *Ut...torrens de monte volutus*, nempe nivibus montium verno sole liquefactis. Virgil. Georg. I, 44: Vere novo gelidus canis quum montibus humor Liquitur ». Et Horat. Carm. IV, 2, 6: « Monte decurrens velut amnis, imbres Quem super notas aluere ripas ».

24. *Arbuta verrit ope.* Burmannus emendat *robora*. Sed hiatum fere negligunt deteriores poetæ, et *arbuta* seriore ætate pro arbustis vel arboretis dicta. Vid. Calpurn. VII, 72. Neque *verrit* sollicitandum, i. e. trahit, ruit, rapit. Silius Ital. IV, 524: « Obvia passim Armenta, immanesque feræ, silvæque trahuntur ». Valerius Flaccus, III, 102: « subitum ecu pastor ad amnem Spumantem nimbis, fluctuque arbusta ruentem ».

26. *Currens.* Barthius habet *torquens*, male.

27. *Sic semel* habent editi: ego *simul* substituendum putavi.

28. *Musis pectora nota.* Burmannus conj. *vota* pro sacrata, addicta, quæ et sæpe confunduntur. At hic rectum aptumque est *nota*, i. e. adsueta, usu et consuetudine cognita. Sic Elegia ad Messal. v. 1: « Pauca mihi, niveo sed non incognita Phœbo ». *Vota* vel dicata Musis pectora auferri non possunt, at *nota* possunt, usu et familiaritate Musarum intercepta.

A quibus auxilio verbave remve petam.
Unicus est, qui me non plane spernit egentem;
Cætera contempto supplice turba fugit.
Quid faciam infelix? quæ non nisi in omnibus uni est,
Sollicitem longo carmine sæpe fidem?
Fracta fides crebro est precibus lugentis amici;
Hac tamen amissa non mage tristis ero?
Vos Superi, et quorum es merito mihi numinis instar,
Quem nunquam posthac spero videre, parens;
Unius in gremio spes nostra abjecta sodalis
Tabet, et absentis perdita verba sonat.
Ille juvet forsan, sed verba immensa loquutis
Facta brevi constant non repetenda modo:

34. *Auxilio*, h. e. in auxilium meum, ad me juvandum et consolandum. Insolens autem phrasis, nec tamen absurda est, *petere verba* vel *rem auxilio*, h. e. solatium alicujus vel opem expetere, ut levamentum accipiamus in rebus adversis.

35. *Unicus est*, etc. Oudendorpius emendabat *Unicus es* et *spernis egentem*, quia superius dixit v. 5, « o carissime quondam, An potes ».

37. *Quid faciam infelix?* Burmannus observat, hanc formulam esse optimis poetis usitatam de turbatis et consilii egenis. Vid. quæ ipsi de hac notavimus supra ad Petronii fragmentum I, et ad Eleg. II, v. 39. Tale est *quid facerem?* apud Virg. Eclog. I, 41, et *Heu! quid agam*, Æn. X, 675. Ad illud *non nisi in omnibus uni est* notaverat Oudendorpius, dicendum fuisse *ex omnibus* sive omnium, sive in nullis, præter te unum. Posset sic emendari, *quæ tantum ex omnibus uni est*.

44. *Tabet*, liquitur et consumitur spes, dum *in unius gremio abjecta* est, nec ulterius pergere audet. — *Et absentis perdita verba sonat*, h. e. et verba precesque suas perdit plerumque et frustra fundit, quia ab absente et longe remoto funduntur. Videtur esse similis sententia pastoris Calpurniani, IV, 48: « longe sonantia vota Scilicet extremo non exaudiret in orbe ».

46. *Facta brevi constant*. Obscura hæc et forsan corrupta sunt. Sensus præcipue vertitur in verbo *constant*, quod media latinitas subinde usurpasse videtur pro *stare*, subsistere, cessare. Vid. Cangii Gloss. in *constare*. Unde sic explico: *Sed*, qui *verbo immensa loquuti* sunt, magna et difficilia promiserunt, his plerumque *facto constare*, subsistere vel cessare solent (vel hi plerumque verba sua factis probare cessant), *brevi non repetenda modo*, quia non breviter facileque repeti ab eo, qui promisit, flagitari urgerique possunt. Similia fere sunt hæc Tibulli, II, 6, 11: « Magna loquor, sed ma-

Scilicet in somnis quæ poscunt plurima Divos,
  In fratrum auxiliis experietur inops.
Nos ubi præteritis componimus orsa sequuti
  Temporis, his etiam credere Fata vetant.
Interea rapit hora, nec est reparabilis, horam;
  Nos lenta placuit tabe perire Deo:
Ut pereunt miseri, quos vitæ fructus ademptus
  Deseruit, nulla post reparandus ope.
Tempore non illo Priamum periisse putabis,
  Quo jacuit Teucro litore truncus iners;
Verum ut Thessalicis circum sua mœnia funus
  Hectoreum rapuit, fortior hostis, equis.
Non ea post ductos victo ex Oriente triumphos
  Exstinxit Magnum, quæ tulit, hora, caput;
Illa illum exstinxit, campis congressa Philippis
  Cæsarea populum quæ ruit, hora, manu:
Scilicet hic vitæ finis, qui finis honorum est;
  Cumque sua pereunt prosperitate viri.
Sic quod heri vixi, quia jam nox altera præsto est;
  Non illud tempus quod modo duco, vocem.
Quæque dies sibi vita sua est, quum transiit illa,

gnifice mihi magna loqnuto, etc. ».

47. *Scilicet in somnis.* Etiam hæc ἀσύστατα et obscura, fortasse sic evolvenda: *inops in fratrum auxiliis* eadem *experietur, quæ* homines *plurima in somnis Divos poscunt*, h. e. non nisi vana omnia et somnia mera experietur. Fortasse leg. *quæ poscit pl. dives*, ut opponatur *inopi*.

54. *Reparandus ope.* Burmannus mallet *renovandus* vel *revocandus*, quia modo præcessit *reparabilis*.

56. *Quo jacuit Teucro:* expressum hoc e Virgilio, qui de Priamo, Æn. II, 557: « jacet ingens litore truncus, Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus ». Idem de Priamo repetiit Manil. IV, 64, et Seneca, Troad. v. 141.

57. *Verum ut.* Barthius volebat *Sed quum*, perperam: *ut* hic ponitur pro *ubi* vel *quum*. — *Funus Hectoreum* pro cadavere Hectoris, quod ex usu optimorum scriptorum est. Propert. I, 17, 8: « Hæccine parva meum funus arena teget? »

59. *Victo ex Oriente.* Barthius *toto ex Oriente*, quo non opus est.

61. Hic versus male formatus. *Congressa* referri videtur ad *hora*, quæ tamen *congressa Philippis* dici nequit, sed *manus Cæsarea*. Hinc

Hesternæ non est lux hodierna memor.
Quare quem fructus vivendi, vita relinquit:
Nempe quid, hoc dempto, mors nisi mœsta, venit?
Undique quæ lætis si se tristissima monstrat,
Quid miseris censes nolle parare mali?
Sæpe ferunt venti, sæpe est firmissima navis;
Mutarunt venti flamina, navis obit:
Dum cavet hos scopulos, alios incurrere nauta
Sentit, et est damno sævior arte suo.
Structa quid in magno sunt propugnacula saxo?
Humano majus sæpe labore ferunt.
Internis calidus se spiritus ingerit antris,
Cum posita rupes sic gravis arce jacet.
Tuta nec in solido rerum Fortuna favore est,
Quum minime credas, impulit illa rotam:

necessario versus sic refingendus est: « Cæsarea populum qua ruit, hora, manus », et in *Cæsarea* ultima longa fit propter cæsuram. *Cæsarea* manus *campis Philippis congressa*, sc. cum Pompeiana manu, *ruit*, prostravit, *populum*. Lucret. I, 273: « venti vis verberat incita pontum, Ingentesque ruit naves ». — Et Val. Flacc. III, 102: fluctuque arbusta ruentem ». ED. — De Philippis cf. notata Calp. I, 50.

69. *Quem fructus vivendi*, scilicet reliquit, *relinquit* etiam vita. Supra versu 53, « quos vitæ fructus ademptus Deseruit ».

74. *Mutarunt.* Burmannus mavult *Mutarint*, pro si mutarint.

75. *Hos scopulos.* Perperam Barthius edidit *hoc:* apud quem versu seq. etiam *serior* pro *sævior.*

76. *Damno suo* est casus tertius. — *Arte* fit, ut *sævior* sit in damnum.

78. *Humano majus.* Sæpe sunt propugnacula tam grandia et immania, ut saxum ipsa ferant, quod humano labore vix moveri tractarique possit. Hinc non aptum videtur *ruunt* pro *ferunt*, quod Burmannus opinatur scribendum.

79. *Internis calidus.* De terræ motu videtur sermo esse. Sic de Ætna Severus, v. 151: « Hinc terræ tremor, hinc motus; ubi densus hiatu Spiritus exagitat venas, cessantiaque urget ».

80. *Sic*, ubi spiritus se ingessit antris et erumpere conatur, *jacet*, diruta et collapsa, *rupes gravis cum arce*, quæ in ea *posita* est.

81. *In solido favore:* ubi favor ejus perpetuus, constans et firmus videtur. Sic *mentem solidam* Horat. Carm. III, 3, 4.

82. *Impulit illa rotam:* ad exemplum Claudiani, Bello Get. 631: « Sed Dea, quæ nimiis obstat Rhamnusia votis, Ingemuit, flexitque rotam ». Tibull. I, 5, 70: « Versatur celeri Fors levis orbe rotæ ».

Tum quoque quum nitido ridet placidissima vultu,
Turpis in averso pectore fucus inest.
Elevat incautum, sperantem maxima nutu
Projicit; adscendit cætera turba tamen.
Hæc ego qui possum miseris miser ipse referre,
Non poteram djetis olim adhibere fidem;
Stulta quia et votis tam credula turba beata est,
Rideat ut miseri magna monentis opem.
Sæpe mihi dixit Peligni Musa poetæ,
Nunc ego mutata quod vice dico tibi :
Credite, quis fidum Fortuna videtur asylum,
Non erit hæc vobis, non fuit illa mihi.
Pendet ab axe suo vitæ variabilis ordo.
Nulla sui certa est hora, nec ulla fuit;
Quumque nihil possit longi fuga mobilis ævi,
Se tamen hac semper mobilitate fugit.
Sed vitam incertam sequitur miserabile letum:
Humanas inter sola ea certa via est.
Stultus et indoctus, qui, quum non nesciat, illo
Eximi ab innumeris tempora lassa malis,
Hoc tamen extremo timet et fugit undique nisu.
Quod sequitur fortem, quod timidumque premit.

84. *In adverso pectore* vel *averso tergore* scribendum putat Burmannus cum Oudendorpio.

85. *Sperantem maxima*. Burmannus vult *spirantem maxima;* quod minus aptum huic loco est : *sperans* h. l. opponitur *incauto*, qui nihil prævidet; sed *spirans maxima* æque incautus esse solet.

88. *Adhibere fidem*, pro credere, phrasis nova et improbata, nec ante sæculum IV in scriptore quopiam reperiunda. Ausonius, Epist. X,-1 : « Si qua fides falsis unquam est adhibenda poetis ». — Et Auct. Rhet. ad Herenn. IV, 12, in cod. Pith. En.

93. *Fidum asylum*, tutum nec mutabile perfugium. In sequente legendum videtur *Non erit hoc vobis*, sc. fidum asylum.

95. *Ab axe suo*, quasi rota vel orbis.—*Sui certa est*, suarum rerum tenore et æquabilitate gaudet.

97. *Quumque nihil possit*. Corruptum hoc esse Barthius notat in margine. Burmannus legendum suadet *prosit*.

104. *Quod sequitur fortem*. Videtur imitatus Horatium, Serm. II, 7, 115 : « Jam somno fallere curam

Vita tamen dulcis; quid si magis altera restat?
  Mors gravis? an scimus non graviore premi?
Altior at miseris cura est, dolor ossibus hæret:
  Verba cadunt pulchre, pectora mœror edit.
Sic ego, qui medicas aliis dare molior herbas,
  Nullius credam vulnera nostra manu.
Una sed in cunctis data sunt solatia curis,
  Sustineant lapso quæ mihi membra pede.
Nulla, licet tenuis linquat spiramina vitæ,
  Absque intervallo sors truculenta fuit.
Nempe quia est miseris aliquod quoque numen amicum;
  Qui patitur, nullis spernitur ille Deis.
Venit ubi ad summum, non progressura ruina est;
  Sed stetit et retro est viribus acta suis.

Frustra : nam comes atra premit sequiturque fugacem ». — Et idem, Carm. III, 1, 40 : « Post equitem sedet atra cura ». Ed.

110. *Manu* posuit pro *manui*, more haud infrequente poetarum sequioris ævi. Vid. Olympii Laud. Herc. v. 59. — Immo Propert. Eleg. II, 1, 68 : « Tantaleæ poterit tradere tela manu », pro *manui*. Ed.

112. *Sustineat* : quæ me jam pede prolapsum sustineant quodammodo, ut possim subinde erigi. Ovid. Her. III, 142 : « Sustinet hoc animæ spes tamen una tui ».

113. *Nulla*. Hoc scilicet unum solatium habeo, quod expertus scio, quamvis me sæpe infortunium ita truculentum perculerit, ut vix tenuem trahere spiritum permitteret, nullum tamen adeo perpetuum fuisse, ut sine ulla intermissione cruciaret. — *Tenuis spiramina vitæ* signa et adjuncta sunt anxii et longa cura emacerati hominis. Talis Valerio Flacco inducitur Phine, IV, 436, « Tunc tenuem spirans animam ».

116. *Patitur* de afflictione vel ærumna, vulgarem pejoremque latinitatem redolet. Nam quod *pati* subinde simpliciter ponitur pro *esse* vel *vivere*, hoc idiotismum Hispanorum esse, Senecæ, Lucani, notavit Grotius ad Lucan. V, 313. — *Nullis spernitur ille Deis*. Hoc pluribus verbis exponit Ovid. Pont. III, 6, 21 : « miseris cælestia numina parcunt, Nec semper læsos et sine fine premunt ». Ed.

117. *Venit ubi ad summum*. Forte hoc sumptum ex Horat. Epist. II, 1, 32, « Venimus ad summum fortunæ ».

118. *Sed stetit*, substitit, et post summam contentionem sua ipsius vi retro acta cessit. Talis sensus Horatiani versus est, Carm. III, 10, 10 : « Ne currente rota funis eat retro ». Ubi vid. interpretes ; et Virg. Æn. II, 169 : « Ex illo fluere et retro sublapsa referri Spes Danaum ».

Ipsa quoque et bustis extollier ossa videmus,
Cum patria coluit relligione Nepos.
Diruta murali tormento saxa feruntur;
Erigit his alio mœnia Marte labor.
Infelix quisquis nocet infelicibus unquam,
Hic meruit nullo tristia fine pati.
Omne quod hic cernis, tenuis modo corporis umbra est,
Vix macie exesis artubus ossa traho.
Rarus aperta movet procul internodia poples,
Consedit genubus tractus ab ore tremor.
Sordibus et multo similis squalore sepultis,
Vix inter vivos larva videnda vagor.
Non tamen hoc hostes, non hoc mala numina possint,
Ut valeat pronum nox pepulisse caput.

119. *Ipsa quoque.* Sensus est : Post ipsam mortem adeo videmus quibusdam eum honorem baberi, ut eorum ossa e sepulcro prolata religiose colantur. Sanctorum reliquiæ videntur intelligi.

120. *Cum patria coluit.* Barthius legi vult *colit hæc.* — *Nepos* hic dici videtur sectarius vel socius ordinis monastici, ut supra v. 14, *avus* dicebatur conditor ejus vel Abbas.

121. *Feruntur*, cadunt, dilabuntur, huc illuc aguntur.

125. *Tenuis modo corporis umbra.* Ovid. Her. III, 141 : « abiit corpusque colorque ».

127. *Rarus aperta... poples*, h. e. poples *raro* et ægre *movet procul* vel longius *internodia*, quod *aperta* sunt, h. e. hiantia, distantia, non bene conjuncta. Est igitur descriptio, quamvis obscura et coacta, tremuli et vacillantis pedis. Pro *rarus* Burmannus scribendum censet *varus*, non male. Cæterum Ovidium respexisse videtur Metam. VI, 256 : « Mollia nervosus facit internodia poples ». Alio sensu *internodia* Calpurnius cepit, I, 26.

129. *Sordibus.* Ob multum squalorem simul et maciem insignem dicit se quasi cadaver osseum, e sepulcro erutum, inter vivos oberrare. Talem supra descripsit Sulpicii Luperci Elegia v. 33 : « Ambusti torris species, exesaque sæclo Abduntur priscis corpora de tumulis ». Ubi Barthius legere voluit *Larvantur priscis.* — *Larvæ* autem proprie sunt lemures, seu species cadaveris excarnificati, quales prodire sæpe de tumulis putabant ad exterrendos homines. Describit eas Seneca, Epist. XXIV : « Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat et tenebras, et Larvarum habitum nudis ossibus cohærentium ».

132. *Ut valeat pronum nox pepulisse caput.* Oudendorpius conjiciebat *nex* : proclivius erat *mors* legere, de qua Tibull. I, 1, 84 : « Jam veniet tenebris Mors adoperta caput ».

Languidus Alcides et cæsa languidus hydra,
    Non hostes timuit, grus homicida, tuos.
Briseis ut rapta est, amor atrum inclusit Achillem,
    Non metus Hectoreæ Memnoniæque facis;
Ille sed exstincto rediit vigor acer amico,
    Reddidit ut justus deposita arma dolor.
Me quoque fors mihi restituet, moribundaque membra

Sed nec hoc necessarium. Nox ipsa est mors, et videtur respexisse illud Horatii, Carm. I, 4, 16 : « Jam te premet nox, fabulæque Manes ». Corn. Gallus, versu ult. « Dum loquimur, nox est, mortis et umbra venit ». — *Pepulisse caput*, in sepulcrum deturbare, vel potius, inclinare in somnum perpetuum. Sic Propert. I, 3, 45 : « Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis ».

133. *Languidus Alcides.* Ingrata vocis *languidus* in eodem versu repetitio offendit Burmannum, item *grus homicida*, quod nescit, quomodo intelligat. Sed superfluo et repetito vocabulo in tali poeta offendi nihil attinet. Et fortasse substitui potest *Anguibus Alcides*, scil. cæsis, vel *Pugnis et cæsa languidus hydra:* — Hos versus ita tentabat Oudendorpius : « Viribus Alcides e cæsa languidus hydra, Non astus timuit trux homicida, tuos »; ut Antæum intelligat. Sed hoc prætetquam a contexto recedit longius, paullo post, v. 141, *trucis invidiæ* quod sequitur, refellit. Idem suadebat : « Ignibus Alcides exusta languidus hydra »; ubi aptius esse *exusta:* hydram enim ab Hercule domitam; ignibus exustam, ne capita repullularent, tradunt Veteres. Vid. quæ notantur supra ad Eleg. in obitum Mæcen. v. 83. Addatur Prudent. Hymn. X, Peristeph. 881; et hinc apud Ovid. Met. IX, 73, de hydra ipsa jactat Hercules, « Hanc ego ramosam natis e cæde colubris, Crescentemque malo, domui, domitamque præussi », ut castigavit Heinsius, pro *peremi*, vel *reduxi*, aut *repressi*, quæ dant alii codices. Cæterum *Anguibus* quod conjicit Wernsd. emendabat quoque Schraderus. Sic enim *angues* et *hydram* jungit Virgil. Æneid. VII, 553 : « ... satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus; clypeoque insigne paternum, Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram ». Et hoc imitatus Silius Ital. II, 158 : « Centum angues idem Lernæaque monstra gerebat ». Ed.

134. *Grus homicida* est, *quæ Pygmæo sanguine gaudet avis*, ut ait Ovid. Fast. VI, 176; et hostes igitur gruis intelligit Pygmæos, quorum pugna cum gruibus nota est e fabulis et describitur a Juvenali, Sat. XIII, 167 seqq. Sententia igitur auctoris est : Hercules monstrorum domitor, quamvis languidus a pugna et fessus, non timuit hostes minores, quales feruntur Pygmæi gruum.

135. *Atrum inclusit Achillem.* Barthius emendabat *acrem :* sed quia mox sequitur *vigor acer*, Burmannus præfert *artum inclusit.* Ego

Viribus ire suis splendida fata dabunt.
Tum trucis invidiæ furiis ultricibus horrens
Involvam positis arma virumque malis.
Interea, ut libitum est, absentibus utere Divis,
Livor, et in nostro gaudia quære rogo.

atrum retinendum puto, et interpretor tristem, morosum, atra bile percitum, ut *atræ curæ* dicuntur Horat. Carm. III, 1, 40, et III, 14, 13. — Seu potius *ater* hoc loco est horribilis, ferus, iracundus; ut Virg. Georg. IV, 406, *tigrim atram* dicit, quam postea versu 442 feram terribilem vocat. Ed.

140. *Splendida fata*, pulchrior et illustrior fortuna, ut *splendida Minois arbitria* Horat. IV, 7, 21.

141. *Tum trucis invidiæ*. Verba hæc plane obscura et inepta sunt, quorum sensum certum vix expedire licet. Opinor, auctorem minari, si viribus suis et fortunæ meliori restitutus sit, debellaturum se hostes suos et ultionem de iis sumpturum. — Hæc se Burmannus non intelligere fatetur : nec ego, quamquam non admodum Wernsdorfii conjecturam adprobem ; quidquam ulterioris curæ in hanc Elegiam impendere, operæ pretium duco. Vid. tamen quæ monuit de hac Elegia Wernsdorfius in Prooemio, quod iis Elegiis præmittitur. Ed.

143. *Absentibus utere Divis*, h. e. tempore hoc, quo desertus a Diis et miseriis oppressus sum, utere ad me infestandum.

144. *In nostro rogo*, in extrema calamitate mea, qui quasi depositus sum et funerandus. Quo sensu sæpe *funeris* vocabulo utitur Ovidius, ut Trist. I, 3, 23 ; V, 1, 14 et 48 ; Pont. I, 9, 17. — Burmannus in Mantissa adnotationum ad tom. I, Anthol. Lat. t. II, p. 739, hoc versu putat *e nostro* pro *in nostro* legendum. Ed.

XIII.

PENTADII

ELEGIARUM ET EPIGRAMMATUM

LIBELLUS.

PROOEMIUM.

Pentadii nomen inter poematia vetera a doctis viris collecta frequenter occurrit, et in carminibus ei adscriptis præcipue sunt Elegiæ duæ, singulari artificio, primis cujusque distichi verbis in ejusdem fine repetitis, conspicuæ. Videtur itaque Pentadius e Poetarum minorum, quem producimus, choro non omittendus, et quod Porphyrio in Idylliorum classe fecimus, idem cum Pentadio in Elegiis faciendum putamus, ut ejus carmina, quanquam non exterius figurata, tamen rhetorica figura per omnes versus composita, tamquam appendiceem Elegiacis adjungamus, cum iisque cætera, quæ Pentadio tribuuntur, poematia et epigrammata, pro more et instituto nostro, unum in libellum conjiciamus. Omnino Pentadius Porphyrio ut ætate par, ita ingenio et gustu poeseos perquam similis est, quod singulari, ut ille consuevit, artificio et schemate, quamquam multo tolerabiliore nec ineptiis indulgente, carmina sua componere et exornare voluit. Vocari id genus carminis, quod usurpavit, serpentinum vel ophites solet, quando finis revolvitur eodem, unde venerat, et perpetui adeo orbes versuum componuntur; de quo agit J. C. Scali-

ger, Poet. lib. II, cap. 30, p. 185. Estque diversum illud a reciproco vel anacyclio, quod in Porphyrio observavimus (huj. ed. t. I, p. 2, p. 671, sqq. Ed.) quando verba retroada lectione a fine ad initium usque repetita eosdem versus efficiunt. Sed est idem multo probabilius et sanius isto, quandoquidem non verba omnia torquet, et liberius ire sententiam permittit. Neque veteres et boni poetæ prorsus ab eo genere abstinuerunt, sed usi sunt tamquam schemate orationis, quod epanalepsin vocant, quo certa verba ab initio repetita rem aliquam gravius inculcarent. Tale est Ovidii, Am. I, 9:

> Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido,
> Attice, crede mihi, militat omnis amans.

Et Fastor. lib. IV, 365:

> Qui bibit inde, furit; procul hinc discedite, queis est
> Cura bonæ mentis; qui bibit inde, furit.

Plura exempla ex eodem poeta adduxit Burmannus, Anthol. Lat. tom. I, p. 559, et ex aliis Vossius, Instit. Orat. lib. V, cap. 3, p. 290. Sed posterioris ævi, præsertim scholastici, poetæ, recto sanæ poeseos gustu perdito, luxuriare in ejusmodi versibus cœperunt, et quo Veteres rarius, tamquam condimento, usi erant, ex hoc illi integra carmina perpetua compage composuerunt (1). Solus fortasse Veterum Martialis est, qui unius carminis singula disticha eo schemate formaverit, in epigr. 98 libri IX, quod incipit: *Rumpitur invidia*, etc. sed hoc ipsum ille non sine vi aliqua et ratione fecit, præsertim in epigrammate, quod lusum verborum et argutias magis, quam aliud carmen, admittit. Alias non ignorata Martialis ætate hæc artificiosa carminum genera

(1) Sic Cœlius Sedulius, poeta Christianus, hoc versuum genere carmen bene longum conscripsit, quod in Cellariana editione inscribitur: « Hymnus I. Collatio Veteris et Novi Testamenti per schema ἐπαναλήψεως alternis versibus repetitæ ». Ed.

et versuum tormenta fuisse, sed contempta a bonis ingeniis et nugis ineptiisque accensita, ipse Martialis declarat lib. II, cp. 86, ubi plura ejus generis nominat. A neotericis poetis hæc et alia inventa per otium curiosum esse affirmat Diomedes Grammaticus, pag. 515, Putsch. eademque sua ætate multum frequentata, maxime in Elegis, testatur Sidonius Apollin. lib. VIII, epist. 11, ubi de Lampridio oratore ait: *Faciebat Elegos, nunc echoicos, nunc recurrentes, nunc per anadiplosin fine principiisque connexos.* Sirmondus, in notis ad h. l. versus, quibus Pentadius carmen *de adventu veris* construxit, echoicos esse falso existimat. Hi enim sunt, qui ejusdem soni vocabula, repetitis ultimis præcedentis vocabuli syllabis, unde fit echo, in fine versus referunt. Eos contra, quos Sidonius per anadiplosin connexos dicit, in tribus Pentadii carminibus, *de fortuna, de adventu veris*, et *de Narcisso*, reperiri puto, quamquam figura, quæ in iis regnat, epanalepsis potius vel epanadiplosis vocari solet, quando hexametri principium in fine pentametri recurrit (1). Cæterum non uno hoc artificio in carminibus suis usus videtur Pentadius, sed plura adhibuisse in aliis, quæ perierunt. Certe epigramma ejus in Virgilium singularis est generis, et versibus conceptum est, qui correlativi a Grammaticis dicti sunt, ubi verba diversa, ordine certo posita, inter se respondent. Cujus generis exemplum Scaliger l. c. ipsum illud Pentadii epigramma posuit.

De ipso Pentadio, quinam fuerit, et quo tempore vixerit, incerta omnia sunt, quamquam Grammaticum, vel scholasticum poetam, fuisse, et sub Imperatoribus Christianis vixisse, ipsum carminis genus, quod affectavit, et nomen, cum aliis ejus ætatis communicatum, declarare videtur. Nam Pentadii Notarii, cui cædes Galli Cæsaris cum aliis deman-

(1) Multum a poetis scholasticis hoc genus carminum frequentatum est, et plura epigrammata antiqua, quæ iisdem verbis desinunt, quibus cœperant, primus in lucem protulit J. P. Dorvillius, Observ. Miscell. Nov. t. V, pag. 476, quæ et Burmannus in Anthol. Lat. traduxit. Ed.

data, fit mentio apud Amm. Marcellinum, lib. XIV, cap. 11, p. 64, edit. Gron. Alius, Officiorum Magister, a Juliano cum literis ad Constantium Imper. in Orientem missus, ab eodem memoratur lib. XX, cap. 8, p. 274. Vindiciani medici epistola ad Pentadium, de quatuor humoribus corporisque partibus, memoratur apud Labbeum, Bibliot. nov. MSS, p. 215, e Catalogo Bibl. Renati Moreau. Propius Pentadium poetam noscere licet, si probabilis conjectura Eduardi a S. Francisco Xaverio est, qui in Apparatu ad nov. Lactant. edit. § 41, p. 86, existimat, esse eum Pentadium, cui Lactantius Epitomen Institutionum divinarum inscripsit. Equidem, quum librum Eduardi ipse non legerim, nescio quibus argumentis ille sententiam suam confirmaverit, ipse tamen nihil, quod ei adversetur, invenio, et calculum ei suum adjicit Burmannus, ad Anthol. Lat. lib. III, ep. 105, tom. I, p. 558. Fratrem eum appellat Lactantius in præfat. ad Epitom. Quo nomine utrum fratrem germanum intelligat, an Christiano more socium religionis suæ, aut collegam in officio, quo sensu usurpatum illud vocabulum ostendit Arnoldus in Hist. cognat. spirit. inter Christ. cap. XXVI, § 12, id certo affirmari nequit. Collegam et familiarem Lactantio Pentadium nostrum fuisse facile credo, qui Grammatici rhetorisque artem et studium æque ac ille scriptis suis ostendit. Christianismi aliquod indicium fortasse capias ex versu 34 Elegiæ primæ.

Carmina Pentadii tantum ea hoc loco congessi et proposui, quæ in collectionibus veterum poematum, præsertim Pithœi, nomen ejus diserte expressum præferunt. Multa autem præterea exstare scio, quæ eidem Pentadio aut codicum quorumdam indicio, aut doctorum virorum opinione et conjectura tribuantur, quibus tamen, tamquam incertis et dubiis, quum præsertim essent brevia epigrammata collectioni meæ per se non destinata, onerare hunc libellum præter necessitatem nolui. Plura Pentadii epigrammata nonnunquam Petronio attributa sunt, e quibus breve car-

men Phalæcium *de vita beata*, Pentadio diserte adscriptum, inter lyrica proferemus. Illud *de amore feminarum*, quod *Crede ratem ventis*, incipit, et inter Catalecta Petroniana etiam legitur, in codice Vossiano et schedis Scaligeri Pentadio tribuitur; sicut et alia in Petronianis invenienda, quæ *de vita tranquilla* inscribi solent, et a Burmanno, Anth. Lat. lib. III, epist. 60 seqq. proferuntur, ab aliis referuntur ad Pentadium. Nobilem Elegiam *de Spe*, paullo ante exhibitam, Barthium diximus adjudicare Pentadio, Advers. lib. XXIII, cap. 17, ubi eum *poetam scholasticum inter veteres non postremum* vocat. Sed ea haud dubie meliori ætati et auctori debetur. Sic denique epigramma *in Fratres Cascas*, quod Burmannus, Anthol. lib. IV, 1, profert, Dempsterus ad Rosin. lib. I, cap. 18, et Tumulum Achillis sub Eusebii titulo editum, Anthol. lib. I, ep. 98, Delrius ad Senecæ Troad. v. 171, Pentadium habere auctorem, quamquam falso, putarunt. Alia plura per conjecturam ei ab eruditis tributa jam præterimus. His tantum adjicio, dudum me ea in opinione fuisse, ut crederem, Pentadii nostri esse notam illam Epitomen Iliados Homeri, quæ Pindari Thebani nomen præfert; quandoquidem hoc nomen e corrupto Pentadii nomine ortum esse arbitror, quod, testante Burmanno in notis ad duas Elegias Pentadii a nobis proferendas, nunc Pintati in codice Salmas. nunc Pintadi in Vossiano scribitur. Auctor illius Epitomes Homeri haud alii commode ætati adscribi potest, quam qua Pentadium vixisse putamus, et si Pentadius hic frater Lactantii est, qui ab eo scribendam Epitomen Institt. divinarum petebat (vid. præf. Epit. Lactant.), faciebat hoc ex studio suo et amore ejusmodi libellorum, quo ipse Homerum in epitomen redegerat. Præcipuum hujus opinationis fundamentum ex epigrammate, quod Anthol. Lat. libro III, n. 62, exstat, et *de navigatione* inscribitur, peti potest, quod si certo constaret, ut nonnulli, inprimisque ipse Barth. Advers. XXIII, 12, existimarunt, esse scriptum a Pentadio, plane confirmatam

esse meam sententiam putarem. Laudat ibi auctor villam in litore sitam, unde prospiciebat in mare, et inter alia scribit:

> O formosa dies! hoc quondam rure solebam
> Iliade armatas sollicitare manus.

Vitiose quidem *Iliadas armatas* ibi scriptum est, sed profecto neque rectius id emendari, quam uti feci, potest, neque facilior verborum interpretatio reperiri, quam ut auctorem testari putemus, se in ea villa aliquando Iliada Homeri, vel belli Trojani historiam, scripto enarrasse. Plane enim simili phrasi prælia heroica a poeta exposita, vel carmen heroicum, describit Propertius, lib. II, Eleg. 1, 17:

> Quod mihi si tantum, Mæcenas, fata dedissent,
> Ut possem heroas ducere in arma manus.

Latius omnino explicare hanc interpretationem epigrammatis, ex eoque confirmare sententiam de Pentadio Iliadis auctore possem, sed nunc, brevius hoc indicasse contentus, cætera in alium locum aliudque tempus differo, ubi vel proponere totum epigramma, vel ipsam Iliadis epitomen proferre dabitur. Nunc ad Elegias et reliqua carmina Pentadii explicanda propero.

I. PENTADII ELEGIA*

DE FORTUNA.

Res eadem assidue momento volvitur uno,
Atque redit dispar res eadem assidue.
Vindice facta manu Progne pia dicta sorori,
Impia sed nato vindice facta manu.
Carmine visa suo Colchis fuit ulta maritum,

* Elegia hæc vicissitudines Fortunæ et eventus rerum sæpe conversos, quasique in contrarium orbem redeuntes, pingit inductione multorum e mythologia et historia exemplorum, et notatam in singulis conversionem ipsius dictionis quodam orbe, a fine in principium redeunte, hoc est, continua epanadiplosi, adumbrat, ita ut istud schematis genus suo loco, et idonea ratione, ad ipsius rei naturam exprimendam adhibitum videatur. Quamobrem hanc Elegiam cæteris Pentadii carminibus, ubi idem artificium, sed minus apta ratione, usurpavit, multum præfero. Edidit hanc Elegiam Pithœus, lib. I, p. 25 edit. Lugd. et Petr. Burmannus, Anthol. lib. III, 105.—Et ex eo Collector Pisaurensis omnium poem. et carm. Latin. tom. IV, p. 489. En. — Observationes criticas et varias lectiones codicum scriptorum a Burmanno mutuabor, ipse judicio de iis et verborum explanatione defungar.

1\. *Res eadem assidue :* sic recte Pithœus in notis et Heinsius : non *assiduo*, ut editur, ut et in fine pentametri; quod firmatur a codice Salmas. Burm. Sensus distichi est : Semper hoc fieri solet in natura, ut res eadem uno æquabilique momento vel tenore procedere videatur, mox autem conversa redeat dispar et contrarios casus importet, adeoque ex uno fonte sæpe bonum malumque oriatur.

3\. *Vindice facta manu.* Progne, quod scelus mariti sui vindicavit manu, filium suum mactans, eo assequuta est, ut pia erga sororem, injuria affectam, diceretur, simul autem, ut impia erga filium.

5\. *Carmine visa suo. Crimine* legebat cl. Schraderus, et in pentametro. Burm. Loquitur de Medea, quæ ut Jasonem maritum, a quo Glauce vel Creusa, Creontis filia, superinducta erat, ulcisceretur, Glaucen et Creontem misso peplo nuptiali, carminibus et succis magicis infecto, ut facile ignem conci-

Sed scelerata fuit carmine visa suo.
Conjugis Eurydice precibus remeabat ad auras;
Rursus abest vitio conjugis Eurydice.
Sanguine poma rubent tristi nece tincta repente;
Candida quæ fuerant, sanguine poma rubent.
Dædalus arte sua fugit Minoia regna;
Amisit natum Dædalus arte sua.
Munere Palladio læti qua nocte fuere,
Hac periere Phryges munere Palladio.
Nate, quod alter ades cælo, das gaudia Ledæ,
Sed mœret mater, nate, quod alter abes.
Hostia sæpe fuit diri Busiridis hospes,

peret, cum ipsa regia combussit, et filios, quos ex Jasone tulerat, mactavit. Vid. notata a nobis ad Nemes. Cyneg. 42.

8. *Rursus abest.* In Voss. eod. *habet.* Recte Heinsius *abit*, ut in cod. Salm. Burm. Fabulam de Eurydice ab Orpheo reducta ab inferis, rursusque perdita, luculente refert Virg. Georg. IV, 464 seqq.

9. *Sanguine poma rubent.* Optime Heinsius conjecerat, « Sanguine poma rubent Thisbæo tincta repente ». Pyramum enim et Thisben intelligit. Forte et hic legendum « Sanguine mora rubent », ut in loco Ovidii, Metamorph. IV, 127: « madefactaque sanguine radix Puniceo tingit pendentia mora rubore »; et in epigrammate Alcinoi, in Catalectis Petronianis: « Horreo sanguineo male mora rubentia succo, Heu! grave funesti crimen amoris habent ». At cel. Oudendorpius hic distinguendum censebat, « Sanguine poma rubent: tristi nece tincta repente Candida quæ fuerant sanguine, poma rubent »; ut secundo loco *sanguis* significet liquorem priorem mororum. Burm. Sanguinem dici omnem succum herbarum et pomorum, notavimus ad Calpurn. IX, 50. *Mora cruenta* dicebat auctor Copæ.

11. *Fugit Minoia regna:* sumptum a Virgilio, Æn. VI, 14, « Dædalus, ut fama est, fugiens Minoia regna ».

13. *Qua nocte.* Cod. Voss. *quia.* et versu seq. *ac periere.* Burm. — *Munere Palladio,* i. e. equo Trojano, quem arte et monitu Palladis credebant fabricatum. Virgilius *dona Minervæ* appellat Æn. II, 189.

15. *Nate, quod alter ades.* Cod. Voss. et Salmas. *adest cælo, sunt gaudia.* Heinsius *quod alter adis cælos.* Burm. Loquitur de filiis Ledæ, Castore et Polluce, qui a Jove dicuntur impetrasse, ut immortalitatem partirentur inter se, ideoque alternis mortem oppetiisse, et revixisse.

17. *Hostia sæpe fuit.* Lege hoc in versu cum Heinsio *Hostia et ipse fuit;* vel ex codice Voss. et Salmasiano in pentametro *hostia sæpe fuit.* Burm. Mihi vulgata lectio recta et necessaria videtur. Nam singula

Busirisque aris hostia et ipse fuit.
Theseus Hippolyto vitam per vota rogavit;
Optavit mortem Theseus Hippolyto.
Stipite fatifero juste quæ fratribus ausa,
Mater sæva fuit stipite fatifero.
Sola relicta toris flevisti in litore Gnosis,

verba principii in fine repeti, res non permittebat hoc loco. Busiris, rex Ægypti, hospites advenientes immolabat in ara, in qua deinde ipse mactabatur ab Hercule. *Illaudati Busiridis oras* vocat Virgilius, Georg. III, 5.

19. *Vitam per vota rogavit.* Hoc non ex fabula referre Poeta videtur, sed dicere pro naturali affectu patris. Vitam Hippolyto optabat Theseus, ut pater, idque multis declarabat votis, sed mortem ei optabat, quum Phædræ uxori calumnianti nimium credulus, Ægeum patrem suum, Deum marinum, rogabat, ut eum occideret: qui propterea, quum Hippolytus curru veheretur juxta mare, phocas, sive belluas marinas, immisit, quibus equi exterriti Hippolytum curru excussum dilacerarunt. Refert Virg. Æn. VII, 765 seq. Ovid. Metam. XV, 497 seqq.

21. *Juste quæ fratribus ausa*, etc. *ausa est* cod. Voss. et Salm, *in fratribus usa* legebat Heinsius, vel *pro fratribus usa*; quod ultimum verum puto: *usa* etiam conjecerat clarus Schraderus, et jungebat *Stipite fatifero fratribus*. Burm. Omnino *usa* legendum est, et dativus *fratribus*, ex more Pentadii positus pro *erga frotres* vel respectu fratrum, ut supra v. 3 dicebat « Progue pia sorori, impia nato ». Loquitur de Althea, quæ filium Meleagrum propter avunculos, Altheæ fratres, ab eo occisos, ulta est injecto in ignem stipite, a quo ejus vita pendebat. — *Fatiferum* vocat stipitem, ut Ovidius, qui hanc fabulam enarravit Metam. VIII, 479, *lignum fatale*. Totam sententiam Pentadio suppeditavit Ovidius, qui l. c. v. 475 de Althea, « Incipit esse tamen melior germana parente; Et consanguineas ut sanguine leniat umbras, Impietate pia est ». Idem Trist. I, 6, 17: « Utque cremasse suum fertur sub stipite natum Thestias, et melior matre fuisse soror ». — De Meleagro quoque Manilius, V, 176; et vid. Hyginus, fab. 174, et plura apud Salvagn. ad Ovidii Ibin, v. 603. Ed.

23. *Sola relicta: flevisti litore* cod. Voss. et Salm. lege *flevisti in litore, Gnosi.* Imitatur illa, quæ Ovidius de Ariadne refert Art. Am. lib. I, 527 seqq. Burm. Propertio, lib. I, 3, 2, dicitur: « Languida desertis Gnosia litoribus ». — *Sola relicta toris*, h. e. toro eo, quo decubuerat cum Theseo in litore Diæ insulæ, et quem evigilans desertum et vacuum conterrita reperit, ut ipsa narrat epist. X, 9 seqq. Her. Ovid. quæ tota epistola conferenda cum hoc loco; pariter Art. Am. lib. I, 527 seqq. et Metamorph. VIII, 174 seqq. quibus locis fabula de Ariadne deserta, ejusque corona a Baccho illata cælo refertur. — Cæte-

Lætaris cælo sola relicta toris.
Aurea lana fuit, Phryxum quæ per mare vexit;
Helle qua lapsa est, aurea lana fuit.
Tantalis est numero natorum facta superba;
Natorum adflicta Tantalis est numero.
Pelias hasta fuit, vulnus grave quæ dedit hosti,
Et quæ sanavit, Pelias hasta fuit.
Per mare jacta ratis pleno subit ostia velo;
In portu versa est per mare jacta ratis.

rum videtur Pentadius hoc disticho respexisse verba Tibulli, III, 6, 40: « Gnosia, Theseæ quondam perjuria linguæ Flevisti, ignoto sola relicta mari ». Ed.

24. *Lætaris cælo*. Cod. Voss. *lætatur*; cod. Salmas. *lætatur cælos*, unde Heinsius *Læta tulit cælos*, ut apud Ovid. Art. Am. 557, Bacchus ad Ariadnem: « Munus habe cælum ». Burm.

27. *Tantalis*, Niobe, Tantali filia, cujus gloriationem et superbiam ob numerum liberorum enarrat Ovid. Metam. VI, 165 seqq.

28. *Natorum adflicta*. Metri caussa supplendum cum Heinsio *adflicta at Tantalis*, vel *adflicta et*, quomodo et Opitius; sed præfero cum Oudendorpio « Tantalis e numero natorum facta superba, Natorum adflicta est Tantalis e numero ». Burman.

29. *Pelias hasta*, Achillis, qui Pelei filius. Sermo est de Telepho, Herculis ex Auge filio, rege Mysiæ, qui ab Achille vulneratus aliter sanari non potuit, nisi postquam eum rursus Achilles eodem loco eademque hasta percusserat. De hoc Ovid. Rem. Am. 47: « Vulnus in Herculeo quæ quondam fecerat hoste, Vulneris auxilium Pelias hasta tulit »; et idem Trist. V, 2, 15: « Telephus æterna consumptus tabe perisset, Si non, quæ nocuit, dextra tulisset opem ».

31. *Per mare jacta ratis pleno subit*: ita supplevi ex codice Salmas. nam cum lacuna edidit Pithœus *Per mare jacta ratis** reliquis deficientibus, sed in notis suis substituit *visa est superare procellas*; non male, si ex codice quodam deprompserit; sed si ex ingenio, alterum merito præferendum, propter vetusti codicis auctoritatem. Versus autem hic cum præcedenti pentametro desideratur in cod. Voss. Pro *jacta ratis* Heinsius legebat *vecta*. Burm.

32. *In portu versa est per mare*, etc. *Post mare* cod. Salm. Pro *versa* lege cum Heinsio *In portu mersa est*, ut apud Ovid. Epist. V, 119: « Dum licet, obscœnam ponto Di mergite puppim ». Auctor Elegiæ de Spe, v. 20: « Naufragus hac cogente natat per fœda procellis Æquora, quum mersas viderit ante rates ». Burm. — Similiter Juvenalis, Sat. XIV, 301: « mersa rate naufragus assem Dum rogat, et picta se tempestate tuetur ». Et in Epigrammate antiquo, in Catalectis Scaligeri, lib. I, p. 235: « Sic rate demersa vulsam deponderat aurem,

Lux cito summa datur, natusque exstinguitur infans,
Atque animæ æternum lux cito summa datur.
Sunt mala lætitiæ diversa lege creata,
Et juncta assidue sunt mala lætitiæ.

Remorum levitas naufraga membra vehit ». Passim voces *versa* et *mersa* variant. Apud Germanicum in Arateis, p. 52 : « totus in undas Mergitur », ubi MSS *Vergitur*. Catullus in Carm. ad Manlium : « Accipe quis merser fortunæ fluctibus ipse », ubi alii codices *verser*. Ausonius, Ludo VII Sapient. de Periandro : « Si fortuna tonat, caveto mergi » ; ubi *vergi* legit Heinsius. Ed. — Exquisitius dictum esset *mersa est*, sed propterea non verior ipsiusque Pentadii scriptura.

33. *Lux cito summa datur ;* h. e. Evenit sæpe, ut suprema dies cito, immo vix nato infanti, veniat; attamen, quod animam attinet, hæc suprema dies, quæ cito venit, æternum datur, vel principium æternæ vitæ est. Digna hæc Christianismo sententia est, neque adeo indigna Pentadio, fratre Lactantii, si is auctor est.

34. *Atque animæ æternum.* In Salmas. et Voss. cod. *animæ prima*, unde Heinsius conjiciebat *Atque animæ pretium*. Cel. Oudendorpius *Atque animæ primæ*, vel *Quæque animæ prima est*. Burm. Ego hæc nihilo meliora lectione vulgata video.

35. *Sunt mala lætitiæ diversa lege creata.* In iisdem codd. *creati*, et versu ult. *Juncta tam* pro *Et juncta*. Burm. *Lætitia* hoc loco res secundas, ut *mala* adversas denotant ; et *lætitiæ* pro dativo accipio, eodem sensu quo versibus 3 et 21. Sententia integra hæc est : Mala quidem, respectu lætitiæ vel felicitatis, diversa natura sunt, et diversa ratione eveniunt; ita tamen conjuncta sunt utraque in vita communi, ut fere semper soleant tamquam ex uno fonte, vel unum ex altero provenire.— Has utriusque fortunæ vices expressas elegantius apud alios poetas reperire licet. Ed.

II. ELEGIA*

DE ADVENTU VERIS.

SENTIO, fugit hiems, Zephyrisque moventibus orbem
Jam tepet Eurus aquis; sentio, fugit hiems.

* Protulit Pithœus, lib. IV, p. m. 145, et ex hoc Burmannus, Anth. Lat. lib. V, 69, p. 351. Est hoc inter argumenta et descriptiones, in quibus ingenia veterum et recentiorum poetarum multum se exercuerunt, quorum aliqua ipsi aliis locis operis nostri producimus, ut Bedæ Eclogam de conflictu Veris et Hiemis, et Pervigilium Veneris, in quorum prœmiis alia vetustiora nominantur, e quibus ista expressa sunt. Hic allegare adhuc placet luculentas Veris descriptiones apud Virg. Georg. II, 323 seqq. Horat. Carm. I, 4; Lucret. I, 10 seqq. Calpurn. V, 16 seqq. et Oppian. Cyneget. I, 377 seqq. Halieut. I, 458 seqq.

1. *Zephyrisque moventibus orbem.* In cod. Voss. est *amantibus*, unde Burmannus cogitabat *agitantibus*. Heinsius conjecerat *foventibus*, item *animantibus*, quod clare exhibet codex Salmas., ideoque cæteris præfert Burmannus. Mihi non movendum videtur *moventibus*, quod idem est ac *animantibus*, et declarat illam Zephyri et veris adventantis vim, qua omnia, quæ frigore hiberno torpuerant, laxari, molliri, moveri incipiunt, terra rigens resolvitur, aquæ resolutæ eunt, gemmæ et frondes arborum protruduntur, pecus movetur ovili, vid. Calpurn. V, 18, homines ipsi ad varios labores prodeunt, atque adeo, ut hic dicitur, totus orbis movetur. Quæ ipsa in frequentibus veris descriptionibus pingi soleat.

2. *Jam tepet Eurus aquis.* In Salmas. et Voss. cod. est *equis*; unde *eques* Heinsius: in utroque exemplari legendum etiam conjecerat « vernusque animantibus orbem Jam tepet Eurus equis »; vel « Zephyrique animantibus orbem Jam tepet annus equis ». BURMAN. Non ineptum hoc loco est *equis*, quibus calorem aeris significari monuimus ad Calpurn. I, 1. *Eurum* autem nominat, quia hic hieme maxime acer est, quem nunc verno calore temperatum tepidius spirare ait: respexitque Virgilium, qui Georg. II, 338: « Ver magnus agebat Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri ». Si *aquis* legas, capiendum est casu tertio, ut intelligatur, Eurum non amplius tantum frigus adferre aquis, quo congelentur. Hunc usum casus tertii Pentadio solennem esse, e pluribus ejus locis cognovimus.— Nonne facilius possent ea verba explicari: Jam Eurus tepentes pluvias advehit, quod vere ineunte

Parturit omnis ager, præsentit terra calorem,
Germinibusque novis parturit omnis ager.
Læta vireta tument, foliis sese induit arbor,
Vallibus apricis læta vireta tument.
Jam Philomela gemit modulis Ityn impia mater,
Oblatum mensis jam Philomela gemit.
Monte tumultus aquæ properat per lævia saxa,
Et late resonat monte tumultus aquæ.
Floribus innumeris pingit sola flatus Eoi,
Tempeaque exhalant floribus innumeris.

fieri solet? Sic Lucanus, lib. I, 219: « Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes ». Ed.

3. *Parturit omnis ager:* e Virgilio, Georg. II, 330: « Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus »; et Ecl. III, 56, « Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos »; in fragmento Pontic. « totus pariter tibi parturit orbis ». In cod. Salm. et Voss. pro *præsentit* exstabat *persentit*, quod fere melius.

5. *Læta vireta tument;* ut Virg. l. c. « Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt ». Salm. et Voss. codd. *virecta* in hoc et sequenti versu habebant, deiu *folio* pro *foliis*.

7. *Ityn impia mater;* ut Ovid. Epist. XV, 153: « Sola virum non ulta pie mœstissima mater Concinit Ismarium Daulias ales Ityn ».

9. *Monte tumultus aquæ properat:* nempe aquæ ex nivibus, quæ montes contexerant, liquefactis. Sic Virg. Georg. I, 44: « Vere novo gelidus canis quum montibus humor Liquitur »; et Petron. de Bello civ. 189: « Incaluere nives, mox flumina montibus altis Undabant modo nata ». Vid. supra Eleg. XII, 23. — *Tumultus aquæ*, eluvio cum sonitu, ut *tumultuosum mare* Horatius, Carm. III, 1, 26, et *pelagi tumultum* Val. Flaccus, V, 592, dixit.

11. *Pingit sol purus Eoum, Tempeaque exhalant.* Sic edidit Pithœus: in Voss. codice *sola patus Eoi Temporeaque:* castigatius in Salmasiano « pingit sola flatus Eoi Tempeaque exhalant ». — *Tempea* omnino rescribendum pro *Tempe*, ut in fragmento Ponticorum: « Vos quoque qui resono colitis cava Tempeä cœtu ». — *Flatum Eoi* dixit pro aura Luciferi matutina. Sæpe autem Eous pro Lucifero, Tempea vero hic pro hortis quibusvis elegantibus. Burm. Omnino recipienda est scriptura codicis Salmas. Eoum pro Lucifero dixit Rutilius, Itin. 430: « Quum primum roseo fulsit Eous equo »; et Auson. in Rosis, v. 45: « Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous »; quo idyllio etiam ostenditur, auram matutinam, verno tempore, inprimis salutarem floribus esse. Et Zephyri flatum ad flores vegetandos excitat Claudianus de Raptu Proserp. lib. II, 70 seqq.

Per cava saxa sonat pecudum mugitibus Echo,
   Voxque repulsa jugis per cava saxa sonat.
Vitea musta tument vicinas juncta per ulmos,
   Fronde maritata vitea musta tument.
Jam motacilla canit, jam garrula luce chelidon,
   Dum recolit nidos, jam motacilla canit.
Sub platano viridi jucunda somnus in umbra,

13. *Pecudum mugitibus Echo;* quia vere pecudes emittuntur stabulis, et sollicitantur ad venerem. Vid. Calpurn. V, 18 seq. Ovid. Remed. 128: « Parte sonant alia silvæ mugitibus altæ ». In Echo describenda sequutus est Virgil. Georg. IV, 49: « ubi concava pulsu Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago ». Vid. Excurs. VIII ad Calpurn.

14. *Voxque repulsa. Usque* cod. Voss. *Bisque* cod. Salmasii, qui in margine *Voxque* emendaverat, ut edidit Pithœus. Burm.

15. *Vitea musta tument,* h. e. uvæ et baccæ vitium musto plenæ; sed hoc minus apte ad vernum tempus, quo nondum uvæ musto distentæ apparent, et per anticipationem dictum videtur. *Vitea spectacula* vidimus in Auson. Mosell. v. 152; *vitea serta* Calpurn. X, 19.—*Vicinas juncta per ulmos, Fronde maritata:* sic Voss. cod. *junctas* in MS Salmas. sed *vincta* Heins. tam in libri sui margine, quam in notis ad Ovid. Met. XIV, 666. Passim *ulmus* et *vitis nuptæ* et *maritatæ* dicuntur, neque dubito Pentadium hic illud Horatii, Epod. 2, 10, ante oculos habuisse, « Ergo aut adulta vitium propagine Altas maritat populos, etc. » Burm.

17. *Jam motacilla canit.* Motacilla vel moticella avis, dicta, ut vult Varro, Ling. Lat. IV, p. 21, quod semper movet caudam. Cui cur hoc loco tantus honor habeatur, ut in veris deliciis et a cantu suavi præ cæteris laudetur, caussam nullam videt Burmannus, et longe aliam præstantioremque lectionem e codicibus Salmas. et Voss. profert: « Nota tigilla linit jam garrula luce chelidon: Dum recolit nidos, nota tigilla linit ». Sic etiam scribendos hos versus Heinsius e codd. notavit ad Ovid. Met. XIV, 534. Ego vero idem amplector libentissime. Tigna et *tigilla* maxime conveniunt hirundini, quæ, nidum structura adspergit vel illinit luto. Virgilius, Georg. IV, 307: « Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo », et Ovid. Fast. I, 157: « luteum celsa sub trabe fingit opus ». *Lutare nidos* dixit Calpurn. V, 17, ubi vid. notata nostra. — *Garrula* est quasi proprium epitheton chelidonis. Vid. Eleg. II hujus operis v. 103. *Jam garrula luce,* quæ jam primo mane garrire incipit, quod et Calpurnium velle puto l. c. « quum jam tinnire volucres Incipient ». Chelidonem *murmurare sub tecto* dicebat Vespa, v. 54.

19. *Sub platano viridi jucunda.* Quia hic verbum deficit, quale versu sequenti additur *Sertaque texuntur,* Burmannus legendum censet *jucundus somnus in umbra,* ut apud Virg. Georg. II, 470, « mol-

Sertaque texuntur sub platano viridi.
Tunc quoque dulce mori, tunc fila recurrite fusis,
Inter et amplexus tunc quoque dulce mori.

lesque sub arbore somni ». Platanus ob densam umbram inprimis celebrata Veteribus. Qnod sequitur *Sertaque texuntur*, eo respicit, quod sub platano non solum somnum capere, sed et epulari, eoque sertis coronari solebant. Hinc Virgil. Georg. IV, 146, « ministrantem platanum potantibus umbras » dicit, et Palladius de Insit. v. 123, « Insignes foliis platanos, felicia mensis Brachia, gaudentes vitis honore comas ». Et Conf. Hor. Carm. II, 11, 13 seq. « Cur non sub alta vel platano vel hac Pinu jacentes,... Assyrioque nardo Potamus uncti »; ubi platanus et pinus junguntur, quemadmodum in Epigramm. de loco amœno, apud Petron. c. 131: « Nobilis æstivas platanus diffuderat umbras Et circumtonsæ trepidanti vertice pinus ». Hinc *genialis platanus*, quia sub umbra platani genio indulgebant et convivabantur, radicesque ejus vino irrigabant, ut lætius cresceret. Huc refer elegantissimum Philippi Epigramma de platano, vi ventorum eversa, sed vino perfusa et hinc rectius surgente, lib. I, Antholog. Gr. tit. 59, epigr. 2. Ed.

21. *Tunc quoque dulce mori*: in tanta scilicet universæ naturæ amœnitate. — *Tunc fila recurrite fusis*, tunc opto, redeat vita olim exacta hilariter. Respicit fortasse Virgil. Ecl. IV, 46, « Talia sæcla suis, dixerunt, currite fusis.

22. *Inter et amplexus*, quibus invicem se petunt genialiter viventes. Paullum obscura et abrupta hæc extrema sunt.

PENTADII EPIGRAMMATA.

III. DE NARCISSO *.

Cui pater amnis erat, fontes puer ille colebat,
  Laudabatque amnes cui pater amnis erat.
Se puer ipse videt, patrem dum quærit in amne,
  Perspicuoque lacu se puer ipse videt.
Quod Dryas igne calet, puer hunc irridet amorem;
  Nec putat esse decus, quod Dryas igne calet.
Stat, stupet, hæret, amat, rogat, innuit, adspicit, ardet,

* Edidit Pithœus, lib. II, p. 54, ed. Lugd. ex eoque Burmannus, Anthol. Lat. lib. I, n. 139, qui et sub Pentadii nomine legi in veteri codice Vossii ab Heinsio collato, affirmat. Similis argumenti Epigrammata exstant apud Ausonium, ep. 97, 98, 99; et qnatuor alia apud Burm. post hæe nostra leguntur.

1. *Cui pater amnis erat.* Nempe ex Cephisso amne et Liriope Nympha genitum plerique affirmant, ut Ovidius, Metam. III, 342, et Papin. Stat. Theb. VII, 340; alii Thespiis, eivitate Bœotiæ, natum, ut Lucianus, lib. II, Verar. Hist. Conon narrat. XXIV; Scholiast. Stat. ad l. eit. qui Sperchii fluvii filium dicit ad Achill. I, 239. Helicone genitum dicit Claud. de Raptu Proserp. II, 134, quia in ejus vieinia Thespia civitas, ut ait Conon l. e. Plura de genere et patria Narcissi exposuit Burmannus ad Ovidinm, Metamorph. l. c. Aliter plane ac poetæ, fabnlam Narcissi narrat Pausanias in Bœot. cap. 31, atque cum non admiratioue suæ pulchritudinis periisse ait, sed quum sororem geminam, sibi vultu cultuque similem, habuisset, quam valde amaret, eaque forte diem suum obiisset, tum in fonte quodam Thespiensium, ad quem ventitare solitus esset, conspecta umbra sua, quam quidem suam esse non ignoraret, tamen ob similitudinem, quæ inter ipsos fnisset, tamquam sororis defunctæ imaginem videret, solatium aliquod desiderii sui ex crebra ejus contemplatione quæsivisse.

3. *Dum quærit in amne.* Ex Salmas. codice Heinsius in suo libro notavit *quærit inanem*, eo forte sensu, quia non erat, nisi aqua. — *Patrem esse dum* a manu secunda in Vossiano. Burm.

5. *Quod Dryas : quo* Heinsius. Burm. — *Puer hunc irridet amorem.* Sie Ovid. Metam. III, 402, de Narcisso : « Sie hanc, sie alias undis aut montibus ortas Luserat hie Nymphas »; et Ausonins, Ep. 96, scripsit « ad Nymphas Nareissum persequentes ».

7. *Stat, stupet, hæret,* etc. Recte

Blanditur, queritur, stat, stupet, hæret, amat.
Quodque amat, ipse facit, vultu, prece, lumine, fletu,
Oscula dat fonti, quodque amat, ipse facit.

Heiusius legebat *Flet, stupet, hæret,* pro *stat :* id enim jubent sequentia *vultu, prece, lumine, fletu.* BURM. Equidem non video, cur *flet* necessarium fit propter sequens *fletu*, quum hoc æque respicere ad verba *rogat, blanditur, queritur,* possit. Fortasse legendum est *Adstupet, hæret,* ex Ovid. Met. III, 418 : « Adstupet ipse sibi, vultuque immotus eodem Hæret ».

8. *Blanditur, queritur.* In Pithœi utraque editione vitiose excusum *quæritur.* Notandus hoc disticho mos sequioris ævi poetarum, quo solebant uno versu, vel pluribus adeo, plures voces vel species diversas cumulare. Cujus generis est ille Severi Sancti, qui legitur tomo II Op. nostri (huj. vero ed. t. I, parte 2, pag. 576. ED.), « Angor, discrucior, mœreo, lugeo »; ille scholastici poetæ de Virgilio, « Laudetur, placeat, vivat, relegatur, ametur », et Venantii Fortunati, Hymn. Pasch. v. 23 : « Myrrha, salix, abies, corylus, siler, ulmus, acer, nux »; ad quem locum Buchnerus eumdem morem observavit et reprehendit. Hinc similiter compositos versus apud Statium, Silv. II, 7, 85, spurios putant viri docti et a recentiore poeta insertos.

10. *Oscula dat fonti.* Sumptum ab Ovidio, ut cætera omnia ex ejus narratione contracta, l. c. v. 427 : « Irrita fallaci quoties dedit oscula fonti ».

IV. DE EODEM *.

INVENIT propriis Narcissus fontibus ignes,

* Quod hic quarto loco proponitur epigramma de Narcisso, non optimo jure, nec certo auctore tributum abs me Pentadio est. Nam inscriptio *Item de eodem*, quam e Pithœo repetii, hoc non indicat, nec verisimile est, Pentadium de uno Narcisso pluribus epigrammatibus lusisse. Quare nec ea, quæ quinto et sexto numero sequuntur epigrammata, certo affirmare velim, Pentadio deberi, quamvis hæc a Scaligero in Append. Virg. p. 179, incertum qua auctoritate, ad Pentadium referuntur. Contra fateor negligentius a me factum esse, quod, qui Pentadii tumulum Acidis et tumulum Hectoris proposui, ejusdem tumulum Achillis omiserim, quem per se verisimile est a Pentadio una cum illo Hectoris perscriptum esse, et Scaliger l. cit. p. 278, diserte Pentadio tribuit, ac tumulo Hectoris subjungit. Quare, ne quo carmine Pentadius privatus videatur, æquum duco, si quando nova editio Poetar. Lat. min. paranda fuerit, hoc epigramma cæteris Pentadii poematibus inserere; interim a Scaligeri libro re-

Et sua deceptum torret imago virum.

petitum hic appono : Pentadii tumulus Achillis : « Pelides ego sum, Thetidis notissima proles, Cui virtus clarum nomen habere dedit : Qui stravi toties armis victricibus hostes, Inque fugam solus millia multa dedi. Hectore sub magno summa est mihi gloria cæso, Qui sæpe Argolicas debilitavit opes. Ille interfectus subiit me vindice pœnas ; Pergama tunc ferro procubuere meo. Laudibus immensis victor super astra ferebar ; Hostilem pressi fraude peremptus humum. » Wernsdorfius in Addendis. Ed. — Hoc vero est apud Pithœum et Burman. statim superiori epigrammati subjectum, et inscribitur *Item de eodem ;* quod Pentadium auctorem non aperte profitetur, sed sub nomine tamen Pentadii legi in cod. Voss. affirmat Burmannus.

1. *Invenit propriis.* Rectius in Salmasianis schedis : « Invenit proprios mediis in fontibus ignes ». Et Narcissi nomen abesse potest, quod firmat Vossii codex, in quo hiatus erat hoc modo, « Invenit propriis... in fontibus ignes » : licet *proprios fontes* hic capere possemus, ut mox *suus undas :* sed alterum acutius.

2. *Torret.* Hoc versu *urit* pro *torret* in eodem cod. Voss. et sched. Salmas. an forte *ludit ?* Burm. — Sæpe enim *mediis in aquis* additur, quando de amoris igne sermo est, ut in Anthol. Lat. I, 85, de Galatea : « Cujus et in mediis flamma suburit aquis ». Josephus Iscanus, lib. II, v. 426, de Neptuni amore : « Non cura tridentis, In mediis fervebat aquis ». Et quem ille expressit, Claudian. Idyll.V, 52 : « Fluctibus in mediis cogis mugire Tonantem » : quæ addueit Burman. l. c. ep. 28. *Proprios ignes* igitur præstat, ut mox Epigr. 145 : « Suspirat propriæ Narcissus gaudia formæ », et de eodem Narcisso Virgilius in Culice, prope finem : « Non illinc Narcissus abest ; cui gloria formæ Igne Cupidineo proprios exarsit in artus » ; ubi forte cum Francio *gratia formæ* præstat. Ed. — Similis locus apud Claudian. Rapt. Pros. I, 135, de Hyacintho et Narcisso : «Te quoque flebilibus mœrens, Hyacinthe, figuris, Narcissumque metunt, ...te disci perculit error ; Hunc fontis decepit amor ». E recentioribus non minori elegantia Hier. Angerianus, in Erotopægnio, pag. 195 : « Dum cernit nitida sese Narcissus in unda Et perit, in florem vertitur omne decus. Sæpe illum in pratis pueri, etc. » et Joh. Bapt. Amaltheus, p. 90, ed. Brouckh. « Dum tener irriguam floret Narcissus ad undam, Conscius in tacito flore revixit amor. Ecce suæ quærens simulacra fugacia formæ, Nunc quoque se liquidis spectat et ardet aquis ». Ed.

V. DE EODEM *.

Hic est ille, suis nimium qui credidit undis,
Narcissus vero dignus amore puer:
Cernis ab irriguo repetentem gramine ripam,
Ut per quas periit, crescere possit aquas.

* Habetur apud Pithœum, lib. III, p. m. 82, Scaligerum in Catalect. p. 179; Georg. Fabricium in Antiq. Monum. p. m. 86.

1. *Hic est ille.* Cod. Voss. *Hoc est,* et *creditur* in eodem et Salmas.

2. *Verus amor* hic contrarius est fallaci et inani sui ipsius amori. Burm. — Ita *verum* et *falsum* amorem opponit Ovid. A. A. I, 618. Ed.

3. *Cernis ab.* Heinsius emendat *Cernis ubi irriguo repetentem,* scilic. Narcissum. — *Ripas* erat in Salmasiano. Sequenti versu *Ut puer* vitiose in Voss. et *poscit,* in aliis *posset.*

4. *Crescere possit.* Crescere accipio pro lætari, gloriari et animo efferri, quemadmodum *gliscere* pro exsultare vel elatum esse usurpavit Statius, Theb. III, 73, « consanguineo gliscis regnare superbus Exsule », et Theb. VIII, 756, « gliscitque tepentis Lumina torva videns ». Sic et *ingens* pro superbo et elato apud Liv. IV, 6, 5: « Quum Canuleius, victoria de Patribus et plebis favore, ingens esset ». *Crescere* et *gliscere* sæpe permutari a librariis, monuit Drakenborch. ad Liv. VI, 14.

VI. DE EODEM *.

Se Narcissus amat, captus lenonibus undis;
Cui si tollis aquas, non est ubi sæviat ignis.

* Legitur apud Pithœum et Burmannum ll. cc.

1. *Lenones undæ* eleganter dixit Pentadius pro lenocinantes, pellicientes, ut alii *lenæ* vocem pari significatu adhibent. Ovid. Art. Am. III, 516: « Pro facie multis vox sua lena fuit ». Ausonius, epigr. 89, *lenam juventutem* dicit, quæ in sui amorem pertrahit. Prudentio in Hamartig. v. 260, cultus et ornatus dicitur *solvendi leno pudoris. Lena pictura* apud Claud. de Nupt. Hon. v. 25, de effigie, quæ pellicit et conciliat amantem; et alia, quæ ad hunc locum produxit Barthius.

VII. TUMULUS ACIDIS *.

Acidis hæc cernis montana cacumina busti,
   Æquor et ex imis fluminis ire jugis.
Ista Cyclopei durant monumenta furoris :
   Hic amor, hic dolor est, candida Nympha, tuus.
Sed bene, si periit, jacet hac sub mole sepultus,
   Nomen et exsultans unda perenne vehit.

* Exstat apud Pithœum, lib. III, p. m. 82; Scalig. in Catal. p. 179; G. Fabric. in Monum. Antiq. p. m. 86; Burmann. Anthol. lib. I, 148. Acis, cujus hic tumulus describitur, fuit pastor Siculus, Fauni et Symæthidis Nymphæ filius, quem quum Polyphemus prælatum sibi a Galatea doleret, et aliquando spelunca egressus procul e silvis videret Galateam in ejus gremio residentem, furore incensus saxum ex monte Ætna abreptum in hunc rivalem suum conjecit, quo obrutus Acis in flumen ejusdem nominis conversus est. Fabulam narrat Ovidius, Metam. XIII, 871 seq. brevius Silius Ital. XV, 222 seq. Vibius Sequester de flumin. p. 13 : « Acis ex monte Ætna in mare decurrit, ex cujus ripis Polyphemus saxa in Ulyssem egisse dicitur ». — Inter Veteres quoque, Polyphemi amores, quibus in Galateam arsit, descripserat satirico poemate Philoxenus, et e recentioribus venuste expressit primi ordinis inter Italos poeta, Pet. Bembus, in Elegia de Pane a Galatea eluso, et M. Ant. Flaminius, Carm. IV, 5, pag. 94, edit. Petav. Ed.

1. *Acidis hæc cernis.* Heinsius legendum esse adscripserat « Acidos hoc cernis montana cacumina bustum ». Burm.

2. *Æquor fluminis* hoc loco ἄκυρον videtur, et vix credo apud alium hoc sensu reperiri. Nam de flumine dictum vix aliud credo quam planitiem vel superficiem ejus notare posse, quæ hoc loco non spectatur. — Sic Virgilius de alveo fluminis usurpavit Æn. VIII, 96 : « Scuta virum fluvio, etc.... viridesque secant placido æquore silvas ». Ed.

4. *Candida* Nympha, de Galatea, videtur ad nomen ejus alludere : sicut et Polyphemus de ea apud Ovid. Metam. XIII, 790 : « Candidior folio nivei, Galatea, ligustri » ; et apud Theocrit. XI, 19, Ὦ λευκὰ Γαλάτεια... λευκοτέρα πακτᾶς.

6. *Nomen et exsultans unda perenne vehit.* Vitiose apud Pithœum *unde* legitur : sed *unda* scribendum dudum viderunt viri docti, et sic edidit G. Fabricius. Pro *exsultans* Lindenbrogius putat reponi posse *exudans unda*, ut Apuleius, *fons dives exudat* : sed hic fortasse *exundat* melius, et in Nostro *exsultans* confirmatur ab Ovidio, qui de ipso

Sic manet ille quidem, nec mortuus esse feretur:
Vitaque per liquidas cærula manat aquas.

Acide, XIII, 893: « Osque cavum saxi sonat exsultantibus undis ». Burmannus amplius scribendum opinatur *unda perenne dedit* pro *vehit*: quod tamen minus aptum est, et vim sententiæ debilitat. — Hoc confirmari putavit ex Epigr. de tumulo Achillis supra allato in nota, pag. 326. Ed.

7. *Nec mortuus*. Fabric. *neque*.

VIII. TUMULUS HECTORIS *.

Defensor patriæ, juvenum fortissimus Hector,
Qui murus miseris civibus alter erat,
Occubuit telo violenti victus Achillis;
Occubuere simul spesque salusque Phrygum.

* Hoc epigramma in Hectorem sub Pentadii nomine ediderunt Pithœus, lib. III, p. m. 81, et Scaliger in Catal. p. 178, quos secutus est Burman. Anthol. Lat. lib. I, n. 102; sed G. Fabricius, Antiq. Monum. p. m. 90, sine auctoris titulo proposuit: margo Pithœi Maximiano adscribit, et sub Pompeiani nomine editum occurrere in Florentina illustrium poetarum Hetruscorum editione notaverat Heinsius, testante Burmanno. In Thuaneo codice *Pompiliano* vitiose pro *Pompeiano*, et in Petaviano attribui *Maximino* pro *Maximiano*, idem testatur.

2. *Qui murus miseris civibus alter erat*. In Thuaneo codice *ater* esse, in Petaviano *ater erit*, in aliis *acer* et *altus erat*, scribit Burm.—*Murus* autem hic pro firmo præsidio eleganter positum, et inprimis usurpatur de Hectore. Apud Senecam in Troad. v. 126, Chorus de Hectore: « Columen patriæ, mora fatorum, Tu præsidium Phrygibus fessis, Tu murus eras »; et Pindarus Thebanus, v. 1015, « Plangunt sua funera Troes, Et pariter captos deflent cum funere muros ». De Achille Ovid. Metam. XIII, 82: « quanto cogor meminisse labore Temporis illius, quo Graium murus Achilles Procubuit ». Homero ἕρκος Ἀχαιῶν. Plura vid. apud Drakenborch. ad Sil. Ital. XVI, 68.

3. Vossii codex *violenter hictus*, alius *fractus Achillis*, alius *violentis ietus*, unde quis tentabat *violentius ictus*. Heinsius autem legendum putabat *nectus* vel *enectus*. Sed satius est, ut hoc loco nihil mutetur, nisi placeat sequi vestigia Thuanei codicis, et præferre hanc lectionem, « Occubuit telo violentis victus Achillis ». *Violens* enim æque receptum vocabulum ac *violentus*, et Achilli tribuitur ab Ovidio, Epist. III, 61, et in Ibid. 375. Burm.

4. *Spesque salusque Phrygum*. Frequens hoc in laudibus Hectoris, ip-

Hunc ferus Æacides circum sua mœnia traxit,
Quæ juvenis manibus texerat ante suis.
O quantos Priamo lux attulit ista dolores!
Quos fletus Hecube, quos dedit Andromache!
Sed raptum pater infelix, auroque repensum
Condidit, et mœrens hac tumulavit humo.

sam cum eo Trojam periisse. Ausonius de Hectore, Epitaph. Heroum, XIV, plane ut hic Pentadius: « Hectoris hic tumulus, cum quo sua Troja sepulta est; Conduntur pariter, qui periere simul ». Sæpius sic loquitur auctor Epitomes Homeri, qui præter locum ante allegatum v. 944 : « Unus, tota salus in quo Trojana manebat, Hector adest »; v. 1032 : « ruit omnis in uno Hectore caussa Phrygum »; et v. 1068 de rogo Hectoris : « Tollitur et juvenum magno cum murmure clamor Flebilis, ardebat flamma namque Ilion illa ». Vid. Barth. Advers. LIX, cap. 15. Similitudo hæc sententiarum arguere eumdem Epitomes et hujus epigrammatis auctorem videtur.

5. *Hunc ferus Æacides.* Totum hoc distichon ut et ultimum *Sed raptum* non legitur in Chronico Engelhusii. Ed.

6. *Quæ juvenis manibus texerat ante suis.* Hoc ita expressit Ovidius in Ibide, v. 335 : « Vel qui, quæ fuerat tutatus mœnia sæpe, Corpore lustravit non diuturna suo ». Quem locum bene Salvagnius his ipsis Pentadii versibus illustrat. Burmannus.

7. *Quantos dolores* licet exponere pro *quot dolores*, ex usu non tantum cadentis latinitatis, sed et bonorum auctorum. Ita in Burm. Anth. Lat. IV, 61, in Epitaphio Incertæ, v. 5 : « Tæderet quantos cæli convexa tueri, Quantæ sævirent in sua corda manus ». Hoc frequentatum a bonis scriptoribus docet Barth. ad Stat. Silv. IV, 3, 49, et plena manu exempla suggerit Brouckhusius ad Propert. Eleg. I, 5, 10, et XII, 4. *Tantis annis* pro *tot annis* ap. Claud. in Ruf. II, 52, et sic Cons. Olybr. 52, in III Consul. Honor. 126, et alibi. Hinc apud Dictyn Cretensem, I, 6 : « Non se ignorare ait, quantis mortalibus tam atrox facinus indignationem incuteret ». Ed.

8. *Quos fletus Hecube :* ita apud Fabric. et Pith. *Quot fletus Hecube. Quot* legitur ap. Guidonem de Messana in fine historiæ Trojanæ. *Hecubæ* et *Andromachæ* est in Florentina poetar. Hetrusc. editione; recte omnino : id enim requirit præcedens versus. Burm. Etiam Epitomes Homeri auctor præcipue Hecuben et Andromachen flentes in funere Hectoris inducit, versu 1029 : « Troja sonat planctu, fundit miseranda querelas Infelix Hecube, sævisque arat unguibus ora, Andromacheque suas scindit de pectore vestes ».

10. *Hac tumulavit humo :* ita Pith. et Scal. *contumulavit* apud Fabric. *adtumulavit* margo Pithœi, et Vossianæ schedæ *accumulavit :* at in alio Vossiano *hac tumulavit*, ut editum est, legi notavit Heins. et Burm.

IX. DE CHRYSOCOME *.

Chrysocome gladium fugiens stringente marito,
Texit adulterium judice casta reo.

* In solo codice Leidensi hoc Pentadio tributum invenit Burmannus, et quidem Is. Vossius id in margine, ut ab amanuensi omissum, adscripserat. Erat autem ibi corrupte scriptum *Chrysoconte*. Oudendorpius emendavit *Chrysocome*: cui videbatur majoris epigrammatis fragmentum esse, et intelligendum de adultero Chrysocomes judice, qui eam absolvit, maritum damnavit.

X. IN VIRGILIUM *.

Pastor, arator, eques, pavi, colui, superavi,
Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

* Dedit Pithœus, lib. II, p. m. 43, et Burmanni Antholog. Lat. lib. II, n. 203. — Nos codicem Vossian. sequuti sumus, in nostr. Virgilii editione, t. VII, p. 345, ubi varia Maronis epitaphia collegimus. Ed. — Ex pluribus verbis et rebus diversis, iisque relatis invicem, constat hoc distichon, quod recentiorum poetarum inventum esse, monui supra ad Pentadii Carmen III, v. 8. Ejusdem artificii est epigramma Citerii Sidonii de tribus pastoribus, quod tomo II Poetar. min. pag. 215 protulimus... Hujus vero edit. t. I, parte 2, p. 575. Ed. — Versus *correlativos* a Grammaticis dici, monuit J. C. Scaliger. — Simile quoque est Epigr. de Theide et Mela, Anth. Lat. III, 266, quod nos his Pentadii Epigrammatibus subjicere æquum duximus. Ed.

1. Pro *colui, superavi* editio Ald. Virgil. *sevi, superavi*.

2. *Capras, rus, hostes*. *Capras, arma, duces* in cod. Vossiano. *Campos, rus, hostes* v. cl. Hamburg. Burm.

INCERTI

DE THEIDE ET MELA *.

Me mihi subripuit contraria flamma sororum,
  Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.
Ore Melas, oculisque Theis placuere subinde
  Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.
Sed dum pulchra Melas ridet sine voce sororem,
  Despectam Theidis forma facitque Melam.
Me mihi restituit contraria flamma sororum,
  Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.

* Hoc Epigr. quod ex Burmanno damus, exstat in edit. Patiss. p. 174, et Frellon. p. 236, inter veterum poetarum Catalecta. Heinsius Amalthei esse judicavit, sed apud eum frustra quæritur. Ego vero in Deliciis Ital. Poet. quas collegit Rhanutius Gherus, t. I, pag. 73, Epigramma hujus poetæ invenio de Leonilla et Lydia: « Me lætis Leonilla oculis, me Lydia torvis Adspicit; hæc noctem nuntiat, illa diem. Has Cytherea meo stellas præfecit amori: Hæc meus est Vesper, Lucifer illa meus ». Ubi oppositionem quidem inter duas amicas, sed longe alio et elegantiori colore, expressit Amaltheus. Ed.

FIRMIANI LACTANTII

CARMEN DE PHŒNICE

SUBJICIUNTUR

NOTÆ CRITICÆ

CHRISTOPHORI CELLARII

ET

JO. LUD. BUNEMANNI

CUM

ANIMADVERSIONIBUS EDITORIS

PRAEFATIO

DE

FIRMIANI LACTANTII

PHŒNICE

ET PRÆCIPUIS EJUS EDITIONIBUS;

SIMUL

DE FIRMIANO SYMPOSIO.

Poterat hoc carmen inter Idyllia tomo II proferri, quandoquidem aliud ejusdem argumenti inter Idyllia Claudiani legitur: poterat etiam tomo sequenti, qui enarrantia vel laudantia poemata tenebit, servari. Sed ab Idylliis superioris tomi, qua argumentum suum, non nihil discrepare hoc carmen videbatur, et sequentibus tomis cum prævideo carminum apparatum superesse, qui hoc Lactantii complemento minime indigeat. Itaque metri caussa placuit Elegiis subnectere. De auctore ejus carminis magna dubitatio et controversia inter eruditos est. Firmiano Lactantio inscribunt non solum Codd. Mspti et editiones plures ex antiquissimis, sed etiam Jo. Trithemius de Script. Eccles. cap. LVI, diserte inter opera Lactantii refert, qui tamen ei titulum facit *de Paradiso*. Quod ille facere propter versus in principio carminis videtur, quibus locus et sedes Phœnicis ita describitur, ut fingere sibi situm Paradisi quidam Ecclesiæ doctores solebant. Sed recentioris Lactantio auctoris, nominatim Venantii Fortunati, esse Caspar Barthius aliquando judi-

cavit, qui tamen sententiam hanc retractavit et antiquiori ævo deberi fassus est, Advers. lib. LVI, cap. 12, et comment. ad Claud. p. 974. Idem sensit Sam. Bochartus et alii. Theodulfo Aurelianensi tribuit Jac. Sirmondus, notis ad Theodulf. p. 302, quocum facit Ittigius in Bibl. Patr. Apost. ad Clementis Epist. 1, p. 47. Lactantii esse negant, sed auctorem tamen non definiunt Aug. Buchnerus ad Hymn. de Resurr. p. 2, Jac. Thomasius de Stoica mundi exust. diss. IX, qua de Phœnice agit, item Mich. Thomasius ad Lactant. quibus auctor ethnicus homo videtur. Nihil omnino definit Christ. Cellarius in not. ad hoc carmen. Plures tamen sunt, qui auctoritate codicum quorumdam et ipsius carminis nitore adducti Firmianum auctorem agnoscant, in quibus est Xystus Betuleius, qui cum cæteris oper. Lactantii edidit et commentario illustravit; Aubertus Miræus, in scholiis ad Hieronymi de Viris Illustr. cap. 80; Petr. Lambecius, in Comment. de Bibl. Cæs. Vindob. lib. II, c. 8, p. 788, qui hoc carmen exercitationis caussa a Lactantio adhuc juvene et ethnico putant esse compositum. Præter illum codicem Vindobonensem etiam in quatuor Vaticanis codicibus, in Regiis duobus Parisinis, et in uno Sangermanensi hoc carmen Lactantio tribui testatur Nicol. *Lenglet Dufresnoy*, in præfat. ad vol. II Oper. Lact. Nicolaus vero Heinsius, qui notis atque emendationibus illustravit, genuinum Lactantii fetum in eo carmine agnoscit, idque in antiquissimo exemplo Mspto Sueciæ Reginæ Christinæ Lactantio Firmiano nominatim adscribi memorat in literis ad Sirmondum, tom. IV Opp. Sirm. p. 726. Et horum virorum sententiæ subscribunt J. A. Fabricius in Bibl. Lat. et Jo. Ludolphus Bunemannus, in not. sed cunctatur adhuc et subscribere dubitat C. A. Heumannus in præfat. ad Lact. his potissimum rationibus motus, quod ne unum quidem e veteri ævo testem habeamus, Lactantium scriptorem ejus carminis esse, et quod inter tria carmina, Lactantii operibus subjungi solita, duo certe sint aliena et subdititia, unde suspicio

magna oriatur, tertium quoque illud ejusdem esse generis. Sed si certum est, poema de Phœnice, sub nomine Lactantii Firmiani, hujus operibus, non aliorum, in vetustis exemplaribus subjungi solitum, satis grave hoc esse argumentum arbitror, quo Lactantii esse probetur. Librarii minora et solitaria carmina non facile adscribere prosaicis scriptoribus, sed majorum poetarum, ut Virgilii, Ausonii, Claudiani voluminibus solebant. Si igitur adscripserunt Lactantii Operibus, fecerunt hoc sane, propterea quod eum poetam, et certum ejus poematis auctorem esse scirent. Quod deinceps aliud carmen *de Pascha* et *de Passione Domini* isti subjectum est, id fecerunt sine dubio librarii similitudine argumenti et Christiana opinione ducti, qua Phœnicem symbolum esse mortis et resurrectionis Dominicæ judicabant. Et sunt aliæ rationes, quibus hoc carmen Lactantio probabiliter adstruatur, ejusmodi, ut certe meliorem sententiam vix reperiri posse existimem. Grammaticum fuisse Firmianum, et simul carminibus componendis clarum, e scriptis ejus ab Hieronymo allegatis liquet. Sed Grammaticorum veterum hic mos erat, ut crebris progymnasmatibus, non soluta modo oratione, sed etiam numeris adstricta, luderent, quibus et ipsi se exercerent scribendo, et exempla scriptionum proponerent juventuti. Et metricæ inprimis orationi operam dedisse Lactantium juvenem, quum allegationes Hieronymi, tum alia aliorum testimonia demonstrant. Quæ quia a doctis viris, qui testimonia de Lactantio congesserunt, prætcrita video, quod vel ignorata, vel de Lactantio non intellecta essent, recitabo ea hoc loco integra, ut simul fragmenta, non animadversa adhuc, deperditorum Lactantii librorum repræsentem. Sic autem Maximus Victorinus, libello *de carmine heroico*, inter Gramm. Putsch. pag. 1957: *Nostra quoque memoria Lactantius de metris*, pentameter, *inquit*, et tetrameter. Rufinus Grammaticus, *de metris Comicis*, p. 2712, Putsch. « Firmianus « ad Probum de metris Comœdiarum sic dicit: Nam quod

« de metris Comœdiarum requisisti, et ego scio plurimos « existimare, Terentianas vel maxime fabulas metrum non « habere Comœdiæ Græcæ, i. Menandri, Philemonis, Di- « phili, qui trimetris versibus constant. Nostri enim veteres « Comœdiæ scriptores in modulandis fabulis sequi malue- « runt Eupolim, Cratinum, Aristophanem, ut præfatum est ». Idem Rufinus statim pergit : « Mensuram esse in fabulis, « hoc est μέτρον, Terentii et Plauti, ac cæterorum comicorum « et tragicorum, dicant hi, Cicero, Scaurus, Firmianus, « Varro, Victorinus, Cæsius, Bassus, etc. » Christianus Falsterus in Memoriis obscur. clariss. quorumdam ingen. et monum. quæ ejus Quæstionibus Romanis annexæ sunt, pag. 25, hos ipsos locos e Rufino recitans, Firmianum ignotis Grammaticis accenset. Sed manifestum est, citari ea e Firmiani Lactantii epistolis ad Probum, quæ ab Hieronymo memorantur, et in quibus multa disputabat de metris, ut testatur Damasus Epist. I ad Hieron. qui « plurimas « epistolas Lactantii, ait, ad mille spatia versuum tendi, et « raro de Christiano dogmate disputare, quo fiat, ut et le- « gendi fastidium generet longitudo, et si qua brevia sunt, « Scholasticis magis sint apta, quam Ecclesiæ doctoribus, de « metris et regionum situ et philosophis disputantia ». Carminis de Phœnice plane ea est ratio, ut statim appareat, a Grammatico profectum et exercitationis caussa scriptum esse. Nam ut bene animadvertit Xystus Betuleius in scholio huic carmini præmisso, non aliud est illud quam præexercitamenti genus, quod a Græcis ἔκφρασις, a Latinis Descriptio vocatur, et ambitiosam plenamque rei per omnes caussarum appendices vel περιστάσεις expositionem continet. Nihil est earum rerum, quas Veteres de Phœnice fabulati sunt, quas auctor ille non diligenter et terse instar picturæ et perfectæ imaginis enarret. Comparet quis Claudiani, idem argumentum persequentis, poema, et in eo non Grammatici operosam elaborationem, sed poetæ nati spiritum et ingenium deprehendet, qui multa eorum, quæ Firmianus tractavit,

tamquam minuta et indigna prætereat, unam vero et primariam Phœnicis actionem, nempe bustum sibi apparantis et post reparatam vitam in Ægyptum tendentis profectionem, majestatis plenam, cum totius Naturæ admiratione et ministerio, variisque commentis, more poetico intertextis, decántet. Ipsum argumentum de Phœnice, quod sibi singulari carmine tractandum sumpsit auctor, testari de ætate videtur, qua vivebat Lactantius. Etsi enim jam vetustis et ethnicis scriptoribus multum decantata erat fabula Phœnicis, vitam suam reparantis, eaque antiquitus haud raro pro symbolo æternitatis, et sigillatim in nummis quibusdam Imperatorum tamquam imago consecrationis, qua Cæsares de busto suo quasi Phœnices in alteram Deorum vitam transirent, usurpata erat, ut Ezech. Spanhemius de usu et præst. numism. Diss. V, p. 285, et latius Gabr. Carola Patina, Caroli Patini filia, singulari epistola de Phœnice in numism. Imper. Antonini Caracallæ expressa, Ven. 1683, 4, docuit (1); multo magis tamen ea Christiano ævo cœpisse videtur celebrari, postquam Christiani doctores inde usque a Clemente Romano adsueverant ab ea argumentum κατ' ἄνθρωπον pro confirmando primario dogmate de resurrectione mortuorum ducere. Notum est, in sepulcralibus veterum Christianorum monumentis frequenter inveniri pictos Phœnices, tamquam signum resurrectionis : neque minus constat, in Christianorum Imperatorum, inde a Constantino M. nummis multo frequentius, quam ante, imaginem Phœnicis expressam conspici, qua felicior quædam reparatio sæculi, per Christianam religionem facta, significaretur. Inprimisque amasse vel in usum reduxisse hoc symbolum Phœnicis Constantinus M. videtur, qui laceratum adhuc bellis multorumque imperiis orbem Romanum virtute sua in suum unius imperium coegisse, et novam quasi formam imperio

(1) De qua epistola amplius vid. Act. Erud. Lips. Lat. 1684, pag. 587, et Crenius in Animadvers. Philol. parte IX, p. 203.

Romano induisse videbatur. Hæc igitur idea renovati orbis, quasi Phœnicis, cum Constantini M. ævo maxime invaluisset, et in multum multorum usum venisset, quis dubitet, hinc præcipue occasionem materiamque condendi de Phœnice carminis subnatam esse poetæ eorum temporum, nempe Lactantio, qui Constantini M. ævo, et sub initiis exsurgentis per orbem terrarum Christianismi, vivebat; sicut et Claudiano caussam eam fuisse existimo, ut idem argumentum, tum maxime solenne et Christianis Imperatoribus, quibus inserviebat, valde gratum poemate celebraret. Stylus carminis omnino nitorem et flumen orationis Lactantianæ refert, et Nic. Heinsius, vir magno judicio, et optimus harum rerum cognitor, Lactantii genuinum fetum in eo agnoscit. Nova et recentiore sæculo reperta vocabula in eo, ut in cæteris Firmiani scriptis, occurrunt, et sigillatim insolens et solitaria vox *magnities* v. 145, vindicare hoc carmen Lactantio potest. Nam cujus sola analogia defendi ea potest, *minuties* apud ipsum Lactantium, Instit. lib. II, 4, 12, prætereaque apud Apuleium et Arnobium, scriptores Afros, qualis ipse Firmianus erat, reperitur. Cæterum, ethnicus adhuc Lactantius, an Christianis sacris jam imbutus, hoc carmen scripserit, certo affirmare non audeo. Quæ in eo a quibusdam reperta sunt ethnicismi vestigia, exempli caussa, quod Phaethontis fabulam et Deucalionis diluvium affert, quod Phœnicem Phœbi satellitem, et luci venerandam sacerdotem, vocat, ea more et jure poetæ, vetustiores imitantis scripta esse, et scriptori, pleraque e gentilibus scriptoribus haurienti, indulgeri possunt, neque omnino ad Christianæ doctrinæ sanctitatem offendunt; quamquam nec certa Christianismi indicia, quæ Gryphiander et alii voluerunt, in eo reperiri existimo.

De Phœnice ipso, et quæ de fabulosa ea ave vel veteres scriptores diverse tradiderunt, vel recentes eruditi judicarunt, hic commentari et enarrare amplum nimis et operosum, nec omnino hujus loci esset. Quoniam vero, quæ an-

tiquis a scriptoribus relata de Phœnice erant, Lactantius in hoc carmen congessisse videtur, qui eruditionis suæ lectionisque in variis omnis memoriæ et sectæ scriptoribus diligenter versatæ documenta in scriptis suis, quæ supersunt, et quæ perierunt, ut alii testantur, luculenta dedit, juvat saltem hoc loco scriptores veteres præcipuos, qui antiquam de ave Phœnice traditionem propagarunt, quorumque loca hodie exstant, nominare. Præcipui sunt Herodotus in Euterpe; Horus hieroglyphicorum scriptor, lib. II, cap. 57; Ovidius, Metamorphos. XV, 392, seq.; Pomponius Mela, III, 28; Plinius H. N. X, 2; Tacitus, Annal. VI, 28; Ælianus, Hist. Anim. VI, 58; Athenæus, XIV, 20; Philostratus, Vit. Apoll. III, 49; Lucianus de mort. Peregr.; Achilles Tatius de Clit. et Leuc. amor. III, p. 215; Solinus, Memorab. c. 33. Recentiorum eruditorum fabulam hanc excusserunt quam plurimi, partim Zoographi illi, Gesnerus, Franzius, Aldrovandus, Bochartus, quibus addi potest Vossius pater, de Orig. Idolol. III, c. 99; partim, qui ad Veterum loca modo memorata commentati sunt, Barthius ad Claudianum, Salmasius ad Solinum, p. 385 seq. edit. Traj.; Is. Vossius ad Melam, Betuleius, Gallæus et alii ad Lactantii Phœnicem, Ignatius *Bracci*, commentario ad Claudiani Phœnicem, Ven.; Ernestus ad Tacitum; partim denique, qui peculiares de ea ave dissertationes ediderunt, ut Gryphiander, Kirchmayerus in dispp. Zoolog., Deusingius, David Caspari, Jac. Thomasius de Stoica mundi exust. diss. IX, Jo. Casp. Posnerus in prolus. auspicali, quæ exstat Eloquent. Acad. p. 404, qui ipsi etiam plures alios hoc argumentum tractantes indicarunt.

De vita et scriptis Firmiani Lactantii quum satis affatimque egerint, qui integra ejus Opera ediderunt, merito hic plura dicere supersedemus. Neque etiam recensum agemus editionum, quibus opera ejus prodierunt, quum eum satis amplum dederit Bunemannus; nobis autem cum solo carmine de Phœnice res sit. Propius igitur nostro instituto erit, ut eos solum percenseamus doctos viros, qui carmen

hoc vel sejunctum a cæteris Lactantii operibus ediderunt, vel ampliori instruxerunt commentario. Quos quidem omnes ad notitiam meam pervenisse, vix mihi persuadere possum, nonnullos tamen et præcipuos quidem, qui de hoc poemate singulariter meriti sunt, et quibus partim ipse usus sum, hic sufficiet indicare. Habeo ipse vetustissimum ejus exemplum, sæculo XV excusum, in quatuor foliis formæ quartæ, nullo quidem anno vel nomine editoris apposito, sed in cujus fronte viri docti manus notavit, Swollis apud Petrum Ossensem impressum esse. Titulus est: « L. Cœlii « Lactantii Firmiani poetæ ac oratoris facundissimi de Phœ« nice unica ave Arabiæ Carmen. Cui additur P. Ovidii Na« sonis ex Metamorph. versus de eadem ». Valde convenire hoc exemplar cum mspto Biblioth. Vindob. cujus variantes lectiones enotavit Lambecius, lib. II, p. 788, duobus tantum locis exceptis, deprehendi, habere etiam, ut illud, versus Ovidii de Phœnice subjunctos, quorum primus in Swollensi est *Nec tamen ex aliis generis primordia ducit*, rectius vero ille in MS. Vindob. ut in editionibus, legitur *Hæc tamen... ducunt*. Inter Epigramm. et poem. vetera P. Pithœus, ut incerti auctoris carmen, produxit, p. 381, edit. Lugd. Idem exstat in Choro poetarum lustrato et illustrato, quem Alexander Fichetus, licet dissimulato nomine, edidit Lugd. 1616, in-4. Nic. Heinsius ad calcem Claudiani, cum curis secundis et notis variorum editi, addidit Lactantii Elegiam de Phœnice cum notis. Amstel. 1665, in-8. Præterea inter Opera et fragmenta veterum poet. Latinorum a Mich. Maittario adornata, Lond. 1713, in-fol. vol. II, p. 1599. Alias poetarum collectiones, ubi forte legatur, prætereo. Cum commentario amplissimo Phœnicem Lactantii Jo. Gryphiander edidit Ienæ, 1618, in-4, sicut Ignatius *Bracci* Phœnicem Claudiani cum commentario Italice scripto, Maceratæ a. 1622. Libellus Gryphiandri inscribitur: *Phœnix poetarum carminibus celebratus et commentariolo illustratus*, et præter Lactantii carmen, cum applicatione ad Christum proprio

carmine decantata, Ovidii versus de Phœnice, Metam. XV, fab. 34, Claudiani Idyllium, et Baptistæ Mantuani fragmentum carminis de Phœnice exhibet. Sequitur dissertatio de Phœnice et Veterum testimoniis ducta, qua ejus veritas adseritur, deinde commentarius in singulos versus carminis Lactantiani (1). Nicol. Alardus de nido Phœnicis ex Lactantio disputavit, et nonnulla hujus carminis illustravit, Hafniæ, 1647, in-4, ut refert Alb. Bartholinus de scriptis Danorum, p. 103, edit. Hafn. 1668, in-8. Inter editores Operum Lactantii, qui hoc carmen uberiore commentario illustrarunt, eminent Xystus Betuleius, Basil. 1563, in-fol. Servat. Gallæus, Lugd. Bat. 1660, in-8, J. L. Bunemannus, Lips. 1739, in-8. Barthius in comment. ad Claudiani Phœnicem multa Lactantii attigit, similiter Nic. Heinsius ad Claudianum id poema notis et emendationibus illustravit. In recentissima et luculenta Operum Claudiani editione, quæ Amstelodami, 1760, in-4, prodiit, subjuncta est Lactantii Elegia de Phœnice, cum curis secundis Nic. Heinsii et adnotationibus Petri Burmanni Sec. Ipse ad recensendum et interpretandum hoc carmen præter vetustum illud exemplum Swollense, supra memoratum, uti potui editione Basileensi

(1) Integrum etiam carmen Lactantii Petrus Texelius operi suo inseruit, quod *Phœnix visus et auditus* inscriptum Roterodami 1703, in-4, prodiit, libro I, cap. 26, p. 83, et deinde versus ejus sæpius allegat, et cum aliis scriptoribus confert. Hic per vastum librum suum ostendere conatur, Phœnicem symbolice et ænigmatice significare Jacobum Patriarcham, qui in Phœnice seu Canaan natus, denatus in Ægyptio, Heliopoli, ibidemque aromatibus conditus et a filiis in Canaan sepultus; tum populum Israelis esse, in quo Joseph, Moses, Aaron, Josua, illa Jacobi progenies semper revixit in sua posteritate, quæ nulla fraude, nulla vi deleri potuit. — Quibus tandem supervenit *Jesus Christus*, unigenitus Patris, primogenitus ex mortuis, tertio die resurgens, pignus gloriosæ nostræ resurrectionis. Hæc Texelius summatim lib. II, cap. 2 in fine. Etiam Casp. Barthius Phœnicem celebravit et ad Christianismum accommodavit singulari carmine, quod post Fabularum Æsopiarum libros V edidit Francof. 1623, in-8.

Andr. Cratandri, 1524, in-4, Xysti Betuleii, P. Pithœi, Jo. Gryphiandri, C. A. Heumanni, J. L. Bunemanni. Burmannianæ quidem, licet maxime vellem, copiam non habui, sed recentissima illa et splendissima Operum Lactantii editione, per Nic. *Lenglet Dufresnoy*, *Paris.* 1748, vol. II, in-4, adornata, mihi uti licuit beneficio amici, cui plura debeo. Bunemannus non solum varias lectiones ex libris msptis, Vindobonensi apud Lambecium, Guelferbytano, et uno e tribus Lipsiensibus, tum plerisque editionibus antiquis, collegit, sed Barthii etiam observationes, quibus Lactantiani Phœnicis quædam loca castigantur, indicavit. Bunemanni igitur et superioribus Cellarii castigationibus quum, quod ad operam criticam spectat, abunde præstitum Lactantiano carmini videretur, ipse satis habui horum virorum recensionem sequi, et integras eorum notas subjicere. Meis in adnotationibus addidi subinde, quæ Lengletus e codice Sangermanensi, sane optimo, observasset, unde ipse multa melius constitui et correxi, cæterum ea præcipue exsequutus sum, quæ interpretationem spectarent.

Quum plura Firmiano poemata adscribi, atque etiam Operibus ejus adjungi soleant, poterat instituti et promissi mei caussa exspectari, ut eadem conferrem huc atque una sisterem. Sed carmina de Pascha et de passione Domini non Lactantii, sed Venantii Fortunati esse, dudum certis judiciis eruditorum decisum est, et Ænigmata Symposii poetæ, quæ C. A. Heumannus Lactantio, tamquam Symposium ejus ab Hieronymo memoratum, singulari libello adserere adnisus est, primusque Operibus Lactantii adjunxit, mihi accuratius argumenta omnia consideranti tam adhuc aliena a Firmiano Lactantio videntur, ut sententiæ Heumanni nondum possim subscribere. Etenim Symposium, quod Hieronymus inter scripta Firmiani nominat, neque versibus scriptum, neque ludicri argumenti, ut quidem ænigmata illa convivalia sunt, fuisse videtur, et credibile est, simile potius fuisse Symposiis illis Veterum eruditis, ut Sa-

turnalibus Macrobii, et cæteris Lactantii scriptis, quæ memorantur ut Grammatico et epistolarum libris, in quibus eruditas quæstiones propositas fuisse testantur Veteres. Contra Symposii, ut poetæ auctoris, nomen proprium non solum omnes libri mspti ænigmatum collectioni præfigunt, testante Fabricio, Bibl. Lat. lib. IV, cap. 1, § 7 : sed agnoscunt etiam hujus scriptorem nominis Sigebertus Gemblacensis, de Script. Eccles. cap. 132, de Aldhelmo Scoto, aliorum ænigmatum auctore loquens, et Anonymus Mellicensis, c. 73, *virum eruditissimum sermone ac scientia* nominans. Nec ignotum alias Symposii nomen, inter viros antiquitatis memorabiles, fuisse, idem, quem allegavimus, Fabricius prodit, siquidem Symposius quidam Seleuciensis in Isauria episcopus fuit, qui interfuit concilio Cpol. A. C. 381, nec non Symposius Episc. Hispanus, in Synodo Cæsaraugustana A. C. 380, et Toletana A. C. 400 condemnator Priscillianistarum, cum quibus antea ipse fecerat. Quin Cœlium Symphosium, auctorem ænigmatum præscribit Petr. Pithœus in Poemat. veter. p. 534, haud dubie Mpti auctoritate ductus, idemque p. 23 et 24 Cælio Firminiano vel Firmiano Symphosio carmen de livore, et alterum de fortuna, tribuit. Unde, si rem candide judicare volumus, recte colligere videmur, duos in antiquitate exstitisse Firmianos, unum qui Lactantii cognomentum gereret, alterum, qui Symphosii; Firmiani autem nomen, ut ipse Heumannus in Præfat. ad Sympos. Lact. § 18, bene judicat, non a patria Firmo vel Formiis Lactantio inditum, sed proprium fuisse, siquidem eo solo Hieronymus, Rufinus Grammaticus, et alii Veteres cum quandoque indicant. Rectius igitur Cælium Firmianum Symposium ænigmatum, forte et duorum, quæ diximus, carminum, auctorem habemus, Lactantium solius carminis de Phœnice. Diversos Firmianos styli etiam in utroque carmine diversitas ostendit. Nam in ænigmatum contexto inprimis observatur frequens illa Afris scriptoribus usurpatio præpositionis *de*, sæpe abundantis aut cum alia permutandæ, quam in Lactantii

Phœnice, quem tamen æque juvenis scripsisse perhibetur, non deprehendimus. Equidem hunc dicendi modum nec in duobus Symphosii lyricis carminibus observamus; hoc tamen adeo mirari non necesse est, quum sint admodum brevia, et metri fortasse ratio eum usum respuerit. Ænigmata igitur Symposii nihil ad Lactantium, et quum ea epigrammatum potius, quam justi carminis, formam habeant, nescio, an ullum in nostra poematum collectione locum sortiri possint (1). Sed illa duo certe Firmiani Symposii de livore et de fortuna carmina in Lyricorum classe, mox ordinanda, proferentur.

(1) Quod hic adserit Wernsdorfius duos inter Veteres claruisse Firmianos, unum Lactantii, alterum Symposii cognomine insignes, eximie roborant quæ in Pithœi collectione Symposio adscribuntur carmina. Scilicet ænigmatum auctor Symposius in primo Procemii versu prodit, se plura ante atque alia carmina scripsisse: « Hæc quoque Symposius de carmine lusit inepto ». Quo significat antea se severa et gravia carmina composuisse, nunc de carmine inepto, hoc est, genus quoddam inepti et ludicri carminis, esse quæ scribat. Cæterum propositum suum immutasse Wernsdorfius videtur, quod Ænigmata quæ vix ullum in hac collectione locum obtinere posse putabat, deinceps operis hujus vol. VII, parte secunda, inserendum judicavit, in quo eum sequi decrevi. Ed.

DE

LACTANTII PHOENICE

ELOGIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. COELIUS RHODIGINUS, LIB. V, CAP. II.

Lactantii carmen, Phœnicis argumento, non utique inamœnum, sed quod scriptoris ejus genuinam sapiat facundiam, ingeniique præferat facilitatem haud adspernabilem.

II. ERASMUS, CHILIAD. II, CENT. 7, N. 10.

Exstat de Phœnice carmen et Firmiani Lactantii, non inconcinnum per Musas, neque fastidiendum.

III. G. J. VOSSIUS DE POET. LAT. CAP. IV, PAG. 55.

Ad hæc adscribitur ei (Lactantio) carmen de Phœnice: sed hoc hominis videtur gentilis, quum de Phœbo loquatur, ut vero numine, ac Phœnice, tamquam ejus sacerdote.

IV. CASP. BARTHIUS, COMMENT. AD CLAUD. PAG. 974.

Scriptor Elegiæ de Phœnice non equidem, quod alibi visum nobis aliisque, Venantius, quum longe sit facilior, et propior Romanæ poesi isto, omnia conturbante, ut docte videatur loqui. Facile enim crediderim eum scriptorem Claudiano veteriorem esse, et ætatis Lactantianæ, quum solidiorem adhuc Latinam linguam non corrumperet Christiana eloquentia.

V. Christoph. Cellarius in not. ad Lact. Phœnicem.

Hujus carminis auctor multis incertus est ac dubius. Barthius suspicatur Venantii Fortunati esse; Sirmondus, Theodulfi. Sed nitor ejus utique temporum meliorum est, quibus imitatio veterum poetarum majori curæ fuit, quam istorum ævo, etc.

VI. Nic. Heinsii, in Præfat. ad carm. de Phoen. subjunctum Claudiani editioni Elzevir. Amstel. 1665, p. 902.

Alitér longe sues, aliter catuli, quod est in proverbio. Plurimus enim nitor ubique, plurima et felix æmulatio poetarum optimorum passim in hoc opusculo apparet. Quare Lactantii genuinum esse hunc fetum dubitari sit nefas, præsertim quum veterrimum Vossii exemplar hanc inscriptionem liquido ostendat: *Versus Lactantii de ave Phœnice;* sed et Bartholinianus codex: *Lactantii Firmiani de ortu et obitu Phœnicis carmen elegantissimum*. Præter hosce tres alii sub finem poematii Lactantio id disertis verbis adscribunt, etc.

VII. Nicol. Lenglet Dufresnoy, in præfat. ad vol. II Oper. Lact.

Pauca adjiciam de Phœnice. Hos versus nollem omnino auctori nostro abjudicare; certe hominis sunt acuti ingenii, in re poetica versatissimi. Illi etiam Lactantio tribuuntur in quatuor Vaticanis codicibus, etc.

FIRMIANI LACTANTII

CARMEN DE PHŒNICE *.

Est locus in primo felix Oriente remotus,
Qua patet æterni maxima porta poli:

* In adnotationibus Wernsdorfii ad Lactantii Phœnicem, ipse se ait, non ultro, sed quodam fato, varietates lectionis omisisse, quas in Actis Societatis Latinæ Jenensis, vol. V, pag. 6, cum aliis ad Cornelii Severi Ætnam, Symposii Ænigmata et Prisciani Periegesin e codicibus Florentino, Suecico et S. Galli petitas exstare quidem noverat, et ipse ad manus habebat. Eas porro celeber quidam Criticus in Gallia ad marginem editionis Pith. Epigr. et poem. veterum notaverat, unde ab alio viro docto excerptæ in Bibliothecam Societatis Jenensis pervenerunt. Lectiones Phœnicis Lactantiani e solo codice Suecico sunt, et plurimæ quidem cum aliorum codicum scripturis a Wernsdorfio adnotatis conveniunt, quædam tamen singulares sunt et egregiæ, emendationesque nonnullas per conjecturam a sapientissimo editore factas nova auctoritate confirmant. Itaque visum est, singulas e libro Societatis Jenensis repetitas suo quamque loco adponere. Ed.

1. *In primo Oriente*, h. e. extremo et remotissimo, qui ultra cognitum Orientem est. Claudianus hic conspirat, *lucum summo*, h. e. extremo *æquore circumfluum*, i. e. insulam a continente separatam, *trans Indos Eurumque* nominans. Alii Indiam tantum vel Arabiam Phœnicis sedem memorant. W. — *Remotus*. Ita Vindob. Guelf. Lips. tert. et editi omnes; at Barth. ad Claud. pag. 974, inscite ita vulgatum dicit, corrigens *remotu*, quod felicem ipso secessu dicere voluerit: nescio, an eruditorum consensu ita corrigat. Bunem.

2. *Maxima porta poli*. MSS sic referunt: vulgares *janua celsa*. Cell. Sic MSS Vind. Lips. tert. Ven. 1471, 72, utraque 1478, 1493, 1497. Pier. *Parrh*. et sic Lactantius ex Ennio L. 1 Instit. c. 18, n. 11: « Mi soli cæli maxima porta patet ». Bunem. *Maxima porta* etiam Sangermanensis cod. et antiqua mea Petri Ossensis. Poetæ *portas* vocant quascumque regiones cæli, unde vel sidera vel tempestates erumpunt. Certe *Arctoam portam* pro septemtrionali plaga dixit Statius, Theb. VII, 35. Præcipuas tamen duas cæli portas faciunt Orientalem et Occidentalem. Hinc Virgil. Æn. X, 5, *bipatentia tecta cæli* dicit, et occidentalis

Nec tamen æstivos, hiemisque propinquus ad ortus;
Sed qua sol verno fundit ab axe diem.
Illic planities tractus diffundit apertos,
Nec tumulus crescit, nec cava vallis hiat.
Sed nostros montes, quorum juga celsa putantur,
Per bis sex ulnas eminet ille locus.
Hic solis nemus est, stat consitus arbore multa
Lucus, perpetuæ frondis honore virens.
Quum Phaethonteis flagrasset ab ignibus axis,

portæ meminit Stat. Theb. X, 1 : « Obruit Hesperia Phœbum nox humida porta ».

3. *Nec tamen*. Ita Lips. tert. et pleræque vulgatæ. Sed Vind. Ven. 1471, 1472, utraque 1478, 1493, 1497. Pier. *Nec tantum*. Bunem.

4. *Sed qua*. Lips. tert. *in qua*. Vind. Veo. 1471, 1478, 1493, 1497. Pier. Parrh. *in quo*. Bunem. et MS Sangerm. *in quo*. — *Verno ab axe*. In Oriente verno, i. e. æquinoctiali sedem Phœnicis ponit, quia hic temperatissimus. Triplicem enim ortum solis statuunt, solstitialem, hibernum et æquinoctialem, de quo vid. Plin. lib. II, c. 19; Gell. lib. II, cap. 22.

8. *Per bis sex ulnas*. Sic omnes scripti et excusi. Barth. c. l. vult *ter bis sex* : spatiom enim alias vilius ipsi videtur. Bunem. — *Eminet ille locus*. Vid. Munck. ad Hygin. fab. p. 281, fab. 199. Bunem. Scilicet *ex* in *eminet* pro *extra* poni existimat Munck. ut Curt. IV, 2, *eminebat aquam*. Seneca, Agam. 968 : *Exiit Mycenas*. Lactantius hoc dicto vult regionem Phœnicis, licet planam undique, multo tamen altiorem aliarum regionum montibus, etiam altissimis, esse. Ideo inaccessibilem facit Claudianus. Gryphiander intelligi sublunarem illam regionem putat, in quam subtractum Paradisum dicebant quidam Veteres; sed hoc non opportunum videtur.

9. *Stat consitus arbore . . . virens*. Supremum *virens* ex consensu scriptorum est, ubi vulgati *viret* : cujus caussa *stat* pro *est* laudatus Heinsius ponendum censet. Cell. *Stat consitus* : ita correxit Heins. ubi in MSS Ven. 1471, 1472, utraque 1478, etc. *et consitus*; in Lips. tert. *viret*; sed Vind. Ven. 1471, 1478, 1493, 1497, Pier. *virens*, quod Heinsii *stat* requirit. Alias satis bene : *et consitus . . . viret*. Bunem.—Et iis libris a Bunemanno citatis codex Suecicus accedit. Ed.

10. *Perpetuæ frondis honore*. Ovid. Metam. I, 565, « Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores » : adde Emmeness. ad Virgil. Georg. II, 404, et ad Æn. I, 591. Bunem.

11. *Quum Phaethont*. Incendium Phaethontis notum ex Ovidio, Met. II. De magna siccitate, quæ aliquando evenerit, intelligendum esse, dubio caret. Sed qui ex Eliæ Thesbitæ historia confictum opinator, et currum adeo igneum ejus huc trahit, Gryphiander sine dubio falsus est.

Jlle locus flammis inviolatus erat:
Et quum diluvium mersisset fluctibus orbem,
Deucalioneas exsuperavit aquas.
Non huc exsangues morbi, non ægra senectus,
Nec mors crudelis, nec metus asper adit,
Nec scelus infandum, nec opum vesana cupido,
Aut Mars, aut ardens cædis amore furor:
Luctus acerbus abest, et egestas obsita pannis,
Et curæ insomnes, et violenta fames.
Non ibi tempestas, nec vis furit horrida venti,
Nec gelido terram rore pruina tegit.
Nulla super campos tendit sua vellera nubes,
Nec cadit ex alto turbidus humor aquæ.
Sed fons in medio est, quem vivum nomine dicunt,

14. *Exsuperavit aquas:* quia scilicet altiorem omnibus locum dixerat. Et Claudianus: « soliusque plagis defensus iniqua, etc. » De Paradiso propterea hunc locum intelligit Gryphiander, quia diluvio Noachi constet omnem terram opertam fuisse. Sed quid opus erat, Deucalioneum, quod auctor nominat, diluvium de Noachico intelligere? quid, somnia de Paradiso affingere poetæ cæterum ethnico.

15. *Non huc.* Editi ante Aldum *hunc*, sc. locum. Burm. Sic etiam Vind. et mea vetusta. Basil. 1524, *huc.* — Pro *exsangues morbi*, codex Suecicus habet *exsanguis morbus*, idque mihi probabilius videtur, propterea quod cætera similia, quæ sequuntur, numero singulari expressa sunt. Ed.—Quæ hic sequuntur ad v. 24 usque, duobus versibus omnia complexus est Claudianus: » Possidet intactas ægris animantibus oras, Sæva nec humani patitur contagia mundi ».

18. *Aut Mars.* In MSS Vind. Lips. tert. et Ven. 1471, 1478, 1493, 1497. Pier. *aut metus*, male; vid. v. 16: nec melius Vindob.—Etiam codex Suecicus hic: *Aut metus.* Ed. — *Cedit amore*, Burm. Etiam vetusta mea et MS Sangerman. legit *aut metus:* et *cedit amore* Sangerm.

21. Pro *furit*, *feret* cod. Suec. Ed.

23. *Sua vellera nubes.* Nubem ningentem intellige, et *vellera* nives. Vid. quæ notavimus ad Gratium, tomo I, p. 34, et ad Severum. Sanctum, v. 87, t. II, p. 225. — Hujus ed. t. I, pagg. 42 et 583. Ed.

24. *Turbidus humor.* Vetustum exemplar Swollense *timidus humor*, vitiose.

25. *Fons in medio* in Suec. omisso *est; vinum* pro *vivum.* Ed. — *Quem vivum nomine dicunt*, nempe vivum κατ' ἐξοχήν, qui vitam det et conservet: alias enim vivi fontes sunt tantum nativi et perennes. Malo rursus Gryphiander fontem vitæ in Paradiso e Gen. II, 6, huc trahit.

Perspicuus, lenis, dulcibus uber aquis.
Qui semel erumpens per singula tempora mensum,
Duodecies undis irrigat omne nemus.
Hic genus arboreum procero stipite surgens,
Non lapsura solo mitia poma gerit.
Hoc nemus, hos lucos avis incolit unica Phœnix,
Unica, sed vivit morte refecta sua.
Paret, et obsequitur Phœbo memoranda satelles.
Hoc Natura parens munus habere dedit.
Lutea quum primum surgens Aurora rubescit,
Quum primum rosea sidera luce fugat;

26. *Perspicuus, lenis.* MSS Vind. Ven. 1471, 1478, 1493, 1497. Pier. Parrh. *perspicuus, lucens.* Bun. Etiam Swoll. *perspicuus lucens.*

27. *Tempora mensum :* hoc est *mensium*, syncope. Adde Paschalem hymnum, qui sequitur, v. 42. Cell. *Mensum* sæpe invenitur pro *mensium*. Ovid. Fast. V: « Nec tu dux mensum Jane biformis eras ». Unde non possum adsentire cl. Pfaffio, qui in Hilarionis exposito de die Paschæ pro *mensum* MS legendum putabat, pag. 228, *mensium :* ibid. pag. 222, *mensum* retinendum, et p. 225, *mensuum* MSS corrigendum: *mensum*. Vindicarunt aliis Gronov. ad Gell. lib. I, cap. 25, pag. 121; Nonnius, Gruter. Lambin. Græv. ad Cic. orat. 2 in Verr. c. 75; ad lib. 3 Fam. ep. 6, et lib. 7, ep. 17, pr. et Muret. ad Orat. Phil. duodec. c. 9; Voss. in lib. II Anal. c. 14; Lindenbrog. ad Censorin. de die nat. c. 22, p. 119, et A. Schottus ad Vir. illustr. pr. f. 156, ed. Francof. 1609, et Buchner. ad carmen de Pascha, p. 37. Bunem.

30. *Non lapsura solo*, hoc est, perennia, nunquam decidua : *solo* pro *in solum*. Sic Olympius, Laud. Herc. v. 59 : « illidens prensos tellure dracones ».

31. *Avis unica Phœnix*. Sic Ovid. Am. II, 6 : « Et vivax Phœnix, unica semper avis ». Pomp. Mela, lib. III, c. 8 : « De volucribus præcipue referenda Phœnix, semper unica; non enim coitu concipitur, partuve generatur ». Plinius quoque scribit X, 2, « unum in toto orbe, nec visum magnopere ». — Vid. Hug. Grotius, Eleg. I, pag. 157. Ed.

32. *Unica, sed vivit*. MS Vind. et Ven. 1471; utraque 1478, 1493, 1497, *unica, sic vivit*, et mox *Phœbi*. Bunem. Etiam vetusta Swoll. *sic vivit* et *Phœbi*.

33. *Phœbo memoranda satelles*, h. e. ministra, atque, ut infra, sacerdos, quia Phœbi ubique conscia, certas actiones quasi ad nutum et imperium ejus peragit, horas et periodos observat. Quæ ratio est, cur et alii Soli sacrum Phœnicem dicant. Plin. X, 2 : « Sacrum in Arabia Soli esse, vivere annis 660 ». Tacitus, Annal. VI, 28 : « Sacrum Soli id animal, et ore ac distinctu pinnarum a cæteris avibus»

Ter quater illa pias immergit corpus in undas;
Ter quater e vivo gurgite libat aquam.
Tollitur, ac summo considit in arboris altæ
Vertice, quæ totum despicit una nemus;
Et conversa novos Phœbi nascentis in ortus,
Exspectat radios et jubar exoriens.
Atque ubi sol pepulit fulgentis limina portæ,
Et primi emicuit luminis aura levis;
Incipit illa sacri modulamina fundere cantus,
Et mira lucem voce ciere novam :
Quam nec aedoniæ voces, nec tibia possit

diversum ». Hinc Claudiano *Titanius ales.*

37. *Pias immergit in undas*, h. e. beneficas et salubres, quæ corpus ejus quotidie recreant. Sic *pia februa* Ovid. Fast. V, 423; *pius amnis* Claud. Cons. Prob. 97. Antiquum exemplar Swoll. habet *pia demergit corpus in unda.* Absurde hic Gryphiander statuit, immersione Phœnicis initiationem per baptismum innui.

39. *Considit :* ed. Colon. *concedit.* Ven. 1471, 1478, et reliquæ, et MSS *consedit.* Bunem. Edit. vet. Swoll. *conscendit in arboris.*

41. *Et conversa :* MS Vind. *Sic conversa*, et v. 43, *Ast cum.* Ven. 1471—1502, *ubi*, et, v. 44, *et primum.* Bunem.

43. *Pepulit fulgentis limina portæ.* Swoll. ed. vet. *lumina portæ*, male, quia *luminis* sequitur, et *pepulit* aperturam portæ spectat, ut apud Ovid. Fast. III, 642, « querulas inpulit aura fores » ; pro quo Propert. IV, 8, 51, « totas resupinat Cynthia valvas ». Valvas portæ Solis operose describit Naso, Metam. II, init.

44. *Luminis aura levis.* De splendore et reverberatione luminis *auram* dixit, duce Marone, Æn. VI, 204 : « Discolor unde auri per ramos aura refulsit ». Atque ex hoc loco Lactantii aliquantum firmari potest lectio, alias ambigua, apud Virg. Georg. II, 47 : *tollunt in luminis auras*, ubi alii *oras* volunt. Cæterum hoc versu *Et primum emicuit* legit MS Vind. et ed. Swoll.

46. *Lucem voce ciere novam.* Variant libri, *movere*, *monere*, *referre*, *ciere.* Heinsius opinatur *fovere.* Cell. Sangerman. habet *movere.* — Suecicus habet *voce referre.* Ed.

47. *Aedoniæ voces.* Vulgatum *Iuleæ*, quod in MSS non reperitur, quorum est *idoneæ*, *ydoneæ ;* unde Heinsius docte conjecit *aedoniæ*, quod pervetusto codici Vossiano congruit, qui *aidoniæ* habet. Aedon autem luscinia est, et auctor carminis ad Pisonem, sub finem, *aedonia superantur voce cicadæ.* Cell. In MS Vind. et Lips. tert. ad oram Thom. Ven. 1471—1510, et plurimæ editiones : *Iuleæ voces*, quas ita dictas volunt a Iulo hymni genere. Turneb. Advers. L. 17, c. 9, *Iulæas* voces credit musicas et

Musica Cirrhæis adsimulare modis;
Sed neque olor moriens imitari posse putatur,
Nec Cyllenææ fila canora lyræ.
Postquam Phœbus equos in aperta refudit Olympi,
Atque orbem totum protulit usque means;
Illa ter alarum repetito verbere plaudit,

canoras, quales musicorum erant, in certamine Capitolino, quod ab Imperatoribus committebatur, qui a poetis Iuli appellabantur; sic Phrygii Iulii, oliva Iulæa. Parrhasius sic dici putabat, quod Iulis oppidum fuerit insulæ Ceæ, patriæ Simonidis, qui melicus a cantus suavitate dicebatur; sic Iulides aves dulcissimi cantus. Jacobus Constantii tentabat, *Arionæ voces;* denique Ptolem. Flavius legit, *Quam nec Hyelææ voces*, ab urbe Sirenum Hyelæa; vide ejus Syllog. IV, Conject. c. 89, in Gruter. tomo I Thes. Crit. p. 990. Acquiescimus in doctissima Heinsii emendatione: ita quoque censuit J. F. Gronovius in liter. ad Ant. Clementium, et in MS ita haberi Gallæus testatur; conf. et hic Ptol. Flavii l. c. c. 90. In MS Guelferb. forma maj. papyr. prope ad verum, *idonee*. Bun. Mira hic supinitas Gryphiandri, qui ubique *Judææ*, quod nemo alius, scribit, Turnebi sententiam affert et probat, qui *Iulææ* legit, rursus tamen *Judæas voces* dictas, putat, quia præ aliorum populorum hymnis Deo gratæ fuerint olim; et hinc Mariæ Virginis hymnum applicat. — Hic vero pro *Iulææ*, quod accedit ad aliorum MSS lectionem *idoneæ* Suec. cod. dat *Cidoneæ*. Ed.

48. *Cirrhæis adsimulare modis:* modis et cantibus Phocaicis, id est, Musarum et Apollinis. Cirrha enim est Phocidis oppidum ad mare situm. Cell.

50. *Cyllenææ lyræ:* a Mercurio, qui Cyllenius cognominatur, inventæ. Cell. — Horat. Epod. XIII, *fidem Cyllenæam* nominat. Ed.

51. *Equos in aperta refudit Olympi*, h. e. lucem, quam efflant et spargunt equi, per patentem aera, super horizontem, diffudit. Idem est, ac quod Ovid. Metam. II, 157, de Solis equis: « postquam facta est immensi copia cæli ».

52. *Orbem totum protulit*, MSS Vind. et Ven. 1471, 1497; *pertulit*, et iidem cum reliquis: *usque means*. Barthius ad Claud. p. 978 contendit legendum: *usque canens*. Bun. *Pertulit* etiam ed. Swoll. sed *protulit* omnino rectum, i. e. retexit, et conspiciendum dedit. Quomodo Virg. Æn. IV, 118: « ubi ortus Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem ». Propius sequutus est hunc locum Virgil. Æn. IX, 461: « Jam Sole infuso, jam rebus luce retectis ».

53. Vulgati editique omnes versus quatuor sequentes ad 56 usque sic ordinant: « Illa ter alarum... Non errabilibus... Atque eadem... Igniferumque, etc. »; in quo ordine, accuratius attendenti facile apparet, pentametros non recte respondere hexametris suis, nec sententiam satis cohærere. At MS Sangermanensis, teste Lengleto *Dufresnoy*, transpositos pentametros

Igniferumque caput ter venerata, silet.
Atque eadem celeres etiam discriminat horas
Non errabilibus nocte dieque sonis.
Antistes nemorum, et luci veneranda sacerdos,
Et sola arcanis conscia, Phœbe, tuis,
Quæ postquam vitæ jam mille peregerit annos,
Ac se reddiderint tempora longa gravem;

doorum distichorum exhibet. Hic vero ordo tam manifeste aptus, tam ab ipsa re et seoteotia poetæ requisitus apparet, ut mirer, criticos adhuc nullam turbationem versuum subodoratos esse. Nam certe hoc vult Poeta: Phœnicem ortum solem ter repetito alarum plausu venerari; post eum singularum discrimina horarum singulari sono indicare, et quidem interdiu noctuque. Igitur pro necessitate rei non dubitavi, quamvis ipse Lengletus non fecerit, ordinem eum versuum, uti MS Sangerman. dedit, repræsentare. — *Alarum repetito verbere*: ut de gallo gallinaceo Lucret. de Rerum Natura, IV, 714: « Quin etiam gallus noctem explaudentibus alis, Auroram clara consuetus voce vocare ».

54. *Igniferumque caput*: id est, solem. Bun. *Illustre caput* Ovid. Met. II, 50.

56. *Innarrabilibus*. Clare sic Vossii membranæ. Vulgo: *non errabilibus*. Cell. MSS Vindob. Lips. tert. et editi nostri, et Barth. ad Claud. p. 978: *Non errabilibus*, nec aliter Guelferb. *Innarrabilis* aliunde non est notum magis, quam errabilis. Heumannus tuetur: *non errabilibus*, ex sequentibus. Bun. Recetum est *Non errabilibus*. Significat Poeta, phœnicem singularum noctis pariter ac diei horarum initia indicare tam accurate, ut nunquam erret. Eumdem io modum Gellius, lib. XVII, cap. 19, *impeccabilem* vocavit eum, qui peccare non potest. Ita Heumannus. *Non errabilibus* etiam habet MS Sangerman. antiqua ed. Swoll. Basil. 1524, et P. Pithœus.

57. Pro *nemorum, et luci*, cod. Suec. *luci nemorum*. Ed.

59. *Jam mille peregerit annos*. Mille annos etiam Claudianus pooit v. 27: « Namque ubi mille vias longinqua retorserit æstas »; et Auson. ep. 6, ad Paulin.: « Nec quia mille annos vivit Gangeticus ales »; Plin. 660, quamvis ipse lib. VII, c. 48, fabulosum putet. Tacitus maxime vulgatum quingentorum spatium ait; sicut et Pomp. Mela, Seneca, Ambrosius, Æneas Platonicus. Infinitam annorum seriem ei tribuit Hesiodus apud Plutarch. de Defect. Orac. quod carmen latine reddidit Ausonius, p. 533, edit. Toll. et in Burm. Anthol. lib. V, 142. Paria habet Ausonius in Gripho ternario, v. 12 seqq.

60. *Ac se reddiderint*. Barth. ad Claud. p. 978 legit: *Et sic reddiderint*; sed recepta est omnium librorum, etiam Guelferb. *se* pouitur pro *eam*, quod quoque vidit cl. *Davies* ad auctorem de Bello Afric. c. 49, p. 649. Plura exempla habet Buchnerus ad carmen de Pa-

Ut reparet lassum spatiis urgentibus ævum,
Adsueti nemoris dulce cubile fugit.
Quumque renascendi studio loca sancta reliquit,
Tunc petit hunc orbem, mors ubi regna tenet.
Dirigit in Syriam celeres longæva volatus,
Phœnices nomen cui dedit ipsa Venus,
Secretosque petit deserta per avia lucos,
Hic ubi per saltus silva remota latet.
Tum legit aerio sublimem vertice palmam,
Quæ gratum Phœnix ex ave nomen habet.

scha, v. 82, p. 56, 57; Muncker ad Hygin. c. 60, p. 108, et c. 121, p. 182. BURM.

61. *Ut reparet lassum ævum :* lassam ætatem, senectutem. Lips. cod. *lapsum*. CELL. MSS Vind. et Guelf. *Ut reparet lapsum ;* et Gallæus cum vet. cod. malebat, *lapsum fatis urgentibus*. BUR. Etiam Sangermanensis *lapsum*. — Cod. Suec. legit *lapsum* et *fatis vergentibus*. — Illud *spatiis urgentibus* latius declarat Claud. v. 30 : « Tum multis gravior tandem subjungitur annis, Lustrorum numero victus » : quod defendere nostram lectionem *lassum* videtur. Sed voces *lassus*, *lapsus*, *læsus*, *fessus* sæpe permutari a librariis, vidimus supra ad Eleg. X, vers. 9.

62. *Assuetum*, cod. Suec. ED. — *Dulce cubile;* ut dulces nidi avium, et patria sua cuique dulcis. Vid. Halieutic. Grat. v. 123, et not. ad Halieut. alt. v. 107.

63. *Loca sancta :* quæ nullum aliud animal adire potest, nulla sors humana tangere, ut latius descripsit supra v. 15 seqq. Claudianus, v. 9, dicit « intactas ægris animantibus oras ».

66. *Phœnicis*, cod. Suec. ED. — *Phœnices nomen cui dedit ipsa Venus.* Venus culta in Syrophœnice. *Phœnice* autem Latinis æque ut Græcis est regionis nomen, non Phœnicia. CELL. Male editi plerique, etiam vetus Swoll. *vetus*. Nomen regio Phœnice accepisse putatur a phœnice palma, qua abundabat. Nec alia caussa, cur phœnicem avem in hanc regionem palmiferam dicerent ad renascendum migrare, fuisse videtur, quam quod idem cum palma nomen et naturam habere credebatur. Nam et phœnix arbor ex se ipsa renascitur, et quasi se ipsam reseminat. Vid. Plin. XIII, 4, sect. 9, et lib. XXI, 8. Quod posterius verbum etiam Ovidius ad Phœnicem avem transtulit, Metam. XV, 392 : « Una est, quæ reparet, seque ipsa reseminet ales ».

70. *Quæ gratum Phœnix.* Nic. Heinsius *Quæ Graium* legit h. l. et in notis ad Ovid. Fast. v. 8, approbante Grævio ad Sueton. Tiber. c. 46, p. 800 : nam sæpe in MSS *Graius* et *gratus*, *Græcia* et *gratia* confunduntur, quod in Lactantii quoque libris deprehendimus. Mox Lips. tert. et ad Gallæum Vetus : « Et quam nulla nocens animans ». BURM.

In quam nulla nocens animans perrumpere possit,
Lubricus aut serpens, aut avis ulla rapax.
Tum ventos claudit pendentibus Æolus antris,
Ne violent flabris aera purpureum;
Neu concreta Noto nubes per inania cæli
Submoveat radios solis, et obsit avi.
Construit inde sibi seu nidum, sive sepulcrum:
Nam perit, ut vivat; se tamen ipsa creat.
Colligit hinc succos, et odores divite silva,
Quos legit Assyrius, quos opulentus Arabs;
Quos aut Pygmeæ gentes, aut India carpit,
Aut molli generat terra Sabæa sinu:

71. *In quam nulla nocens animans:* scriptura antiquissimi cod. Vossiani. Editum erat : « Quam nec dente nocens animal ». Cell. Posterius placet Heumanno. Bunem. Hoc etiam mea Basil. 1524 habet, et Petr. Pithœus in Poemat. vet. dedit : antiqua Petri Ossensis exhibet *dente potens*, quod etiam in edit. 1497 esse tradit Heumannus. MS Sangerm. : « Et qua nulla nocens animans ». — Cod. Suec. cum Vossiano quem Cellarius citat consentit : « In quam nulla nocens animans ». Ed.

73. *Pendentibus Æolus antris :* pendentia sunt suspensa, arcuata, cava. Ovid. Metamorph. XIII, 810 : « vivo pendentia saxo Antra »; et Her. XV, 141 : « scabro pendentia topho ».

74. *Aera purpureum.* Betuleius et Lengletus interpretantur matutinum; ego simpliciter puto esse purum, serenum, candidum. Quidquid late splendet et candet, id purpureum Latinis. Horat. Carm. IV, 1, 10, « purpureis ales oloribus ». Virg. Ecl. V, 38, « purpureo narcisso ». Eleg. in obit. Mæc. 62, « purpurea candidiora nive ».

75. *Notus* pro *Noto*, cod. Suec. Ed. — *Concreta Noto nubes.* Notus vel Auster nubes cogit et pluvias affert. Cornel. Severus in Ætna, v. 288 : « Sive introrsus agunt nubes, et nubilus Auster »; et Virg. Georg. I, 462 : « unde serenas Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster ».

76. *Radius* pro *radios ; ussit* pro *obsit*, cod. Suec. utrumque mendose. Ed.

77. *Seu nidum, sive sepulcrum.* Claudianus, v. 44 : « Componit bustumque sibi partumque futurum ». Statius etiam aram vocat Silv. III, 2, 114 : « Quæ sibi præsternat vivax altaria Phœnix ».

78. *Sed tamen*, cod. Suec. Ed.

79. *Colligit hinc.* E variis et remotis regionibus Orientis odores colligere Phœnicem dicunt plerique alii, ut Claud. de Raptu Pros. II, 83 : « Quidquid ab extremis ales longæva colonis Colligit, optati referens exordia sæcli ».

81. *Quos aut Pygmeæ gentes.* Py-

Cinnama dehinc, auramque procul spirantis amomi
  Congerit, et mixto balsama cum folio:
Non casiæ mitis, nec olentis vimen acanthi,
  Nec turis lacrymæ, guttaque pinguis abest;
His addit teneras nardi pubentis aristas,
  Et sociam myrrhæ vim, panacea, tuam.
Protinus instrato corpus mutabile nido,

gmæos alii in India collocant, alii in Ægypto, vel Æthiopia. Plin. VI, cap. 30, et VII, cap. 2.

83. *Auramque...spirantis amomi.* Reponit Salmasius *uvamque*: atqui *aura amomi* pro ipso amomo ponitur, *aura* pro odore, quem exhalat amomum. Heins. ad Ovid. Metam. XV, 394. Bunem. MS Sangerman. sic: « Cinnamum hic avisque procul spirantis amomi ».

85. *Vimen acanthi.* Non liquidis saltem utitur Phœnix ad texturam nidi, sed et viminosa materia, eademque bene olente, acanthi, mira solertia, quam in aliis quoque avibus miratur Plin. X, 33: « Hirundines, inquit, nidos luto construunt, stramento roborant. Si quando inopia est luti, madefactæ multa aqua pennis pulverem spargunt; ipsum vero nidum mollibus plumis floccisque consternunt, tepefaciendis ovis, simul ne durus sit infantibus pullis ». Ed. — Hic etiam Virgilium imitatus est Georg. IV, 123: « nec flexi tacuissem vimen acanthi ».

87. *Nardi pubentis aristas.* Nardus frutex est spicosus, qui se in aristas spargit, quæ præcipuo in honore sunt. Ovid. de ipso Phœnice loquens, Met. XV, 398, « et nardi lenis aristas ». Celebratur tamen et folium nardi. Martial. XIV, 146: « Tinge caput nardi folio ». — *Pubentis* dicit ut jam maturescentis. *Pubentes herbas* etiam Virg. Georg. III, 126.

88. *Et sociam myrrhæ pascua grata nimis.* Sic omnes editi: duo MSS Gallæi et Lips. tert. *vim panathea ture* legunt; sed nec sana hæc, nec apta, quia v. 86 de ture præcessit. Bunem. *Pascua* singulari significatu, de re qualibet, quæ pascit, nutrit, delectat, non tam gustu, quam odore: qualis est messis odorum, et *copia narium* apud Horat. Carm. II, 15, 6. — *Nimis* h. l. recentioris latinitatis more, pro *valde, affatim.* Vid. Nemes. Cyneg. 113, et de Aucup. 26. Sed propter insolentem et parum elegantem usum vocis *pascua* et *nimis* diffiteri nolo, mihi verba hæc glossam et interpolationem recentioris librarii sapere. Cum trium scriptorum codd. quos Bunemannus nominavit, lectione valde convenit Sangermanensis optimus, qui legit: « Et sociam myrrhæ vim Banachea tuam »: ubi unusquisque facile videt, legendum esse *Panacea.* Hæc vero inter odores et salutares herbas veteribus poetis adeo celebratur, ut non dubitem Lactantium, qui ubique lectionem Veterum prodit, hic *panaceam* inter odores, quibus nidum suum consternit Phœnix, nominasse. Apud Virg. Æneid. XII, 419, *odorifera panacea* dicitur; apud Lu-

Vitalique toro membra quieta locat.
Ore dehinc succos membris circumque supraque
Injicit, exsequiis immoritura suis.

canum, IX, 918, *panacea potens*. Non dubitavi hanc optimam et auctoritate codicum confirmatam lectionem in ipsum textum recipere.

90. Singularis hic scriptura cod. Suec. est *Nidalique toro*. Quam vocem novam formasse Lactantius videri potest, ut nidum significaret ei pro toro funebri vel nido esse. Sed *nidus* ante jam nominatus est, et omnino *vitali* elegantius graviusque est, satisque auctoritate fultum. Ed. — *Vitalique toro membra quieta locat.* Barth. ad Claud. p. 987 legit *vitalique rogo*. Bunem. At Barthius sic corrumpit magis, quam emendat: neque melius egit Lengletus *Dufresnoy*, qui hic e codice Sangerm. edidit *In talique toro*. Non alio magis ex loco, quam hoc quum eruditio et elegantia Lactantii, tum quorumdam interpretum ineptiæ apparent. Betuleius ad *vitalem torum* observat, ita dici, quod in eo vitam recuperaturus sit. Et « videtur, inquit, Lactantius in hoc incumbere, ut spem resurrectionis hominibus incutiat ». Gryphiander hoc verbum præterit, et satis habet ad *corpus mutabile* adnotare, hoc « primum convenire Messiæ, cujus corpus per mortem ita innovatum, ut æternum vivat ». At Lactantius nihil aliud eo vocabulo, quam veterum Romanorum dictionem usurpavit, qua *vitalem torum* feralem, et *vitalia* mortualia, vel funebria, quibus cadavera efferrentur, appellare solebant, sive boni ominis caussa, sive quod vere iis lectis, quibus vivi erant usi, efferrentur honestiores, ut viliores sandapila vel arca. *Vitalis lectus* et *vitalia* duobus Petronii locis occurrunt, cap. 42 et 77, tum Senecæ epist. 99. Dudum hanc elegantiam Lactantii aperuit Heinsius ad priorem Petronii locum, adsentiente Burmanno, tum in epist. 472, tomo IV Syll. Burman. ubi Lactantium argute lusisse in *vitali toro* existimat. Nam torus mortualis Phœnici revera est pro vitali, quod hinc renascitur. Idem in eodem versu *membra vieta* scribendum putat, non *quieta*, saneque pulcherrime; quamquam et *quieta* aptissimum est, quia *quieti* pro sitis et sepultis dicuntur. — Idcirco ego non velim *membra quieta* removere et *vieta*, ut suadetur, scribere. *Quietus* enim proprium est de mortuis vel sepultis. Ovid. Am. III, 9, 67: « Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna ». Ed. — Vid. Calpurn. VIII, 38. In Senecæ quidem loco allegato recte legitur: « Quam multis quum maxime funus locatur, quam multis vitalia emuntur! »

92. *Exsequiis immoritura suis.* Etiam hoc docte Lactantius ex more veteri funerum: nam pollinctura corporum, atque unguenta infusa, præcipue exsequiarum nomine veniebant. Ovid. ex Pont. I, 9, 51: « Ille tibi exsequias et magni funus honoris Fecit, et in gelidos vertit amoma sinus ». Et Tacitus, Annal. XIV, 9, de Agrippina: « Cremata est convivali lecto, et exsequiis vilibus ». Vid. Kirch. de Fun. lib. I, cap. 7.

Tunc inter varios animam commendat odores,
Depositi tanti nec timet illa fidem.
Interea corpus genitali morte peremptum
Æstuat, et flammas parturit ipse calor;
Ætherioque procul de lumine concipit ignem:
Flagrat, et ambustum solvitur in cinerem.
Hos velut in massam cineres in morte coactos

93. *Tunc inter varios animam commendat.* Barth. l. c. pag. 989, Ego, inquit, emaculem: « tunc Mithræ in varios animam commendat odores », ut Mithram solem vocet, more Persarum. Ego puto locum sanum esse, et *commendat* significare *deponit*, cujus rei exempla nota sunt, ita tamen, ut antecedens ponatur pro consequente; unde hunc versum nihil aliud dicere credo, quam hæc Ovidii Metam. XV, 400: « finitque in odoribus ævum », i. e. moritur. Bunem. Recte Bunemannus: necesse enim, mortem Phœnicis hoc verbo significari, quam mox morte peremptam dicit.

94. *Depositum* pro *depositi* in cod. Suecico legitur. Ed.

95. *Genitali morte.* Παραδόξως, quæ ipsa caussa sit gignendi.

96. *Flammam* pro *flammas*, cod. Suec. Ed. — *Flammas parturit.* MS Vind. et Ven. 1497, *flammas protulit;* in v. 97 *ætherioque* est in Lips. tert. ubi editi *Aerioque*. Bunemann. Claudianus, cum aliis, inflammari Phœnicem solis radiis, ipso alis ventilante, atque adeo vivum cremari dicit, v. 59: « Fervet odoratus telis cælestibus agger, Consumitque senem ». Mela et Tacitus, plane non conflagrare, sed sponte mori et ex carne putrescente alium exoriri. Lactantius contrarias has sententias quasi conciliare et combinare videtur. Namque Phœnicem prius mori facit, sed mortui corpori remanere calorem insolitum, unde æstuet intus, et radiis solis tactus facile flammam concipiat.

97. *Ætherioque*, cod. Suec. ubi Pithœana et vulgares habent *Aerioque*. — Sed hæc verba *aerius* et *ætherius* plerumque permutantur. Ed.

98. *Ambustum solvitur in cinerem.* Barthius erudite corrigit c. l. *angustum solvitur in cinerem*, i. e. minutum, parvum. Nemo enim cinerem ambustum vidit. Sed quid? si *ambustum* ad *corpus* referas, v. 95, quod *solvitur in cinerem:* immo non omnia in Phœnice combusta, sed quædam modo *ambusta*, auctor credidisse videtur ex v. 117, 118. Mox v. 100 quoque Barth. idem et MS Vind. et Lips. tert. *et effectum*, non ut Betuleius *et affectum;* et v. 99 Lips. tert. *Quos velut.* Bunem. Omnino *ambustum* ad *corpus* referendum est; sed et *angustum*, quod Barthius vult, bona ratione nititur. Nam *breves*, *parvi*, *angusti* cineres et reliquiæ mortuorum, ipsique mortui, dici solent. Vid. quæ notavimus ad Epitaph. Homonœæ, Eleg. VIII, v. 4. Cæterum et versu 99 Sangermanensis habet *Quos velut.*

99. Cod. Suec. cum Sangerman. legit *Quos*, ubi vulgati *Hos*, et *moto coactus* pro *morte coactos.* Ed.

Conflat; at effectum seminis instar habet.
Hinc animal primum sine membris fertur oriri,
Sed fertur vermi lacteus esse color.
Creverit immensum subito cum tempore certo,
Seque ovi teretis colligit in speciem.
Inde reformatur, qualis fuit ante figura,
Et Phœnix ruptis pullulat exuviis.
Ac velut agrestes, quum filo ad saxa tenentur,
Mutari tineæ papilione solent.
Non illi cibus est nostro concessus in orbe;
Nec cuiquam implumem pascere cura subest.
Ambrosios libat cælesti nectare rores,

103. *Creverit immensum*, ex MSS est; vulgati, *Crevit in immensum*. Cell. Ita MSS Vind. et Lips. tert. sed nullus coojunctivus præcessit, nec sequitur, et vulgatum magis convenit cum Lactaotii stylo, si idem hujus carminis auctor est. Lact. lib. II Inst. cap. 13, n. 9: « multiplicato in immensum numero »; l.VII, 16, 2: « exercitibos in immensum auctis ». Ubi plura, etiam Ovidii: *crevit in immensum*, observavi. Addo et Boethii lib. I, Metr. 2, v. 5: « Crescit in immensum noxia cura ». Mallem *Crescit in immensum* etiam in nostro loco. Bunem. Etiam Lengletus coojicit *Crescit in immensum*. — Cod. Suec. cum aliis MSS legit *Creverit* pro *Crevit in*. Ed.

106. Cod. Suec. habet *exubiis*. Ed.

107. *Solo* pro *filo* cod. Suec. porro hic codex ad hunc versum diserte exhibet *ad taxa* quod jam Pithœus et Thomasius legendum conjecerant pro *Saxa*, qua auctoritate fultum texto inseri meretur. Ed. — *Quum filo ad saxa tenentur*, *Mutari pennæ*. Præclare ad hunc locum clar. Thomasius docet loco *pennæ* scribendum esse *tineæ*. Nam tineæ sunt vermes illi, ex quibus serici papiliones nascuntur, hoc vero in loco videtur poeta imitari voluisse Ovid. lib. ult. Met. qui de hac eadem mutatione sic ait: « Quæque solent canis frondes intexere filis Agrestes tineæ, res observata colonis, Ferali mutent cum papilione figuram ». In priori tamen versu illa, *filo ad saxa tenentur*, eidem videntur non satis cum re ipsa convenire, quum fila illa potius ad frondes vel ad ramos ducantur, quam ad saxa: propterea putat potius legendum *taxa*, quam *saxa*. Ego facile adsentio Thomasio de *tinea*, quod et Gryphiander statuit, et Pithœus in margine. De *saxo* tamen in *taxum* mutando dubito. Fortasse enim de bombyce vermiculo Assyriæ loquitur, quem Plinius scribit nidos luto fingere salis specie, applicatos lapidi, lib. XI, cap. 22.

110. *Implumem*, i. e. teneram in ætate et recens natum; ut Virg. G. IV, 513: « Implumes nido detraxit ». Ed.

Stellifero teneri qui cecidere polo.
Hos legit, his alitur mediis in odoribus ales,
Donec maturam proferat effigiem.
Ac ubi primæva cœpit florere juventa;
Evolat ad patrias jam reditura domos.
Ante tamen, proprio quidquid de corpore restat,
Ossaque, vel cineres, exuviasque suas,
Unguine balsameo, myrrhaque, et ture soluto
Condit, et in formam conglobat ore pio :
Quam pedibus gestans contendit solis ad ortus,

112. Pro *teneri* MS a Gallæo laudatus habuit *tenues;* et sic edidit *Dufresnoy.*—Et sic habet cod. Suec.

113. *Alitur mediis*, cod. Suec. Ed.

114. *Proferat effigiem.* Ita quoque MS Vind. videtur habere; nec placet apud Gall. Vet. Cod. et Lips. tert. *perferat.* — *Perferat* habet cod. Sang. idque prætulit Lengletus, et mihi magis placet, eo quod assimilari videtur partui maturo, qui *perferri* dicitur. Vid. not. ad Calpurn. X, 24.

115. Pro *Ac ubi* habent Ven. 1471-1515, et plures, *Ast ubi.* Sed neque *Ac* ante vocalem, neque *Ast* facile ponunt cultiores. Hinc mallem, ut v. 43, *Atque ubi.* Bun. — *Has* pro *ast*, et *juventus* pro *juventa*, codex Suecie. Ed.

116. *Ad patrias.* Ita quoque MSS Vind. et Lips. tert. et Ven. 1497. Bun. Basil. 1524, Gryph. et Pith. ed. habent *ad primas.*— Et ita quoque habet cod. Suec. Ed.

117. *Proprio quidquid de corpore.* Vide, an potius *patrio* vel *prisco* legendum sit. Nam Claudian. v. 72, *Manes paternos* dicit; Tacitus, *subire patrium corpus;* Herodotus, gestare patrem myrrha obvolutum; Mela, « Quum adolevit, ossa pristini corporis inclusa myrrha in Ægyptum exportare ». — Sic *proprio* et *patrio* commutari in codicibus vidimus ad Eleg. III, vers. ult. Ed.

120. *Conglobat ore pio.* Hinc Claudian. v. 73 : « Auctoremque globum Phariæ telluris ad oras Ferre juvat ». Idem Laud. Stil. II, 416 : « collectaque portat Unguibus ossa piis ». *Pio*, quo pietatis aliquod officium obit. Sic *pium ignem* Ætnæ vocat Corn. Severus, v. 601, qui cedendo parcendoque pietatis officium juvat. Conf. supra v. 37.

121. *Quam pedibus gestans.* Vid. Salmas. ad Tac. Ann. VI, c. 28. Bun. *solis ad ortus.* Ita omnes. Sed Is. Vossius ad Melam, l. 3, c. 8, scribendum censet : *solis ad urbem*, quod approbat Ittigius ad Clement. ep. 1, pag. 47. Bunem. Approbat etiam Gryphiander. Nam in Heliopolin, vel Solis urbem, perferre tradunt Ovidius, Mela, et diserte Tacitus, qui Annal. VI, 28 : « Traduntur priores alites Sesostride... et post Ptolemæo dominantibus, in civitatem, cui Heliopolis nomen, advolavisse ». Est autem Heliopolis urbs Ægypti, et Ægyptus e Syria venienti non ad orientem sita, sed ad occidentem.

Inque ara residens, ponit in æde sacra.
Mirandam sese præstat, præbetque videnti;
Tantus ibi decor est, tantus abundat honor.
Principio color est, qualis sub cortice lævi,
Mitia quem croceum punica grana legunt;
Qualis inest foliis, quæ fert agreste papaver,
Quum pandit vestes Flora rubente polo:

122. *Ponit in æde sacra.* MS Vind. et vet. cod. apud Gall. *promit.* Bun. — *Arma* pro *ara* et *promit in æde* habet cod. Suec. Ed.

123. *Præbetque videnti.* MSS Vind. Lips. tert. et alius Gall. et Ven. 1497, Pier. Parrh. *præbetque vehenti*, vet. codd. *præbetque vehementi.* Bun. — Hoc versu *Mirandum*, et *præbet vehementes* dat codex Suecicus. Ed.

124. *Tantus ibi.* Barth. pag. 980, c. 1. corrigit *Tantus ei.* Bunem.

125. *Sub cortice lævi Mitia quem croceum.* Optima Nic. Heinsii in loco difficili et inquinato conjectura. Vulgo *sub sidere cæli....croceo.* Cell. In Lips. tert. *qualis sub sidere cæli Mitia qui croceo*, et in vet. cod. *qui croceo pumica.* Quid est, inquit Barthius, p. 980, *qualis sub sidere cæli?* nemo hæc intellexit hactenus. Scribe: « Principio color est, qualis sub sidere, cæli Mitia quem in croceo punica grana legunt ». Color est quasi cæli sub sole hoc rubicundi aut purpurantis contra fulgorem aureum, qualem in croceo legunt punica grana, quum mitia sunt poma. Poetice eleganterque. Puniceum colorem in croceo dicit, quomodo sæpissime solentesque loquuntur scriptores, quum colorum res aut pigmentorum agitur. — *Sub cortice lævi* correxit Heinsius ad Ovid. Metam. X, 736, ed. Burm. p. 741. Bunemann.

126. *Qui croceo*, cod. Suec. ut Lips. tertius a Bunemanno citatus. Quum hæc lectio omnium vulgatorum sit, fateor iniquiorem videri emendationem Heinsii, eamque felicius a mutatione vocis *legunt* petendam, legendumque *qui croceo punica grana tegit.* Tum vero sub sidere cæli croceo intelligendus est Oriens. Ed.

128. *Quum pendens vestit sole rubente polus.* Iterum Barth. p. 981: Non video hic ullam scriptore suo dignam elegantiam: Polus vestit papaver pendens sole rubente. Nugæ meræ sunt. Agreste papaver inter aristas enasci, puniceis foliis croceam Cererem distinguere, nemini ignotum. Id voluit noster vates, ut superiori hæc comparatio respondeat. Quare scribendum arbitramur: « Quum segetem vestit sole rubente polus ». Ruber, flavus et puniceus conveniunt, ut in superiori disticho. In Lips. tert. legitur: « Quum pandit vestes flore rubente polo ». Similia in alio codice videtur reperisse, qui in Gallæi editione legendum censet: « Quum pandit vestes Flora rubente polo ». Bun. Sic plane, ut ille in Gallæi editione censuit, edidit Lengletus e codice Sangerman. qui habebat « Quum pandit vestes flore rubente polo ». Nec dubitandum, veram hanc esse poetæ scripturam, quam

Hoc humeri, pectusque decens velamine fulgent;
Hoc caput, hoc cervix, summaque terga nitent.
Caudaque porrigitur fulvo distenta metallo,
In cujus maculis purpura mixta rubet.
Clarum inter pennas insigne est desuper, Iris
Pingere ceu nubem desuper alta solet.
Albicat insignis mixto viridante smaragdo,
Et puro cornu gemmea cuspis hiat.
Ingentes oculi: credas geminos hyacinthos,
Quorum de medio lucida flamma micat.

in textum admisi. *Vestes* de florum colore elegans et usitatum poetis. Sic *colorum velamina* vocat Ovid. de Iride loquens, Metam. XI, 589; Ausonius de Rosa, v. 29: « Vertice collectos illa exsinuabat amictus »; et Pervig. Ven. v. 52: « Hybla florum rumpe vestes ». In *rubente polo* matutinum tempus intellige, quo maxime flores explicari et colorari solent, ut idem Ausonius in Rosis tradit.

129. *Fulget* pro *fulgent*, hoc loco dat cod. Suec. Ed.

131. *Caudaque porrigitur*. Barth. scribit *retro erigitur*; vid. p. 981: judicent alii. Mox v. 133 Lips. tert. *Harum inter*. Bun. — *Distenta met.* —*Distenta* etiam codex Suec. neque hoc spernendum. Ed. — Idem cod. Voss. *distenta*, ubi vulgo *distincta*. Cell. Ita Voss. cod. sed non est, quod repudiemus lectionem MSS Vind. Lips. tert. Ven. 1478—1493, reliquarum: *fulvo distincta metallo*. Cauda distincta fulvo metallo est cauda, cui pennæ roseæ sive aurei coloris intermixtæ sunt. Ita mihi persuadet locus geminus Plinii de Phœnice c. 10, n. 2: « cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus »: habet præterea vox *distincta* aliquid antiquæ elegantiæ, ut ad Lact. l. II, 6, 6: « distincta gemmis fulgentibus pocula »; et mox in hoc carmine, v. 141, iterum: « flavo distincta metallo ». Sed hic minus sana videtur, uti mox dicetur. Bun.

133. *Clarum inter pennas insigne est desuper*. Cristam Phœnicis describit, sive apicem in modum cristæ, eumque Iridi comparat. Plinius, X, 2: « cristis faciem caputque plumeo apice cohonestante ». Claud. v. 18: « Igneus ora Cingit honos: rutilo cognatum vertice sidus Attollit cristatus apex ».

134. *Aura solet*, cod. Suec. Ed.

135. *Albicat insignis*. Reformat Barth. p. 981: *Albicat hinc jaspis*, et explicat ibidem. Sed puto, constantem librorum lectionem habere commodum sensum. Bun. — *Mixtis* pro *mixto*, cod. Suec. Ed.

136. *Et puro cornu*. Heinsius suspicatur *patulo cornu*. Cell. Sed patulum jam indicat verbum *hiat*: *puro* est pellucido, candente.

137. *Ingentes oculi: credas geminos hyacinthos*. Restituta lectio ex Vossiano codice. — Et ita habet cod. Suecic. Ed. — Vulgo *oculos*, *geminosque*. Sed nec in Lips. *que* additum. Cell.

Æquatur toto capiti radiata corona,
  Phœbei referens verticis alta decus.
Crura tegunt squamæ flavo distincta metallo;
  Ast ungues roseus pingit honore color.
Effigies inter pavonis mixta figuram
  Cernitur, et pictam Phasidis inter avem.
Magnitiem, terris Arabum quæ gignitur ales,

139. *Æquataque natho*, cod. Suec. Ed. *Æquatur tato capiti corona*, h. e. corona caput ubique æqualiter circumdat. Vid. quæ notavimus ad Calpurn. VII, 55.

141. *Crura....distincta metallo.* Crura distincta flavo metallo squamæ tegunt. Hic etiam macula inest : dicendum enim erat ante omnia, quales squamæ, quum harum color alioquin sit turpis, et nisi singularis dedecoret omnem figuram. Legendum dicam : *bis tincta*, saturata nimirum puniceo colore κατ' ἐξοχὴν ejus tincturæ. Nam et Claudianus : « Tyrio pinguntur crura veneno ». Sed hoc crudiusculum sit. Latet aliud quid. Nam et repetitio verborum : *flavo distincta metallo*, de superioribus olet exscriptorium facinus. Capere tamen possis ac si dixisset : Crura tegunt squamæ distinctæ fulvo metallo ; propter vicinitatem translata voce in alterius usum, quam conveniebat : de qua locutione superioribus his notis satis monitum. Barth. pag. 981. Bunem. — *Fulvo* pro *flavo*, cod. Suec. Ed.

142. *Rasea tingit*, cod. Suec. Ed.

143. *Figura*, eodem cod. Ed.

144. *Pictam Phasidis inter avem.* MSS *pictam.* — Et ita cod. Suec. pro *mixtam*, quod Pithœana præfert inepte. Ed. — Phasidis avis, Phasiana, a fluvio Colchidis nominata. Martial. XIII, 72. Cell. Ideo etiam *Scythicam volucrem* dixit Juven. Sat. XI, 139.

145. *Magnitiem :* vox insolens, codicum tamen consensu probata. N. Heinsius conjecturat *mole etiam* scriptum fuisse, cui semibarbarus glossator *magnitiem* pro *magnitudinem*, vel *magnitie* adscripserit. Cell. Mihi occurrebat *magnam alitem :* sed constanter libri etiam Guelf. MS *Magnitiem :* quam vocem Barthius, p. 981, tuetur his verbis : « Magnitiem, magnitudinem dixit, ut minuties in usu aliis ». De ea voce ad Apuleium et in Adversariis. Indicarunt et alii loca, ubi *minuties* in Arnobio et Apuleio legitur, quo etiam pertinet Lactantii lib. II, 4, 12, *ob minutiem.* Sed *magnities* adhuc frustra alibi quæritur. Bun. — Nicol. Heinsius in Epist. ad Gronov. tom. II, Syll. Burm. pag. 507, putat scribi oportere *Magna etiam terris*, etc. Ed. — Citerior latinitas pluribus in nominibus eam formam admisit. Sic *vanitiem* habet Amm. Marcell. XXI, 1 : « quia vanities aliquoties plebeia strepit ». Apuleius *pinguitiem* dicit Metam. X, p. 221. Pric. W. — *Terris Arabum.* Sic libri. Barth. corrigit, p. 981, *terris Afrum*, et struthiocamelum, Africæ animal, dici putat, quod et feram et avem dicere possis. — Struthiocamelus inter insignia ducis Ara-

Vix æquare potest, seu fera, seu sit avis.
Non tamen est tarda, ut volucres, quæ corpore magno
Incessus pigros per grave pondus habent;
Sed levis et velox, regali plena decore,
Talis in adspectu se exhibet usque hominum.
Convenit Ægyptus tanti ad miracula visus,
Et raram volucrem turba salutat ovans.
Protinus insculpunt sacrato in marmore formam,
Et signant titulo remque diemque novo.
Contrahit in cœtum sese genus omne volantum;
Nec prædæ memor est ulla, nec ulla metus.
Alituum stipata choro volat illa per altum,
Turbaque prosequitur munere læta pio.

biæ conspicitur in Notitia Imperii Orient. cum commentario Pancirolli, p. 219. Unde apparet, illam avem Arabiæ esse, neque hoc loco *terris Arabum* mutandum esse in *Afrum*. Ed.

147. *Parva* pro *tarda*, cod. Suec. quod ineptum est. Ed. — Perperam Lips. tert. *Non tamen est prava*. Bun.

149. *Ac velox* et *decora*, cod. Suec. Ed.

150. *Se exhibet usque*. Vetusta Petri Ossensis vitiose : *se præbet usque*.

151. *Convenit*. MS Saugerman. *Huc venit*.

152. *Turba resultat*, codice Suecico. Ed.

153. *Protinus insealpunt*. Lips. tert. et duo alii codd. ad Gall. *exsculpunt*. MS. Vindob. et Ven. 1471 —1497. Pier. Parrh. Gymn. *Protinus insculpunt*. Heins. ex vet. membranis hic legit : *exsculpunt*, ad Ovid. ep. XV Heroid. 128. Conf. Falster. Suppl. L. L. pag. 180. Bunem. Dufresnoy dedit *exsculpunt* e cod. Sangerm. — Et ita cod. Suec. Ed.

154. *Signant titulo* : inscriptione monumenti. — *Titulo signant*, dat cod. Suec. Ed.

155. *Cœtus* pro *cœtum*, in eodem codice. Ed.

156. *Ulla, nec ulla metus*. Magis mihi placet MS. Lips. tert. « Nec prædæ memor est, nec memor ulla metus ». Bun.

157. *Alituum* : pro *alitum*, per epenthesin; vide Betuleium, more Lucretii et Virgilii; vide Servium et Cerdam ad Virgilium, Æn. VIII, 27. Bunem.

158. *Munere læta pio* : pietatis et reverentiæ officio erga tantæ dignitatis avem. Heinsius autem scribendum *murmure* censet. Cell. — Hæc quoque quæ nunc traduntur de avibus Phœnicem stipantibus, sed aliam ob caussam Tacitus memorat. Nempe, quum visum fuisse Phœnicem multo cæterarum avium comitatu circumdatum refert, non honoris caussa volucres ita fecisse subjicit, sed quod novam faciem mirarentur. Quod mihi non modo

Sed postquam puri pervenit ad ætheris auras,
Mox redit ista; suis conditur illa locis.
At fortunatæ sortis fatique volucrem!
Cui de se nasci præstitit ipse Deus.
Femina vel mas hæc, seu neutrum, seu sit utrumque;
Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit.
Mors illi Venus est: sola est in morte voluptas:
Ut possit nasci, appetit usque mori.

magis historicum, sed et magis poeticum videtur. Ed.

160. *Conditur illa*, pro plurimorum *ille*. Scribo *illa* ex utraque Ven. 1478, 1472. Paris. 1513, et Heum. Bur. — *Illa* pro *ista* primo hemistichio, cod. Suec. Ed. — *Suis*, quibus mori et renasci adsuevit. Ed.

161. *At fortunatæ sortis filique volucrem*. Heinsiana emendatio, et *filum* ad Parcas referendum, quæ *dispensant mortalia fila sorores*. Ovid. Epist. Medeæ v. 3. Cell. Hæc est elegans Heinsii emendatio. In MS Vind. Ven. 1471—1497, et Pier. « Hæc fortunatæ sortis natisque volucris ». Unde Lambecius fingebat *raræque*. Sed Lips. tert. cum reliquis: « Hæc fortunatæ sortis fatique volucris ». Sane easdem voces junxit Virgilius, Æn. X, v. 501: « Nescia mens hominis fati sortisque futuræ ». Bur. Sangermanensis cod. legit: « At fortunatæ sortis, felixque volucrum ». Heinsii emendatio doctior, quam verior. Omnes meæ editiones habent *sortis fatique*, excepta tantum antiqua Swoll. quæ cum Vind. cod. conspirat. Hæc lectio firmatur MSS plurimis, sensum habet obvium, et imitationem Virgilii, Lactantio consuetam, prodit. Qua igitur, cur non utamur? Etiam *At... volucrem* pro *Hæc... volucris*, cur et unde Heinsius induxerit, equidem non video. — Utraque tamen Heinsii emendatio confirmari videtur codicis Suecici auctoritate, qui hic legit: « At fortunatæ sortis filisque volucris ». Sed ob rationes a Wernsd. adductas, adhuc præfero *sortis fatique*. Ed.

163. *Femina*. MS Vind. Ven. 1471-1497. Pier. Parrh.: « Femina sit masculus hæc, seu forteque neutrum ». At Heinsii emendationem uberius Burmannus ad Ovidii Met. IV, 379, p. 274, illustravit. Bunem. Lengletus e cod. Sangerm. emendavit « Femina sit, vel mas, seu neutrum, seu sit utrumque ». Edit. Basil. 1524, P. Pithœi et Gryphiandri sic: « Femina, vel mas hæc; vel neutrum sit mage, felix ».

166. *Ut possit nasci, appetit usque mori*. Sic Heinsius ex scriptis manu. Vulgo inserunt pronomen, *nasci, hæc appetit*, vitandi hiatus caussa; sed is illius temporis poetis non est alienus. Sed *ante* loco *usque* vulgares libri habent. Cell. Supra Elég. XII, v. 24 hiatus occurrebat: « Obvia non magna arbuta verrit ope ». Quoad sententiam similis est locus carminis in laudem Solis, cujus auctorem esse puto Aldhelmum Scotum. — Quem ego inf. adduco ad v. 170; vid. pag. sequenti. Ed.

Ipsa sibi proles; suus est pater, et suus hæres;
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.
Ipsa quidem, sed non eadem; quia et ipsa, nec ipsa est,
Æternam vitam mortis adepta bono.

167. *Ipsa sibi proles.* Similiter Claud. v. 101 : « O felix, hæresque tui ». — *Prolis*, cod. Suec. Ed.

169. *Quia et ipsa.* Lengletus e cod. Sangerm. edidit *quæ est ipsa.*

170. *Æternam vitam mortis adepta bono.* Hanc sententiam fere omnes qui de Phœnice egerunt, adduxisse videntur. Præsertim Epigr. quod Burmannus offert Antholog. Lat. tomo II, pag. 295, v. 26: «... docet Phœnix istis reparata favillis, Omnia Phœbeo vivescere corpora tactu. Hæc vitam de morte petit, post fata vigorem : Nascitur ut pereat, perit ut nascatur ab igni. Una cadit toties, surgitque ac deficit una. Rupe sedet, capitur radiis, et lumine Phœbi, Suscipit immensum recidiva morte calorem ». Claudian. alibi, de Raptu Proserp. II, 84 : « Quidquid ab extremis ales longæva Sabæis Colligit, optato repetens exordia busto ». Et vid. Tertullianus, Carm. de Judicio Domini, cap. V, 134; et Dracontius, Hexahem. v. 476 seqq. « Phœnici exactam renovat Deus igne juventam, Combustusque senex tumulo procedit adultus, Consumens dat membra rogus, sine sorte sepulcri ». Ed. — *Adempta* pro *adepta*, invenitur in codice Suecico; sed male. Ed.

LYRICA

VESTRITII SPURINNAE, P. PAPINII STATII, CAEL. FIRM. SYMPOSII, AUSONII, RUFINI, PALLADII, FOCAE, ALIORUM

ACCEDIT

PERVIGILIUM VENERIS

INCERTO AUCTORE

PROOEMIUM

DE

VESTRITIO SPURINNA,

ET CÆTERIS

LYRICORUM HAC PARTE PROPOSITORUM AUCTORIBUS.

Lyricis carminibus, hac parte voluminis proponendis, omnia inserere placuit, quæ post Horatium eo genere ab antiquis auctoribus scripta reperiuntur. Itaque e majoribus etiam poetarum operibus nonnulla carmina lyrica, nominatim e Papinii Statii Silvis duo, et Ausonii unum, huc transtuli, hanc maxime rationem sequutus, ut, quod prius in aliis poetarum classibus feci, seriem quamdam carminum lyricorum, quotquot ab ætate Horatii in antiquitate Romana exstant, hic collectam in conspectu ponerem, tum vero, ut fastidium, quod forte lectoribus e sequioris ævi lyricis exilibus et jejunis suboriri posset, nonnullis meliorum poetarum admixtis placaretur, eoque magis poeseos lyricæ inter Romanos decursus et decrementum intelligeretur. Etenim, quæ hac in classe proponere licuit, non ea sunt poetarum nobilium, qui se lyricæ Musæ dederint, carmina, sed fere grammaticorum quorumdam singularia in eo genere tentamina et meditamenta leviora, quandoquidem post Horatium nullus fere vetustatis Romanæ reperitur, qui ex lyrica poesi aliquod nomen tulerit, et plura ejus generis

poemata ad nostram reliquerit ætatem. Neque ea quidem, quæ in hunc ordinem contulimus, poematia omnia sunt metris Horatianis composita, sed assumpsimus etiam, quæ Phalæcio, Anacreontico, aut alio breviore metro scripta essent. Contra alia, quæ ob metri rationem huc referri potuissent, argumenti caussa partim prærepta dudum, et alio loco prolata sunt, ut Severi Sancti de Mortibus Boum carmen choriambicum, et Sereni fragmenta lyrica t. I, p. 620, sq. collocata, partim deinceps proferentur in sequentibus Poetar. min. ordinibus. Suffecit mihi in præsenti, selecta quædam poematia in censum Lyricorum referre, quæ et breviore metro, ab heroicis et elegis diverso, constarent, et compositione argumentoque indolem et formam odarum imitarentur. Quibus in legendis ordinandisque enim me fateor subinde sensum animi mei sequutum esse, cujus rationes nolim morosius abs me exigi.

Primo loco in Lyricis merito posui Vestritii Spurinnæ Odas quatuor, aut potius Odarum fragmenta, quoniam is auctor cæteros, qui post Horatium genere lyrico luserunt, et numero carminum, et ætate, si forte Statium excipias, antecedit. Spurinnam Lyrica scripsisse Plinius testatur, Epist. lib. III, 1, ubi vitæ rationem ab eo sene actæ exponit. « Scribit, inquit, et quidem utraque lingua, lyrica doctissime. « Mira illis dulcedo; mira suavitas, mira hilaritas: cujus « gratiam cumulat sanctitas scribentis. » Etiam Quintilianus, lib. X, 1, 96, Gyraldo et aliis videtur ad Spurinnam respexisse iis verbis, quibus, Cæsio Basso, lyrico poeta, quem ipse nuper viderit, laudato, pergit, *sed eum longe præcedunt ingenia viventium.* Fragmentorum eorum solus et repertor et editor fuit Caspar Barthius, qui primum cum Venaticis et Bucolicis Latinis, post Gratii Cynegeticon, edidit Hanoviæ 1613, form. oct. iterum secundis curis produxit Advers. lib. XIV, cap. 5. Et invenit quidem ea, ut in præfatiuncula primæ editionis refert, Martispurgi inter rudera bibliothecæ disjectæ et contemptæ, in membranis veteris codicis, qui

plura opera, diverso ævo et atramento scripta, tenebat, primo locò quidem Senecæ epistolas in locos communes redactas; deinde Boethium de Consolatione Philosophiæ; Pervigilii Veneris fragmentum sub nomine Senecæ; tum quatuor has Odas, minime tamen eo ordine et distinctione versuum, qua alias scribi odæ solent, exaratas, sed uno et perpetuo versuum tenore, quos ipse Barthius deinceps distinxit, et in ordinem redegit. Inscriptæ erant in codice: *Incipit Vesprucius Spurinna de contemtu seculi, ad Martium.* Post animadvertit demum altera editione odarum in Adversariis, auctorem esse Vestritium a Plinio Cæcilio laudatum, quod antea in mentem non venerat. Refert Ger. Jo. Vossius, Instit. Poet. lib. III, 15, p. 84, Vestritium Spurinnam inter lyricos Romanorum poetas, nescio tamen, ob carmina a Barthio prolata, an solum ob testimonium Plinii. Et fuerunt docti viri, qui odas illas non esse Vestritii, sed ex allegata Plinii epistola, fortasse ab ipso Barthio, effictas putarent. Ita judicavit Janus Vlitius in Prolegom. ad Gratium, p. 87; Jo. Alb. Fabricius, Bibl. Lat. lib. I, cap. 16, p. 284, et, qui parum ab his recedit, Jo. Matth. Gesnerus in adnot. ad Plin. Epist. l. c. Atque ego quum diu in eadem opinione fuissem, et fragmenta hæc non solum spuria putarem, sed et hiulca et summe obscura esse viderem, nolebam ea in collectionem Poetarum minorum recipere; sed ut postea mutarem sententiam, movebat me auctoritas celebris ætate nostra Critici Theoph. Sigefridi Bayeri, quem legebam et plurimi fecisse hunc Spurinnam, et multa in eum adnotasse, quæ ederet aliquando, magis illustratura hunc poetam, quam Barthii adnotata fecissent. Sic enim ille in epistola ad J. M. Gesnerum scripsit, quæ in Sylloge nova Epistolarum varii argumenti, ab Uhlio viro cl. concinnata, vol. I, p. 20, legitur: « Ego multa et non vana « notavi in Vestritium Spurinnam. Proposui mihi hunc au- « ctorem edere. Lege eum in Adversariis Barthii, et, quæ « notaveris, ea sepone, ut, quum mea Lipsiam misero, tua

« quoque eodem mitti queant. Quidni ille idem mereatur, ac ineptus, ita me amentVeneres omnes! Symposius? » Idem in alia epistola ad eumdem l. c. p. 27 : « Barthium Vestritii « quædam tum in Adversariis, tum in Venaticis edidisse « vides : hæc ego illustravi, nam Barthio sol non luxit ». Apparet Bayerum nihil suspicatum esse de aliqua fraude vel fuco eruditis a Barthio facto, qui existimet adeo, parum eum vidisse in Spurinna illustrando. Atque ego rem omnem accurate considerans, hoc contendo, etiamsi ficta sunt Spurinnæ carmina ex Plinii epistola, certe non conficta esse a Barthio. Ipse non admodum benigne de iis carminibus sentit, ipse de vero eorum auotore dubitat(1), ipse nævos et vitia scriptionis in membrana inventa, cum lacunis plurimis, fideliter indicat, nec iis ipse mederi, aut has supplere et interpretari audet, quod aliter facere solent, qui inventis suis gaudent et gloriantur (2). Præterea codicem, qui ea carmina continebat, cum pluribus ejus partibus luculente descripsit, locum et bibliothecam, in qua invenerat, indicavit aperte, miratus insuper, quod Georgius Fabricius, qui eamdem olim bibliothecam excussisset, hæc manu scripta

(1) Sic ille in notis ad Vesprucium Spurinnam ad calcem Gratii : « Quis hic auctor fuerit, qua ætate vixerit, ego minime omnium scio. Christianum fuisse arguit inscriptio membranarum, *de contemtu seculi*. Nisi ea tamen monachi alicujus librarii, penes quos diu potestas fuit ex Christianis ethnicos, ex ethnicis Christianos scriptores facere. Veterem esse omnino stylus arguit, cultior quam pro media ætate, et græcismis scatens, unde recentem esse minime concesserim ». Idem in Adversariis l. c. « Vestritium Spurinnam lyricum poetam fuisse, clarum ex Plinii lib. III, ep. 1. Sed an epitomatæ (ut loquitur ætas ea) sint illius odæ a monachico aliquo magistro, an alius scriptor, nomine non nihil etiam recedente, disceptandum aliis relinquo. Multi sane græcismi et Philosophicarum rerum non intacta mysteria melius ævum mihi spirare semper visa sunt ».

(2) Idem Barthius, Advers. XIV, 5, in fine : « Æstiment ista quatuor carmina, quanti velint, eruditi ; mihi fraudi nunquam erit, ut inventa sunt, publico potius dedisse, quam oblivioni denuo, vix unquam certe reparandæ, devovisse atque damnasse ».

opera non vindicaverit a situ (1). Hæc tam ingenue narrare, atque adeo male suspicacibus viam de rei veritate inquirendi monstrare non poterat Barthius, si quo ipse metu fraudis deprehendendæ tangebatur. Si, quid ipse de Spurinnæ fragmentis sentiam, dicendum est, non longe a Casp. Barthio mea recedit opinio. Ipsum Spurinnam, a Plinio laudatum, hæc carmina scripsisse, nolim affirmare. Etsi enim scripsit olim lyrica, hæc tamen vel non edita plane ab auctore in scriniis periisse, vel edita non ætatem tulisse videntur, propterea quod a nemine veterum Grammaticorum vel commentatorum citantur, neque Spurinna ipse a quopiam Veterum inter celebres poetas lyricos nominatur. Fuerunt tamen e prisca vel sequiore ætate homines, qui celebrata veterum poetarum carmina, quæ viderent desiderari, ex æqualium vel similium poematum vestigiis restituere, et tamquam ex inferis excitare vellent. Sic Cornelii Galli Elegiam ex similibus Propertii, qui Galli et Lycoridis sæpius meminit, carminibus exstructam; sic Gratii Halieutica ex simili Nemesiani opere a quodam homine semiprisco revocata esse, suspicati sumus (2). Odæ Vestritii omnino tali et stylo et argumento sunt scriptæ, ut plane videantur vel ex genuinis, quæ olim exstiterint, carminibus ejus contractæ et consarcinatæ, quod Barthio visum est, vel ad ingenium et vitam Spurinnæ, qualem Plinius descripsit, ab alio, antiquo tamen, poeta compositæ, quod mihi videtur probabilius. Etsi enim Spurinna otium honestum et quietam senectutem egit, quis tamen inde contendat, carmina ejus non alia de re, quam de hac ipsa, egisse? Et quam Plinius illius carminibus fuisse dicit, miram dulcedinem, suavitatem et hilaritatem, equidem mihi videor in fragmentis istis non magnam reperire, etsi reperio sanctam gravitatem. Verum ut Vestritio dignum carmen efficeret, quis-

(1) In prima adnotatione ad primam Vestritii editionem, inter Venaticos.

(2) Vid. hujus ed. nostræ t. I Poet. min. p. 195. Ed.

quis ille fuit, qui composuit, ipsum ingenium et vitæ rationem Spurinnæ, a Plinio descriptam, carmine exprimere studuit, idque non ex sola illa, quæ de Vestritio agit epistola, sed aliis etiam Plinii, quem præ oculis habebat, et æqualium scriptorum, qui idem otium honestum laudant, locis similibus. Quod mihi ita clarum videtur, ut non modo ideam ipsam viri, post negotiosam vitam ad otii portum se conferentis, e narratione Plinii haustam existimem, sed etiam verba ejus quædam et sententias usurpatas deprehendam, cujus rei exempla in adnotationibus meis dabo. Ingenium hominis, qui enotare scriptorum aliorum loca, et in usus suos convertere soleat, videor mihi posse e societate scriptorum, quibus conjunctus hic Noster in codice a Barthio invento apparet, colligere. Nam præcedunt inter alia Senecæ epistolæ in locos communes redactæ: succedit liber ordine alphabetico complexus dicta Sapientum a Thalete, Græcorum primo philosopho, ad Priscianum, ultimum Grammaticum Latinorum. Ad Senecæ Pliniique gustum et sententiam auctor mihi multa ejus poematis videtur expressisse. Et fortasse ille nomen Vestritii Spurinnæ non præposuit, tamquam veri auctoris, sed tamquam viri illius, cujus mores et vitam et ingenium carmine expressisset; quemadmodum Disticha moralia, quæ sub nomine Catonis exstant e quorumdam sententia illud nomen præferunt, non quod scripta a Catone sint, sed quod præcipiendo et monendo veteris Catonis exemplum et mores referant. Auctorem propterea non inferioris sæculi aut deficientis latinitatis esse puto, sed antiquum satis et fortasse ab ipso Spurinna non valde remotum, quamquam, incidisse hoc carmen in manus descriptoris monachi, fortasse titulus *de contemtu sæculi* arguat (1). Insunt enim illustres et graves sententiæ,

(1) Inveniuntur etiam plures libri medio ævo scripti, qui talem titulum præferunt. Quorum argumenta et sententiæ si inspiciantur, magna eorum et Vestritii dissimilitudo apparebit. Anselmi, Episcopi Cantuariensis Carmina duo de Contemptu Mundi, et aliud de solo Deo amando,

et Philosophiæ veteris non obscura vestigia; præterea græcismi plures (1), lecta quædam, nec indigna prisco ævo, latinitas, et cultior dictio, quam pro media ætate. In qua etsi reperti sunt alii scriptores non contemnendi, qui fortasse simile huic carmen scribere potuerint; hoc tamen Spurinnæ si a recentiore poeta, et a librarii, qui exscribebat, ætate non multum remoto profectum esset, puto illum non fragmentum, quod dedit, sed integrum carmen nacturum fuisse, quod exscriberet. Quod autem fragmentum adeo hiulcum exscripsit, atque inter alia scriptorum veterum fragmenta et loca collecta posuit, hoc probat, habere eum vetustati honorem, et servare carmen antiquum voluisse, quamvis id injuria temporum et superiorum librariorum negligentia jam valde corruptum videret: quemadmodum idem librarius cum Pervigilio Veneris fecit, quod eodem in codice scriptum, sed multis versibus in fronte et in fine decurtatum, invenisse se scribit Barthius. His igitur argumentis de auctore fragmentorum eam sententiam confirmari arbitror, quam statuere tutissimum sit. Quod si quis iisdem adductus malit ea fragmenta ex ipsius Spurinnæ carminibus excerpta et contracta existimare, ut aliorum scriptorum idem librarius contraxit, cum eo non valde contendere ausim. Sufficit, id monumentum antiquitatis

leguntur in S. Anselmi Oper. p. 195, Lutet. Paris. 1721, in-fol. S. Bernardi Abbatis Clarævallensis, Hymni IV de Contemptu Mundi leguntur in Bibliotheca Cisterciensi Caroli *de Visch*, p. 45, Colon. Agripp. 1656, in-4. Horum notitiam fecit Leyserus, Hist. Poet. medii ævi, pag. 421. Bernardi Morlanensis de Contemptu Mundi libros tres, hexametris dactylicis scriptos, se memoravisse testatur Wernsd. in Dissert. de Poet. Satir. num. XVII. Ed.

(1) Græcismi in iis odis occurrentes favent sententiæ Barthii, qui ex genuinis Spurinnæ contractas, aut ex laciniis earum compositas existimabat. Nam quum Plinius testetur, Spurinnam lyrica utraque lingua, adeoque et Græca, scripsisse, hinc in Latinis etiam quin multi apparuerint græcismi, vix dubium est. Qui igitur hæc carmina et græcismis, et aliis priscæ latinitatis floribus distinguere potuit, næ ille, nisi ipse Spurinna est, styli ejus genium optime tenuit.

non spernendum esse. Quidquid autem de auctore ejus habendum sit, servatum in titulo nomen Vestritii Spurinnæ, olim inter lyricos poetas clari, nos admonet, ut de ipso viro, quæ ab antiquis scriptoribus relata leguntur, huc conferamus. *Vesprucium* quidem, vel *Vespricium*, antiqua Barthii membrana inscripsit, sed *Vestritium* legendum, non solum Spurinnæ cognomen apud Tacitum et Plinium Vestritio junctum, sed et ipsum gentis Vestritiæ vocabulum, in veteribus monumentis obvium, declarat. *T. Vestritius Hyginus*, *Vestritia Hetera*, et *Vestritius Dexter* in opera Gruteri leguntur, pag. 392, n. 1, et pag. 957, n. 5 (1). De vita Spurinnæ Plinius, Epist. lib. III, 1, postquam senectutem ejus et otium bene dispositum descripsit, hæc breviter subjicit: « Quoad honestum fuit, obiit officia, gessit magi- « stratus, provincias rexit; multoque labore hoc otium me- « ruit ». Virum bello et pace egregium ostendunt acta, quæ a Tacito et Plinio memorantur. In bello civili Othonianarum partium dux fuit, cum Annio Gallo ad occupandas Padi ripas missus contra Cæcinnæ Vitelliani exercitum per Alpes advenientem, et deinceps Placentiam coloniam cum tribus prætoriis cohortibus, mille vexillariis et paucis equitibus occupans, oppugnatam a Cæcinna fortiter defendit. (Tacit. Histor. II, 11, et 18 seqq. Plutarchus in Othone, c. 5 et 6.) Quam tamen deseruit, postquam ad Bebriacum infelicius ab Othonianis pugnatum esset, et, relicto modico præsidio, cum cohortibus suis Macro duci subvenit. (Tacit. Hist. II, 36.) Imperatoriam laudem maximam sub Trajano assequutus est in Germania, ut memorat Plinius, Epist. lib. II, 7. Nam regem Bructerum, qui ad Romanos confugerat, vi et armis induxit in regnum, sine sanguine et cæde tamen; ostentatoque bello, ferocissimam gentem terrore perdomuit. Ob

(1) Spurinnæ nomen Etruscæ originis et gentis esse, probare videtur aruspicis Spurinnæ exemplum a Suetonio in Jul. Cæsare, cap. 81, memoratum, et Etruscus juvenis Spurinna apud Val. Max. lib. IV, cap. 5, ext. 1, nostr. Edit. vol. I, p. 306. Ed.

quod meritum, Trajano Principe auctore, triumphalis (1) statua ei decreta est. (Plinius l. c.) Habuit in matrimonio Cocciam, singularis exempli feminam, ut ex Plinio apparet, Epist. III, 10. Per hanc videtur Spurinna M. Salvium Othonem Imper. affinitate attigisse, et propterea ejus partes sequutus. Nam Othonis frater L. Salvius Titianus (de quo Tacit. Hist. I, 75 et 77), filium habuit Salvium Cocceianum, quem Domitianus interfecit. (Sueton. Domit. cap. 10.) Cujus cognomentum Cocceiani indicat matrem ejus e gente Coccia vel Cocceia fuisse, e qua et Coccia Spurinnæ uxor erat. Atque e matrimonio Cocciæ Spurinna filium habuit Coccium vel Cottium, qui ante diem periit, tam præclaræ indolis juvenem, ut ei et statuæ honos haberetur in solatium patris tum absentis (Plin. Epist. II, 7), et Plinius ejus memoriam singulari libello prosequeretur (2). Vitam Spurinna ultra septimum et septuagesimum annum produxit, ut memorat Plinius. Unde ipse in carmine primo dicitur annum agens septuagesimum scripsisse (3). Cum bonis artibus et doctis viris summopere faveret (Pliu. Epist. V, 17, 1), senectutem tranquillam et otiosam multum in studiis et in contubernio eruditorum juvenum exegit, in quibus C. Plinius et Sentius Augurinus, Spurinnæ affinis, fuit. (Plin. III, 1, 4; IV, 27, 5.) Summa etiam familiaritate vixisse cum Julio Apro et Agricola, Corn. Taciti socero, scribit Petrus Crinitus, de Poetis

(1) « Sunt qui hanc expeditionem Spurinnæ temporibus Trajani inserunt; at Jo. Jac. Mascovius in Hist. Germ. p. 142, gravi argumento Nervæ Imperatori vindicavit. Cui sententiæ confirmandæ tametsi quædam a nobis proferri posse sentio, tamen quum alia e contrario obstare videantur, ampliandum potius duco ». — Hæc disserit Th. Sigfr. Bayerus in opere postumo de Vestritio Spurinna, in Comment. Academ. Petropol. t. XI ad annum 1739, p. 314. Ed.

(2) Plin. Epist. III, 10, quæ est epistola hac de re ad ipsos parentes Spurinnam et Cocciam perscripta.

(3) Sed et ex hoc ipso probari posset non genuina Spurinnæ hæc lyrica esse; nam poetæ ipsius in primo versu suam diserte ætatem explanantis vix aliud exemplum in antiquitate occurrit. Ed.

Latin. cap. 71, id tamen quo auctore scripserit, ipse non inveni (1).

Cæterum opusculum hoc, quod edo, Spurinnæ, lacerum valde, hiulcum et obscurum, salutarem adhuc docti viri operam exspectavit. Barthius, præterquam quod e naufragio servavit has reliquias, parum eis præstitit bonæ opis. Pauca earum loca emendare et interpretari ausus est, quædam plane desperavit, pleraque reliquit intacta, et sic destituit magis, quam servavit. Unus post Barthium illustrare

(1) Marium quemdam ex amicis Spurinnæ præcipuis fuisse, et ipsis ejus Odis cognoscimus. Hunc probabili admodum ratione Bayerus, in opere postumo de Vestritio Spurinna, infra allegato, conjicit fuisse Marium Celsum, quem vita et rebus gestis conjunctissimum Spurinnæ fuisse, e Tacito discimus. Prius quidem is Galbæ addictus fuit, et ejus caussa exercitus Illyricos sollicitavit. (Tacit. Histor. I, 31, et II, 23.) Transgressus deinde ad Othonem eum Annio Gallo, Vestritio Spurinna et Suetonio Paulino res contra Cæcinnam gessit. Anno prælii ad Bedriacum Consul fuit, et victo mortuoque Othone A. Vitellio Imperatori conciliatus, in magistratu permansit, quamquam et dignitati ejus et vitæ insidiabatur Cæcilius Simplex. (Tacit. Histor. II, 60.) Non absimile vero est, Martialem in epigrammate a Barthio in notis citato, lib. X, 92, eumdem Marium Celsum alloqui. Quamquam enim Bayerus putat in eo epigr. non virum consularem, sed hominem obscurum Atinatem rusticantem indicari, id tamen ex verbis epigrammatis minime potest colligi. Sed versus *Quo cive prisca gloriatur Atina* potius illustrem honoratumque virum Atinatem significat, qualis Marius Celsus fuit. Qui quod ibidem vitæ tranquillæ deditus et ruris amans dicitur, plane se similem et amicum Spurinnæ præbuit. Quum igitur Marium, ad quem carmina sua scripsit Spurinna, in ipsa historia reperiamus tunc temporis vixisse, Spurinnæ amicum, iisdem partibus addictum, honoribus et rebus gestis æqualem, ut eum ipsum esse, qui in carminibus nominatur, dubitari nequeat, novum inde et gravissimum argumentum pro genuina carminum, quæ habemus, Vestritii sinceritate enascitur. Etenim, si quis recentior ea conficta Vestritio supposuisset, credo eum quodvis aliud obvium et vulgare Romanum nomen positurum fuisse, quam illud verum, sed minus frequentatum, Marii, quod ætati, vitæ et rebus Spurinnæ, et historiæ testimonio tam belle convenit, quod tamen librarius adeo vel nescivit, vel neglexit, ut in Martium, magis notum et familiare nomen, corrumperet. Ed.

aggressus est, et multa, nec vana, in Vestritium se notasse fatetur Th. Sigefr. Bayerus, hac ipsa ratione adductus, quod videret, Barthio solem non luxisse. Quæ ejus adnotata, haud dubie auctori suo carmen, et carmini veram sententiam, pro critica Bayeri facultate assertura, dicere non possum, quam equidem cupierim videre et legere. Sed in spongiam incubuit hic Ajax, nec, quæ meditatus ille fuerat, unquam lucem viderunt (1), et quod suspicatur Gesnerus, apud quem Bayerus hæc professus erat, ipse consilium illustrandi et edendi Spurinnæ, quum ad alias curas transiisset, abjecit. (Vid. Gesneri adnotationes ad Plinium, Epist. III, 1). Itaque, nullo præeunte adjutus, nescio, an ipse illustrando Vestritio multum sim mea opera profuturus. Conabor tamen, et utraque Barthii editione ejusdemque annotatione collata, sententiis etiam carminis cum

(1) Falsus fui, quum hæc scriberem, Bayeri in Spurinnam adnotata nunquam lucem vidisse. In errorem me induxit Klotzius, Opuscul. Bayeri editor, qui in præf. ad h. lib. p. 33, adnotata ista inter scripta Bayeri affecta et inedita retulit, quamvis tum temporis jam publicata. Postea enim, quam liber meus jam prelo exierat, cognovi, Bayeri *de Vestritio Spurinna, lyrico, et ejus fragmentis, opus postumum* in Comment. Acad. scientiarum Petropolitanæ, t. XI ad ann. 1739, excuso Petropoli 1570, pag. 311 seqq. editum exstare. Hanc igitur commentationem Bayeri, ne eam desiderent, qui commentarios Petropolitanos evolvere non possunt, transferam in opus meum, quoad licet, et loci ratio permittit. Nam, quæ ille de vita et rebus gestis Vestritii copiosius quidem, nec tamen admodum diverse a mea commemoratione, dixit, prætermittam, animadversiones in fragmenta subjiciam integras. Comparent eas cum meis, qui volent, et inde luculentiorem poetæ intelligentiam hauriant. Sed quoniam Bayerus animadversionibus suis ipsum odarum textum a se correctum et mutatum præmisit, quem hoc loco repetere nimis longum est, notæ autem, quæ loca emendata respiciunt, sine ipsorum repræsentatione satis intelligi nequeunt; ego quidem ante, quam Bayeri adnotationes profero, mea ipsius ad Spurinnam notarum additamenta præmittam, in iisque indicabo loca quæ Bayerus aliter, atque ego, constituit. Wernsd. in Addendis. — Ego consilium Wernsd. in melius immutavi et hæc adnotata sine ullo intervallo, illius et meis illustrationibus, subjeci; tum varias lectiones a Bayero datas, quamque suo loco, exposui. Ed.

aliis æqualium scriptorum, quos Spurinna expressisse videtur, comparatis, emendabo passim, quæ necessaria videbuntur, et lucem, quam possim, lacero et obscuro carmini inferre studebo. Et notas quidem Barthii, quas in Adversariis dedit, ut breviores et melius digestas, ipsi contexto subjiciam et adjungam meis. Alias, quas in priore editione ad Gratium addidit, quia et ampliores et parum castigatæ sunt, et ultra versum 12 non procedunt, ne prorsus neglectæ videantur, ad finem carminum seorsum ponam (1).

Spurinnæ, consultum duxi, duas Papinii Statii Odas ex libro IV Silvarum subjicere, quarum prior, Alcaica ad Septimium Severum, sola est antiquitatis Romanæ, quæ præter Horatianas hodie exstet; altera, Sapphica ad Maximum Junium, earum, quæ ex sequiore ætate produci possunt, facile optima. Quæ igitur a nobis non omittendæ videbantur, quum seriem, quam fieri posset, integram carminum lyricorum, post Horatium scriptorum, proponere vellemus. Et Alcaicum istud carmen eo lubentius huc adduximus, quod ad Septimium Serenum, lyricum poetam, cujus carmina interierunt, scriptum est, atque adeo ejus loco esse potest in ordine Lyricorum. Nam quod olim, de Septimio Sereno agens (tomo II (2) Poet. minor.), statui, in carminis Statiani titulo Serenum legendum esse, non Severum, id adhuc probo quam maxime, et postquam denuo accedens carmen Statii accuratius relegi, multo sum in ea sententia factus confirmatior. Nam præter æqualis ætatis aliasque rationes, quas loco citato pro Sereno attuli, in hoc carmine Statius Septimium et perpetuo rusticari, et lyricæ Poeseos amantem esse dicit, qualem Serenus plane se præbuit in Opusculis ruralibus carmine lyrico scriptis: præterea

(1) Repetiit postea Spurinnæ Odas quatuor Editor Collectionis Pisaurensis omnium poem. carm. et fragm. Latin. tomo IV Anthol. Latinæ, classe VIII, p. 496 seq. Ed.

(2) Hujus nostræ t. I, p. 2, p. 605. Ed.

dulcem Septimium appellans versu 34, idem ei ingenium eumdemque sermonem tribuit, quem in Sereno ejusque carminibus observatum, Terentianus de Metris, p. 2424, Putsch. testatur, ubi *dulcia Septimii opuscula* laudat. Cæterum et hunc Septimium Statii Glandorpius in Onomastico Romanæ historiæ, pag. 785, statuit eum esse Septimium, quem Terentianus Opuscula ruris scripsisse dicat. Ipsum tamen *Severum* scribit. De Maximo Junio, ad quem scripta est ode Sapphica, nihil ex aliis scriptoribus constat. Hic eum Statius innuit rectorem Dalmatiæ fuisse, antea vero alæ præfectum militasse in Oriente, cæterum ut socium judicemque studiorum suorum, et scripta historia clarum, laudat. De ipso auctore eorum carminum, Pap. Statio, hic nihil addimus, quoniam minorum tantum poetarum, nec alias valde celebratorum, memoriam hoc opere nostro exponere solemus; Statio vero aliquando ornando multo majorem operam, si Deus rerum nostrarum arbiter permiserit, destinavimus. Nunc duas odas ejus dabimus e recensione J. Fr. Gronovii, nostra annotatione diligenter illustratas.

Quæ porro hoc fasce proferuntur carmina, partim incertos vel ignotos auctores habent, nullo eorum nomine præfixo, partim obscuros et ignobiles, Grammaticos plerumque et scholasticos, qui exercitationis caussa lusisse eo genere carminum videntur, suopte ingenio non excitati, quorumque tenuis admodum et obscura memoria superest. Memorabimus tamen hoc loco, quantum de quoque ex veterum monumentis scire licet, simulque poematum, quorum auctores feruntur, editiones et interpretes nominabimus. Sunt autem hi : Firmianus Symposius, Rufinus, Palladius, Pentadius, Sulpicius Lupercus, Focas Grammaticus, Prosper Tyro, Lindinus. Ex his proximum a Statio locum Cælio Firmiano Symposio dedimus propterea, quod duo ejus carmina in Lyricorum censum referenda exstant. De ipso scriptore, a Firmiano Lactantio probe discernendo, item de Pentadio et Sulpicio Luperco, quorum Elegias ha-

bemus, dudum egimus, quantum licuit, in Præfatione ad Elegias, et ad Lactantii Phœnicem. Utrumque Symposii carmen produxit Pithœus, lib. I, Epigr. vet. p. 23 et 24, edit. Lugd. et auctorem quidem utrimque inscripsit *Cælium Firminianum Simphosium*, sed vitiosam eam librarii scripturam esse suspicor. Utrumque etiam Scaliger exhibuit in Catalectis, pag. 175, edit. Plant. sed carmen *de Fortuna* in prima quidem editione Gallicana Lugdunensi, p. 180, *Symphosio*, ut Pithœus, post in altera Plantin. Asclepio cuidam inscripsit, sicut Petavianus et Vossianus codex, Burmanno teste, Asclepiadio, quod nomen haud dubie ex glossa Grammatici ortum est, qui in margine adscripserat, metrum carminis choriambicum asclepiadeum esse. *De Fortuna* sine ullo auctoris nomine edidit Aldus et Junta. Virgilio adscribit Gulielmus Insulanus Observ. L. L. p. 47, et sub ejus nomine ediderunt Jodocus Willichius, inter Virgilii Epigrammata ethica, Basil. 1548, et Joannes Soter in Collect. epigr. ex Anthol. Græc. vers. pag. 143. Item Vincentius Chartarius, in Imag. Deor. p. 194 et 198, ubi hoc pariter, ac alterum de *Livore* e Virgilii Opusculis prodidit; sed male omnes. Contra Mariang. Accursius in Diatribis ad Auson. p. 534, ed. Toll. testatur, se in vetusto bibliothecæ Vaticanæ codice hos versus reperisse non Virgilio, sed Cælio Firmiano Symphosio attributos. Heumannus similitudine nominis adductus hæc poematia Lactantio adscribenda censet, ut eidem Symposii ænigmata attribuerat. Vid. ejus not. ad Lactant. Sympos. p. 6. Sed Symposii nomen proprium, his carminibus præfixum, magis confirmat, verum nomen auctoris œnigmatum esse Symposium, atque adeo diversum a Lactantio, neque mutandum in nomen convivalium sermonum. Alterum Symposii carmen *de Livore* Scaliger quidem in prima edit. Catalectorum Lugdunensi, pag. 180, inscripserat ut Pithœus, sed in altera Plantiniana, p. 175, sub nomine Euphorbii edidit, quod et in margine Pithœi legitur, et in codice Petaviano. Vomanum auctorem appellari in

mspto testatur Tollius ad Auson. p. 53, et in codice Vossiano Burmannus refert inscribi *de interno labore Vomanus;* lege *interno livore.* Sine ullo auctoris nomine Aldus et Pulmannus, p. 374, edidit cum simplici inscriptione *de Livore:* et sic in edit. Vicet. Brix. et Veneta. Legitur etiam apud Jo. Soterem, lib. cit. p. 147, et in Collect. Pisaur. omnium poem. et carm. Latin. t. IV, p. 478, ubi alterum de Fortuna, pag. 489. In Juntina Virgilii editione titulus est P. V. M. *de livore seu invidia carmen endecasyllabum.* Sub Virgilii nomine edidit et interpretatus est Jod. Willichius, lib. cit. Sub Symposii nomine plures hujus carminis versus correxit et explicavit Barthius, Advers. lib XXIII, cap. 7.

Quod sub Rufini nomine proponimus carmen, Pasiphaes fabulam Horatianis metris omnibus exponens, primus edidit Jac. Cruquius ad calcem commentarii in Horatium, qui in Blandiniis codicibus vetustæ expositioni variorum Horatii metrorum adscriptum invenerat, ut ipse testatur in Admonitione ad lectores post Artem poeticam, pag. 647. Eodem anno, quo Cruquius, nempe 1579, iterata editione idem poematium in lucem emisit Claudius Binetus inter Petronii et aliorum poetarum Epigrammata, Pictavii, p. 14 et 15. Utrorumque variantes scripturas comparavit, et inde carmen hoc emendavit Jan. Dousa, Præcid. in Petron. lib. III, cap. 8. Paullo post edidit P. Pithœus inter Poemat. vet. pag. 447, ed. Paris. et pag. 572, ed. Lugd. Præterea habetur in Catalectis Petronianis editionis Patissonianæ, Lutet. 1537, pag. 158, Frellonianæ Lugd. 1618, pag. 220, Hadrianidis Amstel. 1669, pag. 96, cum S. A. Gabbemæ notis, et in Andr. Rivini collect. carminum et epigramm. de Re hortensi, Lisp. 1654. Denique Rich. Bentleius adjecit Horatio, et non solum notulis quibusdam explicavit, sed apposuit etiam *Eadem metra Horatiana* Græcis *Archilochi, Alcæi et Sapphus versibus expressa.* Posuit etiam editor Collect. Pisaur. tom. IV, poem. et carm. Lat. in Classe IX Anthol. Lat. p. 502. Heinsium cum veteri Reginæ codice

contulisse testatur Burmannus, qui id poematium protulit Anthol. Lat. lib. III, ep. 232. In margine notarum Dousæ in Præcid. legitur, id carmen apud Rufinum de Metris exstare. Id valde miratur Burmannus, quum in Rufini libello de metris inter Grammaticos Putschii, et Rhetores antiquos Pithœi id frustra quæratur. Goldastus tamen in sua Petronii editione, cap. 2, hanc inscriptionem Rufini V. C. præposuit, quem alii editores sequuti sunt. Id quidem Goldastus vix alia, quam Dousæ ipsius, auctoritate inductus fecisse videtur, qui ipse vel errore quodam memoriæ putavit eos versus in Rufini libello legi, vel quadam libelli de metris Rufiniani et hujus carminis similitudine permotus est, ut eumdem utriusque auctorem esse crederet. Et sane hæc ipsa ratio mihi tam probabilis videtur, ut si non alius verior ex veteri codice proferri auctor possit, ipse Rufinum Grammaticum auctorem carminis profiteri non dubitem. Rufinus in libello allegato, qui in collectione Grammaticorum Putschiana totus, et ex parte inter Rhetores Pithœi exstat, de metris Terentii, Plauti et aliorum, item de numeris et pedibus oratorum agit oratione metrica vel versibus. Qui igitur metra poetarum recensere versibus voluit, quidni ille consilium simile ceperit, metra Horatiana omnia singulari carmine complectendi? Enarrationem omnium generum metri in Horatio, cujus in fine adjectum erat hoc carmen de Pasiphaes fabula, Jac. Cruquius in Blandiniis codicibus, Roma Gandavum perlatis, invenit, quos ille ante annos septingentos aut circiter jam scriptos esse existimat. Quocirca nec ineptum fuerit, hujus ipsius enarrationis auctorem habere Rufinum, qui si de metris Comicorum, et de numeris oratorum singularibus libellis exposuit, atque adeo de universa re metrica veterum scriptorum bene mereri voluit, metra Horatiana non videtur neglexisse, quin singulari scripto explicaret, sicut Atilius Fortunatianus fecit. Rufinum igitur carminis de Pasiphaes fabula tantisper habeamus auctorem, dum alius aliunde probabilior proferatur. Is vero Gramma-

ticus Antiochensis fuit, quomodo inscriptio libellorum ejus habet. De ætate et cæteris rebus ejus nihil est, quod affirmare possimus. E junioribus Grammaticis eum fuisse, atque ævo circiter Theodosiano floruisse, inde videtur colligi, quod plures Grammaticos, eosque satis recentes, ut Firmianum, Victorinum, Albinum, Donatum, in libellis suis laudat. Goldastus, et post eum alii, nomini Rufini siglas V. C. addiderunt, quod ipsum e Rufini libello de metris haustum videtur, ubi *vir clarissimus* aliquoties appellatur. Has literas falso adeo de viro consulari acceperunt Auctores Historiæ literariæ Gallicæ, tomo I, parte 2, p. 323, ut existimarent, auctorem poematis de Pasiphaes fabula esse Rufinum illum, Arcadii Imp. et Orientis aulæ Præfectum, quem poeta Claudianus duobus libris insectatus est. Quamquam vero Rufinum eum studiosum peritumque literarum fuisse, facile Symmachus, amicus ejus, epist. III, 82, 83, 88, 90, probat, qui eloquentiam ejus, sales et elegantiam laudat; eumdem tamen poemata scripsisse, aut in tricis et lusibus Grammaticorum, quales hoc carmen de Pasiphae redolet, elaborasse, haud verisimile est. Diversus etiam a Rufino Grammatico alter Rufinus, Aquilegiensis Presbyter, scripta historia ecclesiastica et controversiis cum Hieronymo nobilis, de quo consulendi scriptores Hist. Eccles. Neque minus a Rufino nostro distinguendus Julius Rufinianus, orator Constantini ævo clarus, cujus libellus de figuris sententiarum et elocutionis inter Franc. Pithœi Rhetores antiquos exstat, cum P. Rutilo Lupo et Aquila Romano elegantissime editus et illustratus a Davide Ruhnkenio v. cl. Lugd. Bat. 1768, qui de Rufiniani istius ætate et professione ex antiqua inscriptione egit in præfatione.

Palladii, cujus Allegoriam Orphei, metro Horatiano scriptam, subjicimus, frequens admodum et celebratum nomen ea ætate fuit, qua Christiani Imperatores regnare cœperunt. Nos diversos ejus nominis doctos et illustres viros alio loco hujus Operis aptius enarrabimus, ubi Palladii

Rutilii Tauri Æmiliani carmen de insitionibus proferemus. Ab hoc enim rei rusticæ scriptore distinguendum præcipue censemus Palladium, de quo nunc agimus, lyrici carminis auctorem. Iste Palladius Rutilius fundos suos Neapolitanos et agros in Sardinia laudat in Martio, tit. X, videturque adeo e locupletibus et lautis hominibus fuisse, qui literas otii oblectandi caussa magis, quam ipsa professione coleret, iisque maxime lucrosum sibi agriculturæ studium exornare et commendare cuperet. Hic noster, qui argumentum veteris mythologiæ explicare, et metrum aliquod Horatii imitari voluit, rhetoris aut umbratici doctoris studium prodit. Egregium Theodosiani ævi rhetorem Palladium inter alios celebriores laudat Sidonius Apollin. lib. V, epist. 10, atque ejus tamquam gravissimi celeberrimique viri dictum aliquod allegat Joannes Sarisberiensis, Metalogici lib. III, cap. 10. Familiarem Symmachi fuisse, ex ejus epistolis intelligimus. Primam ejus declamationem in Athenæo, magno cum applausu exceptam, prædicat lib. I, epist. 15, ibique tam probum oratione, quam moribus dicit, sicut alibi *spectatum bonis omnibus facundiæ atque eruditionis*, lib. I, 94. Eumdem postea abductum a juventute Romana, et in spem sui honoris accitum esse memorat ibid. et lib. III, 50. Unde rhetorico munere non diu functum, sed mature ab Imperatore officio aulico vel provinciali admotum esse discimus. De eo præterea observat Symmachus, lib. I, 15, Rhetorum hanc esse prosapiam, atque a natura ei contigisse bene sentiendi ac bene loquendi facultatem, et quod alii docentur, hunc natum esse. E quo colligimus, Palladii istius patrem ipsum fuisse rhetorem, neque adeo Palladium illum, quem cl. Rutilius, Itin. I, 208, ut facundum juvenem, et studiis fori deditum, et sibi stirpe propinquum laudat, pro Palladio Symmachiano, ut quidem Sitzmannus et Almeloveenius in annot. ad Rutilii l. c. conjiciunt, haberi posse, quia ejus patrem Exuperantium Aremoricæ provinciæ in Gallia præesse dicit. Itaque multos videmus eadem

ætate Palladios vixisse, eloquentiæ studiis claros, e quibus difficile sit eum indicare, qui auctor odæ de Orpheo haberi mereatur. Accedit, alium Palladium, Palladii filium, Methonæum Sophistam, a Suida memorari, qui Constantini ævo vixerit, variasque scripserit orationes. Accedit alius Palladius, poesi et carminibus clarus, cui monumentum hoc a patre Julio Nicephoro positum exstat in vetustis inscriptionibus (1):

Ut te, Palladi, raptum flevere Camenæ,
Fleverunt populi, quos continet Ostia dia.

Hic igitur videtur Ostiensis portus et civitatis præfecturam gessisse. Quocum si conferamus, quod Symmachus de Palladio rhetore, familiari suo, memoravit, eum mature a rhetoricis studiis ad honorem aliquem publicum fuisse traductum; ex eo conjectura non vana enascitur, forte eumdem esse rhetorem Symmachianum et hunc Ostiæ defunctum juvenem, qui, quoniam e poesi etiam famam adeptus est, ut versus sepulcralis ostendit, hinc carminis de Orpheo, aliorumque, quæ in collectionibus veterum epigrammatum leguntur, auctor facile haberi potest. Legitur carmen de Orpheo apud Pithœum, lib. IV, in Scaligeri Catalectis, in variis editionibus antiquis Catalectorum Virgilii, inter epigrammata Virgilii ethica a Jod. Willichio explanata, pag. 54; denique in Burmanni Anthol. Lat. lib. I, ep. 136. Est hoc carmen eo ex metro compositum, cujus una tantum ode in Horatio exstat, nempe lib. I, 4: *Solvitur acris hiems*, etc. Arbitror vero cætera, quæ in Pithœi collectione inter scholasticorum epigrammata reperiuntur, ab eodem Palladio scripta esse ut *de ratione tabulæ*, *in tumulum Ciceronis* et *Virgilii*, *descriptionem Iridis*, *de ortu Solis*, *de signis cœlestibus*, *de quatuor tempestatibus*, *de amne glacie concreto*, et fortasse alia non majoris momenti, quæ ille rhetorum

(1) Apud Gruter. p. 599; Fleetwod. in Syll. p. 251; Burmann. Anthol. Lat. lib. IV, n. 220.

et Grammaticorum more lusisse ætate juvenili, exercendi ingenii caussa, videtur, neque tamen ratio instituti mei permittit, ut lyrico illius carmini subjungam.

Inter carmina, quæ sequuntur, est *ode ad Lydiam*, delicata illa et amatoria, quam olim priscis in exemplaribus una cum Maximiani Elegiis Cornelio Gallo falso attributam ego supra in præfat. ad Satir. minor. meliore cum ratione Val. Catoni adscribendam dixi. Necdum me hujus opinionis plane pœnitet. Nam et ad Lydiam, celebratam a Catone puellam, scripta est, et lascivius argumentum cum ingenio, quod Cato ipse in Dirarum extremo carmine prodit, prorsus convenit. Deterior latinitas ex eo carmine et recentius ævum quibusdam viris doctis suboluit: saltem non ex ævo Cornelii Galli, adeoque nec Catonis, id esse, Fontannius, Hist. liter. Aquilei. lib. I, cap. 3, p. 58, e vocabulis *columbatim*, *genas rubidas*, et *mammas gemipomas* probare voluit. Sed hæc partim antiqua satis, partim mendosa vitio scribentis esse, neque adeo, quod Fontannius velit, satis probare ostendit Burmannus in adnot. ad hoc carmen. Editum vero olim fuit in antiquioribus Maximiani, sub Corn. Galli nomine, Elegiarum exemplaribus, ut in prima Gaurici, et Laur. Abstemii editione Fanensi 1515, post Pindarum Thebanum et veterum epigrammatum farraginem. Inde receptum est partim in varias Catulli, Tibulli et Propertii editiones, quibus annexæ sunt Cornelii Galli falso inscriptæ Elegiæ; partim in Catalecta Petroniana, vel Errones Venereos, Petronio adjectos, editionis Patissonianæ, pag. 169, Frellon. pag. 231, Hadrianidis p. 113. Ex his denique repetiit P. Burmannus, Anthol. Lat. lib. III, n. 219, tum auctor Collect. Pisaur. omnium poem. et carm. Latin. t. IV, pag. 502. Continet hoc carmen inprimis delicatum formæ emendatissimæ et pulcherrimæ descriptionem, cujus quidem in partibus exprimendis perquam multos habuit auctor veterum et recentiorum poetarum æmulos, quorum locis adducendis nonnulla hujus carminis illustrari possunt; præcipue tamen com-

parari cum Nostro merentur duo loci Petronii, quibus ille omnes veneres advocasse ad instruendam Veneris perfectissimæ formam videtur. Alter legitur Satirici cap. 126: *Nulla vox est, quæ formam ejus possit comprehendere*, etc. alter est in fragmentis carminum, qui incipit: *Candida sidereis ardescunt lumina flammis*, quod carmen fortasse ipsi dabimus alio loco. Adjungi his potest perfectissimæ Laidis formæ descriptio apud Aristænetum, lib. I, epist. 1, p. 4 et seq. edit. V. C. Fr. Boissonade.

Ausonii porro carmen aliquod Sapphicum addidi, quoniam mihi is mos est hactenus observatus, ut ex ejus carminibus, quæ omni fere genere et forma scripsit, nonnulla delibata in collectionem meam inferrem, e pluribus autem Sapphicis, quæ in ejus operibus occurrunt, hoc unum fere genium lyrici carminis habere, certe præstantius aliis videbatur. Primum est Ephemeridis, seu carminum eorum, quibus totius diei negotium descripsit et continet acclamationem matutinam ad Parmenonem servum, ut surgat, et sibi ministret. Hoc opus Ephemeridis utinam totum ad nos pervenisset, neque pluribus partibus vel carminibus, quibus totidem diversa diei negotia diversis metris descripserat, hodie careret. Sed illud considerans, videor mihi in eo imitationem Septimii Sereni Opusculorum ruralium deprehendere, quorum singulis singulas vitæ rusticæ, vel diurni in rusticatione operis, partes descriptas fuisse, unumque ex illis poema esse, quod hodie exstat, Moretum, conjeci (1). Certe Ausonium legisse et subinde imitatum esse Opuscula Sereni, ad ejus fragm. II et VIII observavi (2); et ut in Sereni Opusculis solennis precatio ad Janum legebatur, sic in Ausonii Ephemeride oratio ad Deum. Cæterum Parmeno, servi nomen, e Terentii Eunucho et Hecyra est.

Numero XII Focæ Grammatici Oden Sapphicam inseruimus, quam præfationis vel exordii loco Vitæ Virgilii

(1) Vid. hujus nostræ edit. tom. I, pars 2, p. 608, lin. 15 seqq. Ed.

(2) Ibid. pagg. 634 et 638. Ed.

hexametris versibus scriptæ præmisit, quaque Musam Clio invocat, et Historiæ laudes breviter complectitur. Ipsum carmen de vita Virgilii, quod nihil nisi simplicem narrationem, nullo exornatam colore poetico, continet, merito omisimus, quandoquidem et Vossius de Hist. Lat. lib. III, cap. 11, pag. 817 judicat, *versus hos non tam poetæ esse, quam quales esse Grammaticorum solent*. In veteri codice, quo usus est Scaliger, titulus erat *Vita Virgilii a Foca Grammatico urbis Romæ versibus edita*, et codex Scriverii addebat *Grammatico urbis Romæ perspicacissimo et clarissimo*. Quamquam hinc intelligimus, eum inter Grammaticos publico stipendio conductos Romæ docuisse, ipsum tamen non Romanum, sed Græcum hominem fuisse, nomen indicare videtur, qnod tantum inter Græcos serioris ætatis occurrit. Ut Phocam Imperatorem omittamus, Phocas Magister militum, Consularis ac Patricius Constantinopolitanus, inter Jureconsultos, quibus Justinianus ad Jus condendum usus est, memoratur in proœmio Pandect. et Codicis et Institut. (1) et Joannes Phocas, Cretensis monachus, qui U. C. 1185 Palæstinam lustravit, libellum geographicum de locis Antiochiam inter et Palæstinam, nec non Syriæ, Phœnices et Palæstinæ scripsit, qui græce et latine in Leonis Allatii Συμμίκτοις legitur. Ætas Focæ Grammatici certo quidem definiri nequit; antiquior tamen Prisciano et Cassiodoro fuerit, necesse est, qui passim ejus mentionem faciunt. Unde nescio, qua ratione in recentiore Fabricianæ Bibl. Lat. editione scriptum fuerit, esse quosdam, qui eum Constantinopoli post Priscianum Grammatices Professorem fuisse tradant. Illud facilius admiserim, Constantinopoli eum vixisse, et in titulo supra allato Vitæ Virgilii Romam novam intelligendam. Scripsit *Artem de nomine et verbo*, cui ipse præfationem metricam, dodecastichon præposuit, item *de aspiratione*, libellos exiguos, quos Putschius Grammaticis

(1) Fabricius, Bibl. Græc. vol. XII, p. 345; Funccius de inerti Linguæ Lat. senectute, cap. VII, p. 434.

Latinis, pag. 1687 et 1722 inseruit. Præter dodecastichon illud et Vitam Virgilii alia nonnulla in Virgilium ejusque Æneidem epigrammata ab eo scripta in P. Pithœi collectione epigr. vet. lib. II et IV, apud Scaligerum in Catalectis Virg. ac in plerisque Virgilii editionibus, quæ Catalecta ejus annexa habent, denique in Burmanni Anthol. Lat. libro II edita reperiuntur, quæ tamen, ut exigua et poematum indigna nomine, in hanc referre collectionem nolui. Ode, quam nunc proferimus, in Anthologia Burmanni, libro II, n. 186, exstat, e qua recensione ipsi dabimus.

Anacreonticum, quod numero XIII exhibemus, Prosperi Tyronis exhortatio ad uxorem, ut Deo se consecret, exordium est vel introitus majoris carminis hexametri, quod una repetere hujus loci non erat. Scriptum est circa annum 407, quo in Occidente omnia variis tumultibus turbisque miscebantur, et a multis Paulino Nolano Episcopo tributum, ejusque poematibus adjunctum est, haud dubie propterea, quod ejus uxorem constabat, volente marito, Christo se devovisse. Sed in codicibus melioribus Prospero adscribitur, et plurimis etiam operum ejus editionibus insertum est. Refert eos versus Beda in fine libelli de Re metrica, pag. 2379 Grammat. Putsch. et Prospero Tyroni adscribit; qui an distinguendus a Prospero Aquitanico sit, nunc non disputo. Affert etiam Lilius Gyraldus dialogo quinto Historiæ poetarum, et Georgius Cassander inter hymnos ecclesiasticos, ut varias editiones tum Paulini Nolani, tum Prosperi Aquitanici operum nunc taceam.

Lindinus, quem auctorem breve carmen de Ætate, seu de gradibus ætatis humanæ præscriptum habet, obscurum et ignotum plane nomen est, de quo nihil usquam inveni, quod dicam. Ipsum carmen dictione incompta et mendosa ignobilem et barbaram ætatem redolet, quod ineditum P. Burmannus e schedis Salmasianis et Divionensibus protulit Anthol. lat. Lib. III, n. 94.

De aliis quibusdam carminibus, quæ, nullo auctoris no-

mine signata, hac collectione proferimus, ad ipsa carmina notabimus, quæ forte præter auctoris nomen et ætatem observanda sunt. Poterant fortasse et merebantur adeo Severini Boethii carmina huic Lyricorum farragini accenseri, quæ, omnia fere lyrici generis, libris ejus de Consolatione Philosophiæ inserta sunt, atque eo spiritu et ingenio scripta, iis sententiis referta sunt, ut æquiparari haud paucis melioris ævi poematibus possint. Sed eorum numerus et amplitudo haud paullo major videbatur, quam ut hujus tomi Poet. min. ambitu comprehendi possent; præterea hæc carmina tum multis libri Boethiani editionibus frequentata, tum seorsum excerpta in quibusdam poetarum collectionibus, maxime autem in Pol. Leyseri hist. poet. med. ævi, p. 105, pluribus scriptis et excusis exemplaribus collatis, repetita sciebam, ut putarem renovata eorum editione, quum superiores in plurimorum manibus versentur, non admodum opus esse. Habebimus fortasse honorem præstantissimo juxta ac sanctissimo poetæ, ubi sequentibus tomis commodior se locus obtulerit, et tum addemus Elpidis uxoris ejus, duo hymnos in Natali Apostolorum Petri et Pauli, quos etiam Jo. Ant. Vulpius Boethii libris Patavii anno 1721 editis subjunxit.

I.

VESTRITIUS SPURINNA

DE

CONTEMPTU SAECULI,

AD MARTIUM *.

I **.

DULCES Vestritii jocos,
Seras Socraticæ relliquias domus,

* MS Barthii in titulu *Vesprucius*, et primu versu *Vespricii* exhibuit, quod utrubique cum vero nomine Vestritii commutare nun dubitavi. Inscriptiu *De contemptu seculi* argumentum quidem carminum, sed stylu ecelesiastico, exprimit, et librarium prodit monachum, qui pleraque Spurinnæ, maxime autem quæ Oda II de pauperie dicuntur, ad vitam monasticam trahere potuit. Nus eam inscriptionem ferre perinde, ut supra quarumdam Calpurnii Eclog. titulos, possumus.

AD MARTIUM. Quis Martius, ad quem scripsit, nesciu. Nisi quod *Marium* scribendum, versus imperat. Et est fortasse Marius, quem vitæ quietæ enltorem eodem ævo vocat Martialis, lib. X, epigr. 92. BARTH. in Advers. XIV, 5.

** Argumentum odæ primæ est: Vestritius amieu laudanti carmina sua, jocusa plerumque, et ut plura scribat, hurtanti, seneetutem suam exeusat, quæ a jocu et cantu abhorreat, quietem et silentium et solam sapientiæ meditatiunem amet. Plane ut senex pastur apud Calpurn. VIII, 11: « Viximus, et calamis versus eantavimus olim, etc. »

1. *Jocos:* in MS *joca*, sed quod falsum umnes vident. BARTH. *Dulces jocos* appellare Spurinna sua earmina videtur, quod plerumque mores buminum tangebant, et suaviter alludebant animis, Socratieu more, ut de Horatiu loquitur Persius, I, 116: « Omne vafer vitium ridenti Flaeeus amieo Tangit, et admissus circum præcordia ludit ».

2. *Socraticæ domus*, h. e. familiæ, vel sectæ: sumptum ex Horatio, Carm. I, 29, 14.—*Seras* ejus *reliquias* vocat sua earmina, quasi quæ sero demum et extrema hac ætate sua

Ne laudes nimium, Mari.
Contemnit placitus nobilibus viris,

quædam philosophemata Socraticis sublegerint. In *seras* inest modesta significatio studii sui philosophiæ, quam non ab ineunte ætate assiduoque studio perceperit, sed extrema vita, sui oblectandi caussa, tetigerit. Etiam in hoc auctor expressit Horatium, qui *seros studiorum* vocat Sat. I, 10, 21, quos Græci ὀψιμαθεῖς, leviter tinctos scientia, quia sero et raptim didicerunt : de quibus Gellius, XI, 7. — Bayerus *seras Socraticæ domus relliquias*, plane falso de vitiosa urbanitate et spurcis jocis interpretatur, magna cum injuria in Vestritium, quem inani conjectura et nullo idoneo argumento, immo contra testimonium Plinii, dicit, e pristino Neronis Cæsaris et Othonis contubernio, iis moribus inserviisse, quibus isti delectati essent. Sed quæ verior amicitiæ ejus cum Othone caussa fuerit, indicata est in Procemio; familiaritatem cum Nerone nemo prodidit; et carminum Vestritii reliquiæ, ita quidem ut nos fecimus, diligenter explicatæ, sanctitatem scribentis, quam Plinius agnovit, affatim confirmant. Ed.

3. *Marti* vitiosum esse, per se patet. Ipse puto ad Marium quemdam, vel Matium, sermonem dirigi. — Nullum dubium est Marium Celsum hic intelligi, qui Spurinnæ conjunctissimus et partium Othonianarum cum eodem dux fuit, teste Tacito, et de quo plura dicta sunt in nota ad Procemium, p. 380. Ed.

4. Bayerus retinet *placitas*, idque refert ad *relliquias*. — *Nobilibus viris* interpretatur de philosophis *Socraticæ domus*. Ego teneo ac defendo quod editum est, *placitus nobilibus viris*, qui idem est ac quem Horat. Carm. IV, 12, 15 dicit : *Juvenum nobilium cliens*. Ed. — Scribam *mobilibus*; sed τὸ *viris* etiam valde vulgaritatem olet. Barth. Nempe Barthius edidit *placitas* bilibus*. — Cui visum est *mobilibus* posse defendi exemplo Hor. C. I, 1, 7 : « Hunc si mobilium turba Quiritium ». Ed. Mobiles Quirites quidem, et mobile vulgus poetæ dicunt, quod quasi vento opinionum agitur, sed *viros mobiles* hoc sensu dici vix arbitror, quod viro gravitatis notio proprie inest. Igitur *nobilibus* præfero. *Placitas* nomen aliquod, ad quod referatur, desiderat, quod nusquam invenio. Levi igitur mutatione lego *placitus*, atque his verbis puto rationem afferri a Spurinna, cur jocos vel philosophemata sua Socratica nolit nimium a Mario laudari : neminem enim eorum facile assensurum, qui nobilibus placere viris et studia eorum sequi malint. *Placitus nobilibus viris* est ille, qui cum Horatio sentit, Epist. I, 17, 35 : *Principibus placuisse viris, non ultima laus est;* ideoque, ut placeat, similia nobilium studia, honores, lautitias, voluptates affectat. Ille, inquam, *contemnit* eum, *soli qui sapientiæ senium dicat*, et se ab honoribus et turbis omnibus segregat. *Placitum* pro accepto et grato dici, Gronovius docuit ad Stat. Theb. XII, 302, et lectionem *nobilibus* confirmat versus 17 odæ II, ubi similiter contra nobilitatem disputat. Hic primum animadverto, quod Bayerus dicit, Barthio solem non luxisse.

Soli qui Sapientiæ,
　　Post florem tepidum, nec stabilem gradum
Ætatis, senium dicat,
　　Mentis compositæ: qualis ab arduis
Ad se versa laboribus,
　　Quos non dat patriæ, seposuit sibi
Annos, orba lucro gravi.

5. Bayerus bos vers. ita distinguit: *Soli qui sapientiæ, Post florem, tepidum nec stabilem gradum Ætatis, senium dicat Mentis compositæ;* et hic Barthius non solam sapientiam, sed *solem sap.* intelligere suadet. Ed.

6. *Florem tepidum* dicit juventutis, non alia ratione, quam quod juventus comparatur veri, quod *tempus tepidum* est, ut frigida senectus hiemi. Sic enim in versu Publii Syri ciconia *titulus tepidi temporis*, i. e. nuntia veris nominatur. Alio respectu *calida juventus* dicitur ab Horat. Carm. III, 14, 27. — *Florem* vocat ἀκμὴν ætatis, ut Apuleius, « Ætatis florem floribus ut decores ». Ed. — *Tepidum* vero qui jamdum caloris ut vir, neque frigoris ut senex imperio regitur. Ed. — *Gradus non stabilis ætatis* est, quæ per incerta fortunæ, per varios honorum munerumque gradus transit, alia post alia appetit, nunquam consistit, nec secum manet, quæ est ipsa juventus et media ætas. Etiam hic parum vidit Barthius in notis primæ edit. — Alio respectu *constans* ætas media dicitur a Cicerone, quæ post studia juventutis consequuta est, quos voluit, honores; in Cat. maj. cap. 20: « Sunt et ineuntis adolescentiæ studia; num ea jam constans requirit ætas, quæ media dicitur? » Ed.

7. *Senium mentis compositæ* (nam hæc copulanda) est senectus, quacum conjuncta est maturitas consilii. Sic *animus senilis* dicitur Claudiano, Cons. Prob. versu 154, qui proprie senibus esse solet.

8. *Qualis,* composita, ea *mens* est, quæ *ab arduis laboribus ad se versa, annos, quos patriæ non dat, sibi seposuit.* Imitatus Plinium, aut Spurinnam Plinius videtur, Epist. IV, 23: « Prima vitæ tempora, et media patriæ, extrema nobis impertire debemus. » — Ovid. Metam. XIII, 302: « Primaque sunt illis data tempora, cætera nobis ». Ed.

10. *Patriæ* scribendum arbitror. B. Et hoc nemine monente verum est. Dedit autem Barthius e MS *dat pa* ae.*—*Seposuit,* secrevit ab officiis publicis, et destinavit sibi. Similiter Seneca de Brev. vitæ, c. 20: « Senectutem nullo alio nomine gravem judicant, quam quod illos seponit ».

11. *Lucro gravi.* Ita scripsi. MS *l̄co. gravi.* Nescio, an quid aliud subsit. Barth. — *Orba lucro gravi*, h. e. sejuncta vel aliena a cupiditate lucri vel emolumenti. *Grave lucrum* est, quod sine molestiis et periculis non capitur, ut *graves principum amicitias* dixit Horat. Carm. II, 1, 3. Possis tamen legere *orba loco gravi*, h. e. quum desiit esse gravi aliquo et honorato loco in republica: *orbus* est e peculiaribus Spurinnæ vocabulis; vide vers. 19, od. 2.

* * Ambitio tegmine candida
Illudat gravidæ spei.
Nos sero pelagus vicimus invium :
Quidquid viximus, interit.
Æstas quem decies septima dividit,
An leues memoret jocos?
Atque aptos citharæ conciliet modos,

12. Suppleri poterat *Ingrato* vel *fucato*. B. Malim ego *Albato* vel *cretato*, ob togam candidam, quæ *tegmine* significatur : unde candidati, qui ambiunt honores, et *cretata ambitio* dicitur Persio, V, 177. — Bayerus supplet : *Quum non ambitio tegmine candida.* —*Tegmen* pro *veste*, argentea latinitate usitatum. *Detrita tegmina* pro vestimentis detritis dicit Tacit. Ann. I, 18. *Sericum tegmen* est in Eucheriæ carmine, v. 3. Ed.

13. *Illudat*, sollicitet et decipiat. —*Gravidæ spei*, quæ quasi fecunda multorum votorum est, alios ex aliis honores sibi fingit et appetit. Explicat Seneca de Benef. II, 27 : « Ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, quæ quondam ejus fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias; sed queritur, quod non est ad præturam usque perductus : nec hæc grata est, si deest consulatus : ne hic quidem satiat, si unus est ». *Gravidus* iterum hoc sensu infra v. 4 odæ III.

14. Per *pelagus* intelligit negotiorum, munerum, studiorum in republica quasi æstum et fluctus, aura populari concitatos. Quod pelagus *sero*, nempe extrema ætate vicisse se dicit, dum se in portum otii vindicavit. Hanc in sententiam Seneca ait : « Hominem in freto vivere debere, in portu autem mori ». Et Plinius in ipsa epistola, ubi de Spurinna : « Senibus industria sera, turpis ambitio est ».

15. *Quidquid viximus, interit*, In eamdem sententiam Seneca, Epist. 24 : « Usque ad hesternum, quidquid transiit temporis, periit; hunc ipsum, quem agimus diem cum morte dividimus ». Ed.

16. *Æstas quem decies septima dividit*, h. e. cujus ætas in decies septem æstates dividitur, vel totidem æstatibus constat. Sed fortasse magis probabile, *dividit* antiquo sensu dictum esse pro affligit, vel tædio afficit, quia *dividia*, quæ vox ab eo verbo haud dubie derivanda, apud Plautum occurrens tædium et molestiam notat. Quod si hic verus verbi sensus est, militare certe id omnium maxime pro ingenuitate horum carminum, et vero auctore Spurinna, potest. Nam quis recentior et spurius scriptor usurpare verbum tam antiqui et rari sensus ausus sit, qui certe barbaro sæculo incognitus fuisse videtur? Cæterum intelligitur hinc, post septuagesimum annum hæc scripsisse Spurinnam, et de eo Plinius : « Illi post septimum et septuagesimum annum aurium oculorumque vigor integer ».

18. *Citharæ conciliet modos*, h. e. cantet carmina ad citharam. Contra

Surdis auriculis strepens?
  Quisquis decrepiti corporis est reus,
Sat sese eloquii probat,
  Si servet placidi jura silentii,
Et patrocinium otii.
  Hoc cani gravitas verticis abstitit,
Non ut sponte sua fugax,
  Sed * multi numeris carminis * *

dissonam chordis vocem dixit Cassius in Orpheo, v. 4.

19. *Surdis auriculis* contrarium, vigorem aurium integrum Spurinnæ tribuit Plinius. Sed possunt esse aures vegetæ ad dicta quævis percipienda, quamvis ad fidium cantum discernendum hebetiores.

20. *Decrepiti corporis reus est*, in quo deprehenditur corpus decrepitum: nam *reus* est rei cujusque vel caussæ particeps, sicut et *damnatus* dici solet pro infelici et ærumnoso; vid. not. ad Calpurn. IV, 117. — Eo sensu *reus pacti*, *reus promissi*, *reus voti* dici solet. Apud Plaut. in Cistell. *reus facti*, et Martial. *pugnorum reus ebriæque noctis*, de eo qui alterum verberavit adscripsit. Ed.— Cæterum eleganter pergit Vestrit. in allegoria judicii, quum ait, decrepiti corporis reum hoc ipso se satis defendere, satis eloquentem esse, si utatur jure et patrocinio, quod ipsa senectus præstet, nempe silendi et quiescendi. Jus hoc senectutis tangit Plinius, IV, 24: « leges, inquit, majorem annis LX otio reddunt »; et Seneca de Brev. vitæ, cap. 20, « lex a sexagesimo anno senatorem non citat ». — Bayero placuit sic tres hos versus constitui: « Quisquis decrepiti corporis est, reus Sat sese eloquii probat, Si servet placidi jura silentii ». Ed.

21. *Sat sese eloquii probat*. Græcismus.

22. Barthius edidit cum lacuna *Si ser* placidi*. Sed nemo non videt, *servet* legendum esse.

24. *Hoc cani gravitas verticis abstitit*. Difficilius hæc explico, quia non satis sana videntur, sequentia autem manca et decurtata sunt. *abstitit* melius legatur *attulit*. Interim sic tento: *Hoc* vel in hoc, hactenus, *gravitas cani verticis*, senectutis meæ, *abstitit* vel recessit ab utendo illo jure silentii, *ut non sponte sua*, amore otii et desidiæ, *fugax* esse, fugere a negotiis omnibus, *sed* potius *multi carminis numeris*, h. e. multis carminibus componendi, oblectare otium suum, et ponere adeo in aliqua eloquii exercitatione velit. Sed si legatur, ut dixi, *hoc attulit*, *ut non sponte sua*, etc. omnia erunt planiora. Cæterum hujus odæ argumentum multum convenit cum Prudentii præfatione carminibus præmissa.

26. *Numeris carminis*. Hæc verba non abundant, nam sunt et *numeri innumeri*, quibus intelliguntur soluti Comediæ versus, qui pedibus quidem alligati, sed veri numeri non sunt, quia legibus non adstricti. Vid. Scal. Lect. Aus. II, 17. Ed.

II *.

Fave sancta Deum sata,
  Nullis, Pauperies, numinibus minor,
Tecum si sapias tibi:
  Ultro magnificis hospes honoribus,
Absolvens numerum tuæ

* Ode secunda laudat honestam Pauperiem, quæ sibi sufficiens et secum habitans, externos honores et lautitias spernat, nec civilibus curis, negotiis, periculis immergatur.

1. In MS nulla distinctio, nec ulla nota est alia. Ego vero, ut vulgo distinguendi videri possint, ita primos versus adscripsit. At, si tanti sit penitius scrutari rem, ego veram collocationem ita esse ducendam arbitrer: *Fave Sancta Deum; sata Nullis, Pauperies, numinibus: minor Tecum si sapias tibi.* — *Sancta Deum*, ut vetus poeta, Valerius Soranus puto, *Saturnia sancta Dearum*, estque Græcanicum δῖα θεάων. — *Nullis numinibus sata*; quia non curat splendorem generis, aut bonæ fortunæ, vir Sapiens, qui idem bonæ mentis sororem duxerit domum. Ipsam vero ab sui quoque ambitiosa æstimatione excludit illud *minor si soli tibi sapias*. Videant eruditi. Utraque sane distinctio tolerabilis est. Barth. Prior distinctio multo facilior et clarior. Ad hæc Gronov. Observatt. lib. III, c. 21, verba Spurinnæ ita vult legi: *Salve sancta, Deum satu, Nullis, Pauperies, numinibus minor*; et addit « Male *sata nullis numinibus* fecerat librarius: nec *sancta Deum* est, ut δῖα θεάων. Immo et Diis ortam dicit, et nullis numinibus minorem ». Ego vero Gronovio libenter assentior. — Addam ad confirmandam Gronovii emendationem, quæ Cicero habet, de Officiis, I, 32, 11: « Hoc Herculi Jovis satu edito potuit fortasse contingere ». Idem, de Univ. cap. 11: « qui Deorum satu orti essent ». Ed.

2. *Nullis numinibus minor.* Horat. Epist. I, 1, 106: *Sapiens uno minor est Jove.* Ovid. Fast. IV de Venere: *Illa tenet nullo regna minora Deo.* — Maxime similis locus est Silii Ital. lib. VI, 123: « sacer ille et numine nullo Inferior, tuus ille parens ». Ed.

4. Lege *Ultra.* Et ego tamen non capio ista. Nec videtur aliquid deesse sequentibus. Barth. In mspto fuit *Ulta magnificis.* Enimvero necessario legendum est *Ultro hospes*, quæ ultro, tua sponte, peregrina et aliena es honoribus, nec eos nosse et ambire cupis. — Hunc versum sic legit vel emendat Bayerus: « Vitæ, magnificis hospes honoribus, Absolvens numerum tuæ ». Ed.

5. *Absolvens.* Hunc versum a sequenti Barthius asteriscis, quasi lacuna esset, discrevit: quod ego puto fieri non debuisse; nam constructio et sententia in utroque bene cohærent. *Absolvens numerum tuæ in te lætitiæ*, h. e. Perfectam

In te lætitiæ; sordida quum quies,
Lautis nuda tumultibus,
Ambit se patria fertilis in domo.

* *

Nullis vendibilis plausibus:
Contemptrix queruli magnanima fori :
Nil non sola potens, ubi
Furtivis procerum suppliciis procul

in te habens, nec aliam quærens, lætitiam. Sic Senec. epist. 2 : « Honesta res est, læta paupertas. Illa vero non est paupertas, si læta est ».

6. *Sordida quies* hic lautæ, splendidæ, luxuriosæ opponitur : non est sordibus et immunditie fœda, sed simplex, splendoris et lautitiarum ignara. — Sicut et alias *sordidus* humilem, vulgarem, minime illustrem notat; ut apud Lucilium Juniorem in fine Ætnæ : « Nec sanctos juvenes attingunt sordida fata ». Ed.

7. *Lautis nuda tumultibus*, vacua curis, quæ lautitiarum caussa comparandarum geruntur. In Advers. Barthii hic exstat *unda tumultibus*, vitio typothetæ. *Tumultus* pro curis et perturbationibus animi Horatio et Senecæ usitatum. Horat. C. II, 16, 10; Seneca in Œd. 329, et vide versu 10 odæ III. Possis et legere *Raucis nuda tumultibus;* et tumultus intelligere de strepitu fori et civilium turbarum.

8. Τὸ *fertilis* mihi suspectum : *forcilis* est in MS, quod tamen non video, quomodo et aliter capiam. Barth. — *Fertilis* illa quies a Statio dicitur *fecunda*, Silv. I, 3, 91 : « Hic premitur fecunda quies, virtusque serena Fronte gravis ». Et pertinent huc verba Plinii, Epist. I, 9 : « O dulce otium honestumque! ... O mare, o litus!... Quam multa invenitis, quam multa dictatis! » Ed. — *Ambit se*, h. e. quies, non alia re occupata, se ipsa delectatur, atque id tantum agit, ut se sibi conservet et teneat : *fertilis* hoc vult : non effeta tamen ea et iners est, et plane desidiosa, sed semper aliquid boni consilii, bonæ rei, de pectoris sui fundo profert, quod agat. Possis tamen pro eo *fortius* legere.

9. *Vendibilis :* lego *vendita*, B. nam alias versus non constat.

10. Bayerus legit : *Contemptrix queruli magno animo fori.* Ed. — *Magnanima.* Forte legas *magnanimis*, ut alia ejus generis in usu sunt non pauca. Barth. *Queruli fori*, in quo querelæ et lites aguntur, e quibus laus et fama et lucrum quæritur. Senec. Herc. fur. 172 : « Hic clamosi rabiosa fori Jurgia vendens, improbus ».

11. *Nil non sola potens.* Omnia tibi præstas sola, tibi sufficis, alienæ vel externæ opis nihil indigens.

12. *Supplicia* sunt supplicationes. Romano nomine ista non sunt prorsus indigna; nec dignissima tamen propter eorumdem, ut videtur, repetitionem; nisi si quis ex integro

Regnas in proprio sinu.
Felix, quem teneris mater ab unguibus
Et regina rapis simul!
Non illum * fascibus arduum
Versat nobilitas mala,
Curarum facilem fluctibus, ut suis
Orbum sideribus rotet.
Illum splendida nox et decor improbe
Cæcus præcipitant *

opere talia consarcinare voluit : ut postrema ætate fere soli Ethici poetæ in pretio fuerunt. BARTH. *Furtivis procerum suppliciis procul*, h. e. spernens adrepere proceribus, iisque furtim supplicare. *Supplicia* quidem pro supplicationibus, quæ Diis fiunt, haud raro ponuntur apud Sallustium et Livium, hic tamen sunt preces humiles proceribus factæ, vel querelæ miserabiles, ut usurpavit Plinius, præfat. libri VII, de homine nato loquens : « flens animal cæteris imperaturum, a suppliciis vitam auspicatur ».

13. *In proprio sinu*, i. e. domi et apud te, vel in animo et conscientia tua. Vid. v. 5 odæ III. Sic *in sinu gaudere* Plinius dicit, et Seneca, epist. 20, *divitias in sinu positas* vocat, quæ sunt domi et in occulto positæ. *Regnas* eo sensu, quo Seneca in Thyeste, 388 : « Rex est, qui metuit nihil : Rex est, qui cupiet nihil. Hoc regnum sibi quisque dat ».

15. *Rapis*, tibi vindicas, et proprium dicas, ut matris simul amore complectaris, et reginæ potestate regas.

16. Bayerus edidit : *Non illum tumidis fascibus arduum*. ED. — * *Fascibus*. Poteris supplere *tumidis*, vel *trabea et fasc. arduum*, elatum et superbum. Hic Vestritius in animo habuisse versus Horatii videtur, Carm. IV, 3, 1 : « Quem tu, Melpomene, semel ... Illum non labor Isthmius Clarabit pugilem, etc. »

17. Bayerus distinguit : *Nobilitas mala Curarum facilem fluctibus*. ED.

18. *Facilem*, facile agitandum fluctibus. — *Facilis* enim est *mollis* et *cedens*, ut ipse Plinius vocat in versibus illis, qui habentur lib. VII, Epist. 9, et quos ex Pithœo edidit Burmannus sec. Anthol. Lat. t. I, p. 450 : « Ut laus est ceræ, mollis cedensque sequatur Si doctos digitos, jussaque fiat opus ». *Facilis* sæpe cum *docilis* confunditur ; et aliquando cum *fragilis*, quod hoc loco non mihi admodum displiceret ; nam *frangi fluctibus* poetis usitatum et hic elegantem vim habet. Notandus usus τοῦ *facilis* in Virgilii Æn. VI, 146, de aureo Æneæ ramo : « Carpe manu, namque ipse volens, facilisque sequetur ». ED. — *Suis orbum sideribus*, mente sua obcæcatum, quasi nautam in patente mari prensum, cui certa sidera non fulgent. Quo sensu adhibita ea vox Horat. Carm. II, 16, 3.

20. *Splendida nox*, splendidus honor, cui multus timor, multa pericula adjuncta sunt. — *Decor cæcus*, qui excutientes facit.

III *.

Postquam fixa solo semel
    Spernit fluctivagos anchora navitas
In sævum pelagus sequi,
    Quam vitat gravido perniciem mari,
In suo reperit sinu :
    Hærentem tumidis * dentibus
Ærugo propria exedit.
    Ni te desidia sancta quies levet,

* Sanctam quietem, quæ virtute nitatur, nec sine mentis honesta exercitatione sit, commendat, ejusque differentiam a desidia ostendit. Ad hoc docendum, utitur similitudine anchoræ, quæ si semper fixa solo hæreat, numquam inde commoveatur et committatur mari, tandem ærugine consumitur.

2. *Spernit navitas sequi in pelagus.* Græcismus, i. e. non patitur se extrahi terræ, sed tenacius inhæret, ne possit navita egredi in mare. Ovidio, Trist. III, 9, 14 : « Dum solvitur aggere funis, Dum sequitur celeres anchora tracta manus ».

4. *Gravido mari*, helluarum, tempestatum, periculorum pleno. Supra, od. I, v. 13, *gravida spes*. Auctor Elegiæ de Spe, v. 19 : « feta procellis æquora ».

5. Barthius in secunda editione, in Advers. dedit *repetit*. Sed præfero *reperit: in suo sinu*, h. e. in se ipso. Videtur esse idiotismus Spurinnæ. Vid. od. II, v. 13.

6. *Tumidis.* * Lego : *Hærentem timidis nam male dentibus ;* et *timidis* explico, inertibus, qui exire timent, vel qui timide et ignave trahuntur. — Ut *timidos dentes* anchoræ h. l. Spurinna, sic Mart. lib. I, ep. 105, 18, dicit *leones timidos tenere dentes*, qui cessant dentes comprimere et infigere prædæ. Idem, lib. I, ep. 7 : « Illæsum timidis unguibus hæsit onus ». Ed. — *Dentes* sunt unci anchoræ, quibus infiguntur terræ, sicut et vomer aratri *dens* dicitur. Virg. Æn. I, 169 : « unco non alligat anchora morsu » — Et Æn. VI, 3 : « tum dente tenaci Anchora fundabat naves ». Bayerus hoc versu legit *Hærentem tumidis litore dentibus*. Ed.

7. *Ærugo exedit.* Similiter Catullus in Epithal. Pel. v. 42 : « Squalida desertis robigo infertur aratris ». Ed.

8. *Sancta quies* est a sanctitate animi ducta, officiis et honoribus sancte gestis promerita. — *Levet te desidia*, liberet crimine desidiæ et inertiæ, a qua ipsa dissidet, quæ, quod molestum est, non curet vincere, sed fugiat. Seneca, epist. III : « Hæc non est quies, quæ motum omnem molestiam judicat, sed dissolutio et languor ». Idem epist. LV : « Multum interest, utrum vita tua otiosa sit, an ignava ». Quod hic Vestritius præcipit, hoc ad exemplum ejus Plinius præcipit sibi, lib. III, epist. I extr. « Igitur eumdem mihi

Turbas dum populi fugis,
Privatis quaties fata tumultibus,
In te ludere pervicax.
Nos * vigilans somnis * furor
Tortis liberat anguibus,
At presso gracilis Cura manet pede.

cursum, eumdem terminum statuo; idque jam nunc apud te subsigno: ut si me longius evehi videris, in jus voces ad hanc epistolam meam, et quiescere jubeas, quum inertiæ crimen effugero ». Idem lib. IV, epist. 24 extr. « Quando per ætatem honestum erit imitari istud pulcherrimæ quietis exemplum? quando secessus mei non desidiæ nomen, sed tranquillitatem accipient? »

10. *Privatis tumultibus*, affectibus animi, cupiditate, timore, invidia, atque hinc orientibus votis et questibus. — *Quaties fata*, commovebis et sollicitabis, ut te excrucient. Ita usus est Horat. Carm. I, 18, 11: « Non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiam ». Sed et *tumultus pectora quatit* apud Sen. in Thyeste, v. 260.

11. *In te ludere pervicax*, ut ipsa Fortuna Horatio Carm. III, 29, 50, dicitur *ludum insolentem ludere pertinax*.

12. Conjecturis hæc explere vanus sit labor. Versu tertio a fine in MS est *fruor;* cui substitutus a nobis *furor:* nec enim puto aliud melius reperiri posse. Barth. Ego sic tentabo: « Nos tamquam vigilans somnus habet, furor Tortis liber et anguibus ». Videant alii.

13. *Liberat anguibus*, qui nullis quidem Diris agitatur, sine terrore et cruciatu animi est. Sic Turnus in Satira, vs. 9, *angues opponere anguibus* dicit, pro Diris. Videtur Spurinna respexisse verba Horatii Epod. V, 92: « Nocturnus occurram furor; Petamque vultus umbra curvis unguibus ». Cæterum Bayer. plane aliter hos versus corrigit: *Noctes et vigilans somnia si furor Tortis non librat anguibus.* Ed.

14. *Gracilis Cura*, quæ gracilem efficit. — *Presso pede*, id est, leniter admoto, ut quæ tacita superveniat nocenti. Similis usus vocis *pressus*, Eleg. in obitum Mæcenatis, v. 92: « Invenit, et presso molliter ungue rapit »; ubi *presso* exponitur pro restricto et quadam arte admoto, ne læderet, ut hic pes Curæ pressus, ne audiatur, quem sensum et epitheton *gracilis* firmare potest, si proprie de Cura sumere volumus. Propert. III, 8, 14: « Et nitidas presso pollice finge comas », id est, pollice molliter impresso, quod explicat Passeratius, p. 464. Apposite Ovid. Metam. III, 17: « pressoque legit vestigia gressu », ubi *presso* pro lento. Et *premere gradum* pro sistere apud Valerium Flaccum, II, 454: « Attoniti pressere gradum », et hanc expositionem unice veram putabat Oudendorp. adnotato Ciceronis loco, Verr. IV, 24: « Presso leviter vestigio ». *Premere vocem*, pro inhibere apud Phæd. Fab. XI, 12, quod *premere silentia*, dixit Stat. Silv. I, 2, 64. Ed.

IV *.

INGRATI nebulæ desidii caput
Circumstant trepidum; Sors nimia in probos

* Non tam fragmentum hoc, quam fragmenti reliquias dixeris. Non caput, nec pedes, et prope dicam, non pectus inest. Nam vix sensum in eo deprehendimus. Quæ tamen videmus, non vulgaris ingenii sunt.

1. Nullo apice hæc aliter sunt descripta in codice vetustissimo: nisi quod *desidie* scriptum; ut nulla diphthongo id genus utitur: et *facilit* non *facilis* præfert. BARTH. Barthius igitur ex *desidie*, quod in codice reperiebat, fecit *desidii*, quod tamen vocabulum nullum est, nisi velis solitarium Spurinnæ existimare, pro *desidia* dictum, ut Calpurnius *discordium* pro discordiæ dixit, Ecl. I, 57. Hæc autem dubia lectio facit, ut subjectum orationis, eoque sensum certum, reperire nequeas. Si *desidii*, quod Barthius fecit, ad *Ingrati* referendum est, malim ego legere *dissidii*, ut subjectum orationis sit *caput trepidum*, h. e. trepidi, timidi hominis, hoc sensu: *Qui timidus* natura est, ille semper dissidet secum, et quasi nebula circumfusus hæret, ut, quid factu opus sit, non videat: id vero ingratum est cordatis hominibus. Sed fere planius ad sensum esse videtur, si *nebulæ desidiæ* legamus, et conjungamus *Ingrati* hominis *caput trepidum*. Et videtur poeta hac strophe ingratos reprehendere, quod plerumque desidia et ignavia peccent adversis in casibus amicorum, ut eos deserant et destituant: vel desidiam esse docet, quæ ingratos et bonorum desertores faciat. Contra altera in strophe tenaces fidei dicit sæpe nimia constantia, aut potius contumacia peccare, quum cedere aliquantum adversis et fugere nesciant, et furere ultra fata et necessitatem velint.—*Nebulæ* tribuuntur desidiæ, ut somni vel soporis simili, cujus pigritiam et obscuritatem nubis imagine exprimunt poetæ; ut Val. Flaccus, VIII, 81, « primi percussus nube soporis », ad quem locum plura dedit Burmannus; et Claud. de R. P. I, 81, de Plutone: « caput mœstissima nubes Asperat ». —Nubis imagine, caput obtegentis, errorem et superstitionem Romæ pingit Prudentius in Symm. lib. I, v. 419: « Sed nebulis propter volitantibus obsitus alti Verticis horret apex ». Et v. 423: « Obscuras video tibi circumferrier umbras ». ED.

2. *Sors nimia in probos*. Fortuna, quæ sæpe infesta et gravis est probis, facile permittit, ut eos alii contra jus fasque lædere audeant. Tu vero persta, et animum ne desponde. *Nimia in probos*, severa, ferox, insolens, est e lectiore latinitate argenteæ ætatis. Tacit. Hist. IV, 23, 4: « Præferoces ingenio, et rebus secundis nimii ». Vell. lib. II, 32: « jam nimius reipublicæ ». Et apud Vopiscum Aurel. c. 8. Valerianus de severitate Aureliani: « Nimius est, multus est, gravis est, et ad nostra jam non facit tempora. »

Incestis facilis annuit ausibus.
Sta contra assiduo pede.
Multum turba tenax * fidei
Ultra fata furit, non docilis fugæ
* desider * * præmio
* * *

Cætera desunt.

3. *Incesti ausus* sunt, qui pietatem et summa jura lædunt.

4. *Sta contra*. Sic supra in Elegiis, X, 4: « Spes stat in extremis officiosa malis ». — *Stare contra* est obsistere et immoto gradu fortiter dimicare, non referre. Persius, Sat. V, vs. 96: « Stat ratio contra »; et Martial. I, 54, 12: « Stat contra dicitque tibi tua pagina, fur es ». Similiter apud Livium, XXII, 39, Fabius Paulum Æmilium monet, *ut adversus famam rumoresque hominum satis firmus stet*. Ed.

5. Hæc nec supplere audeo, nec ad sensum interpretari. Appono tantum, si forte queam, Senecæ de Tranq. an. cap. 4, quorum simile aliquid hoc loco dictum esse suspicor, quæque et aliis Spurinnæ locis affundere lucem possint: « Quorumdam parum idonea est verecundia rebus civilibus, quæ primam frontem desiderant; quorumdam contumacia non facit ad aulam: quidam non habent iram in potestate; et illos ad temeraria verba quælibet indignatio effert: quidam urbanitatem nesciunt continere, nec periculosis abstinent salibus. Omnibus his utilior negotio quies est: ferox impatiensque natura irritamenta nocituræ libertatis evitet ».

6. *Non docilis fugæ*, quæ nescit apte sese subducere, quum opus sit, et nimio *desiderio* quæsita *præmia* obtinere nequit. Quem sensum ex mutilis vestigiis, qua possum, arripio; nam *furit* apparet hujus turbæ reprehensionem continere, et *ultra fata furere* idem valet atque se necessitati submittere non velle. Eodem sensu *docilis* arripitur. Horat. Carm. I, 1, 18: « Indocilis pauperiem pati ». Ed.

CASP. BARTHII

AD

VESTRITIUM SPURINNAM

PRIORIS EDITIONIS NOTÆ.

Vesprucium. Quis hic auctor fuerit, qua ætate vixerit, ego minime omnium scio. Christianum fuisse arguit inscriptio membranarum *de Contemtu Seculi.* Nisi ea tamen monachi alicujus librarii, penes quos diu potestas fuit ex Christianis ethnicos, ex ethnicis Christianos scriptores facere. Veterem esse omnino stylus arguit cultior, quam pro media ætate, et græcismis scateus, unde recentem esse minime concesserim. Unum mihi mirum, Georgium Fabricium, qui et alias sæpe, et tum præcipue, quum Poetarum Christianorum Opus publicaret, eam Bibliothecam excussit, unde nos ista accepimus, hæc manu scripta opera situ non vindicasse, quum diligentissimus alioqui antiquitatis rimator esset. Sed, ut fuit homo minime malus, offendisse ipsum puto *Pervigilii* Venerei salacitatem, quod eodem in opere scriptum est; quamvis multis versibus decurtatum in fronte et fine. Quidquid aliarum rerum est, certe ob memoriam hujus poetæ restitutam æternum nobis literati debebunt. De ætate aut persona, ut loquimur ruri, indagare nihil possum: cogitent eruditi.

Seculi. Notissimum dixisse *seculum* scriptores Christianos ævum istud, quod in terra degimus, votis cælestia inhiantes. Hinc apparet, vel ipsum poetam, vel ejus descriptorem veræ fidei addictum fuisse.

Ad Martium. Ex versu primæ odæ secundo facile conjectare possumus, nomen hoc corruptum esse. Fortassis scribendum *Marium.* Sed in tantis tenebris pronuntiare certi quid non valemus.

ODA I.

1. *Dulceis.* Condimentum Socraticæ venustatis dicit. Nam ridibundus pleraque is Philosophus docebat, omnesque ejus ad Platonem et Xenophontem disputationes suavem quamdam ironiam præferunt: ut ex suavitate illa loquendi, et argutiis interrogandi captiosis caussam ceperint Arnobius et Lactantius Socratem *Atticum scurram* appellandi. Igitur etiam ad carmen animum applicans Vesprucius noster serias illas disputationes *jocos*

appellavit. Poemata sua *nugas* vocant Sidon. et Auson. Ausonius eo insuper loco, quo ait, se *seria dulcibus miscere*.

— *Dulceis*. Philosophicum odarum argumentum. *Suavitas* enim summa in sapientia. Lucretius: « Nil suavius est bene quam monita tenere Edita doctrina sapientum templa serena ». Virgilius de Epicureismo: « Cecropius suaves exspirans hortulus auras ». Cicero multis locis, et alii Sophi. — *Jocos*. Videtur idem propositum huic poetæ fuisse, quod Horatio, qui ita locos ex media Philosophia petitos tractavit, ut jocando penetrare eos cogeret aures audientum. Idem voluit his odis Vesprucius. — MS *joca* non *jocos* habet; sed quod nemo non videat esse mendosum. Indicare tamen placuit, ut curiosis satis fiat.

2. *Domus*. Quasi familiam, quam Socraticæ opinionis sapientes faciant, ad posteros descendentem.

3. *Marti*. Versus clamat rescribendum Mari.

4. *Bilibus*. Suspicor scribend. *mobilibus*. Ut Hor. I, od. 1, *mobiles Quirites* appellat. Sed et vox *viris* suspecta est, vulgaritatem nimirum olens; præsertim quum postea Juventutem nominet. Porro contemptum præconiorum a vulgo, tamquam legitimus Philosophus præ se fert. Eo pertinet hoc Ciceronis pro Murena: « De omni studio favoris publici dictum putes. Totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. Nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, etc. » Idem pro Domo sua: « quod in imperita multitudine est vitiosissimum, varietas et inconstantia, et crebra tamquam tempestatum, sic sententiarum commutatio ». Ut recte *mobilem vulgum* dicat Vesprucius. Quo pertinet hoc ejusdem Ciceronis pro Planco: « Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia ». Et Senecæ epistola LXXII, « omnia vulgi citro ultroque fluunt ». Seneca alter eleganter Hercule furente:

> Illum populi favor attonitum,
> Fluctuque magis mobile vulgus,
> Aura tumidum volvit inani.

De gloriæ contemptu, quem hic Spurinna circumloquitur, vide M. Antoninum libro IV τῶν εἰς ἑαυτόν· Boethium, de Consolat. Philos. lib. II, cap. 7, et alios.

6. *Florem*. Florem vocat ἀκμὴν ætatis. Apuleius: « Ætatis florem floribus nt decores ». Ita et Curtius, lib. VII. — *Tepidum* vero uimis quam eleganter, qui neque caloris, ut vir, neque frigoris, ut senex, imperio regatur; sed facile et incalescat, et refrigescat: αἱ γὰρ τῶν νέων ἐπιθυμίαι ταχεῖαι καὶ αὗται πολλάκις ἑαυταῖς ἐναντίαι, ait suavissimus nugonum Aristænetus. Sic *tepentem adfectum*, aut amicitiam, pro mobili, nescio quis scriptor dixit. Cæterum non displicet amici conjectura, qui quum me ex membra-

nis ista describentem offendisset, subjecit, *Soli* non solam sapientiam significare, sed vero Solem illum cælestem: ut *Solem sapientiæ* dicat, cui senium post decursam instabilem ætatem dedicetur. Quamvis videatur. acumen hic deducere veritatem sententiæ, in lance quasi oppositam.

8. *Mentis*. Senium mentis (eo enim referendum putamus) Epicureos dicit sequutus, qui quum animum hominis mortalem probare satagunt, crescere eum et confici una aiunt cum corpore. Vide Lucretium. In MS libro nulla distinctio est, nec ullus ordo versiculorum, sed omnia uno quasi protelo descripta; ut non parum laboraverimus in versuum lege expediunda: ita hic non liquet satis clare, sitne *senium* ad *mentem* applicandum; an vero ad aliud vocabulum. — *Compositæ*. Præceptis Sapientiæ exsutæ a feritate adfectuum lancinantium. Sic Sen. Consol. ad Helv. cap. XVI: « qui rationi cessit, in perpetuum componitur ». B. Hieronymus in Joanne Monacho: « vitia et passiones resecent ex animo suo, moresque componant ». Quæ duo loca et ad Virgilii Cirin notavimus. — *Arduis*. MS *qualis adarduus*: ita ut unum verbum visum sit librario. Simplici ductu nos hanc lectionem eruimus. Acutiores vero non pepercisset ingeniosius quid extricare. Sed tanti non est horas perdere.

9. *Ad se*. Quietem intelligit Philosophis omnibus adfectatam. Claudian. Panegyrico Manlii. Eam post turbas negotiorum omnes magni Ductores et magistratuum potentes apud priscos sequuti. Quorum nemo fere non senium suum in secessu aliquo quieto consumpsit. Conjicere hinc licet, Spurinnam hunc magnatem aliquem fuisse, et optimam ætatem ambitione negotiorum contrivisse, senectutem otio et literis dedicasse. Tales fuerunt plerique eruditorum, Silius Italicus, Pomponius Atticus, L. Sulla, Lucullus, aliique, quos nominare longum.

10. *Pa**. Non dubium scribi oportere *patriæ*. Ut post ambitiosam vitam Reipublicæque studium, tandem et sibi consulere sese dicat.

11. *Orba lucro*. Ita scripsimus, quum in membranis exstaret *orba lcō gra**. Unde an quid concinnius extundi possit, alii viderint oculatiores. *Grave lucrum* vocat, quia plenum molestiis, et laboribus scatens Reip. studium. De *gravis* vocabuli hac significatione vide Commentarium ad Claudianum. Porro vocem *Ambitio* fucato, aut tale quid, præcedere debet: in membranis locus vocis corrosus est. *(Reliqua persequi otium non fuit.)*

T. S. BAYERI

ADNOT. AD VESTRITIUM SPURINNAM.

Vestritii. In MS Martispurgensi : *Incipit Vesprucius Spurinna de contemtu seculi ad Martium.* De Vesprutio sive potius Vestritio satis diximus. Barthius has odas pingue quiddam et eruditum souare judicavit : at ille, ut de Pane dicebat caprarius, ἐντίγε πικρὸς, καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Primum in titulo aliquid barbari deprehendere sibi est visus, quum *sæculum* more majorum nostrorum, sanctorum hominum, dicatur, *quod vivimus ævi ;* addit astute, *votis cælestia anhelantes ;* sed nihil ad rem. *Sæculum* ætate Vestritii dixere, ut *ævum* et αἰῶνα. Late patuit istarum vis vocum ; nam *ævum,* ut Censorinus, de Die Natali, c. 16, *tempus immensum sine origine et fine,* ut Varro de Ling. Lat. p. 45, ed. Scal. *ætas omnium annorum.* Tamen etiam arctisssimo spatio, vitæ decursum ævum dixere, ut Lucretius, l. II, v. 16 :

quantisque periclis
Degitur hoc ævi quodcumque est ?

Sic αἰῶνα Homerus, Odyss. E, 151 :

οὐδέ ποτ' ὄσσε
Δακρυόφιν τέρσοντο, κατείβετο δὲ γλυκὺς αἰών.

Loca sunt in eo alia pæne infinita. Eustathius ad istum locum interpretatur τὴν ζωὴν, ἢ φθίνει τοῖς μακροῖς θρήνοις, sic scholia minora quoque. Solon apud Herodotum l. c. c. 32, τελευτήσαντα καλῶς τὸν αἰῶνα. Ita *sæculum* non modo centum annorum ævitatem dicebant, sed etiam suam quisque ætatem et suorum æqualium. Cicero in Paradoxis : « ego etiam in hujus sæculi errore versor », et alibi « insolentia hujus sæculi ». Post id dici cœptum est non, ut oratorem delectavit, *hoc sæculum,* sed duntaxat, *sæculum.* Plinius ad hunc ipsum Spurinnam l. V, ep. 17 : « Faveo sæculo, ne sit sterile et effetum », et ad Cornel. Tacitum, l. VII, ep. 33 : « Divus Nerva non mihi solum, sed etiam sæculo gratulatus est, cui exemplum simile antiquis contigisset ». Tacitus ipse, Hist. l. II, c. 37 : « Paullinum non sperasse corruptissimo sæculo tantam vulgi moderationem ». In nummis frequens : SECVLVM FRVGIFERVM. SECVLVM FOECVNDVM.

Igitur de *sæculo* Barthii accusatio nihili est; at totum isthuc *de contemtu sæculi,* non item vetustatem et Vestritium sapit : est igitur totum hoc librarii Christiani.

ODE I.

2. *Seras Socraticæ. Domus Socratica* Horatio, Carm. I, 29, 14, philosophia Socratis et disciplina :

> Quum tu coemptos undique nobiles
> Libros Panæti, Socraticam et domum,
> Mutare loricis Iberis,
> Pollicitus meliora, tendis.

At Vestritius non philosophiam respicit, verum Socratis festivam in dicendo cavillationem, quam et domus ejus, omnes Socraticæ scholæ philosophi consectati sunt, cum tota ejus μαιευτικῇ, nemo tamen excellentius Platone. Erant joci liberales, digni philosophiæ gravitate. Post id, credo, certi homines spurcitiem omnem, levandæ caussa invidiæ, Socraticos jocos dixere. Ita εὐτραπελίαν Aristotelis ætate Græci dicebant vitæ genus plenum officiis, gratia, comitate, verbis quodam sale conditis, oris corporisque motu ad omnem honestatem et humanitatem composito. At M. Tullii temporibus, ut solent virtutum et bonestarum rerum nomina turpiculis prætexi, adeo nihil casti et decori ἐν εὐτραπελίᾳ et in *urbanitate* esse videbatur, ut Volumnius et Papirius Pætus vel ea caussa εὐτράπελοι haberentur, quod essent spurcissimi; Pætus adeo, ut eum Cicero reprimeret, lib. IX, ep. 22: *amo verecundiam.* Et iterum eximius orator: *servo et servabo Platonis verecundiam.* Adi, lib. VII, ep. 32. Octavius Minucii Felicis, c. 28: *apud vos tota impudicitia vocatur urbanitas.* Paullus Apostolus ad Ephes. V, 4: αἰσχρότης καὶ μωρολογία ἢ εὐτραπελία, quo loco εὐτραπελία, ut tum in ore vulgi erat, utrumque comprehendit et αἰσχρότητα et μωρολογίαν, cui opponit εὐχαριστίαν s. *comitatem*, qualem, c. IV, v. 29, descripsit, λογὸν ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι. Vestritius, ut ejus mores in Neronis et Othonis contubernio fuisse comperimus, obscœni oris fetores *Socraticæ domus reliquias* dixit, *seras* vero, quum tempus perpetui ævi inde a Socrate metiretur, a quo essent quasi ductæ.

4. *Contemnit placitas. Reliquias placitas*, quæ placuere et placent. Virgilius, Æneid. lib. IV, versu 38: « placitone etiam pugnabis amori? » In Ciri: « et placitum paucis ausa est adscendere collem ». — *Nobilibus viris.* In MS ** *bilibus* : ergo Barthius *mobilibus* : malo *nobilibus*, ut dicat *nobiles* philosophos Socraticæ domus eo modo, quo Horatius *nobiles libros Panæti*. Etiam apud Rutilium Numatianum Barthius scribi maluit:

> Factus et Alcides mobilitate Deus.

Almeloveenius *ferocitate*. Nihil opus est his tumultibus, bene habet *nobilitate*. Paullo post is ipse Rutilius:

> Nobilis ad summas gloria venit opes.

De hac nobilitate Herculis considera Pindarum in Nemeis Ode A, et Tzetzen ad Lycophronem, vs. 33, 39.

5. *Soli.* Est, ut vides, a *solo*, quod non notarem, nisi Barthius a *sole* maluisset.

6. *Post florem.* Ego ita distinxi, quæ a Barthio confusa erant. — *Tepidum*, quo sensu prætextatum est Horatio, Ode IV, 19:

quo calet juventus
Nunc omnis, et mox virgines tepebunt.

Etiam *adolescentes tepidos* dixere Romani, propter ætatem lasciviæ obnoxiam; *non stabilem gradum*, proclivem in vita. Et *florem* Vestritius, ut *ver* Catullus ad Manlium:

Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
Jucundum quum ætas florida ver ageret,
Multa satis lusi.

Instabili et tepido gradui adolescentiæ *senium mentis compositæ* opponitur. Seneca, ep. II: « Primum argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere et secum morari: ista lectio multorum auctorum habet aliquid vagum et instabile ». Anicius Boethius, initio Consolationis philosophicæ: « Qui cecidit, stabili non erat ille gradu ». Idem l. c. metro IV:

Quisquis composito serenus ævo
Fatum sub pedibus dedit superbum.

8. *Ab arduis. Mens ab ard. laboribus ad se versa*, quod otium erat honestum atque liberale rei publicæ muneribus defuncto. Sallustius, principio Catilinariæ historiæ: « ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi reliquam ætatem a republ. procul habendam decrevi ».

10. *Dat patriæ.* Sine dubio sic, quum in MS esset, *det pa* **.

11. *Orba lucro.* Lucro ait mentem carere, quod molestiam et fastidium contineat: Terent. in Heautont. Act. IV, Sc. IV, v. 25: *næ ille haud scit, paullum lucri quantum ei damni apportet.*

12. *Quum non ambitio.* Erat in MS ** *ambitio tegmine candida.* Credidi initio, *tegmine candido* esse *capite operto canis*, qua quis ætate non ultra honores ambiat, ut apud Virg. Tityrus: « Candidior postquam tondenti barba cadebat ». Malim vero nunc *ambitionem tegmine candidam.* Respicit non modo candidatos priscos, sed etiam ambitionis speciem externam, lætam illam quidem, at cum interiore molestia conjunctam; candidam, splendentem et lætam, ut Catull. *candidos soles.*—Ambitio illudit *gravidæ spei.* Gravida, quod spes alia nascatur ex alia, et subinde nos recreet: habet enim Ψεύδεα θ' αἱμυλίους τε λόγους in pectore: tandem sæpe atque multum ab ambitione atque spe illusus animus, rebus quas speraverat partis, neque expletus tamen, isthuc Ajacis Sophoclei ingemiscit, ὤ μοι γέλωτος, οἷον ὑβρίσθην ἄρα.

14. *Pelagus*. Res dicit gestas et munera rei publicæ plena procellis et periculis, ut alia in re Horatius, Carm. I, 5, 13:

> ....me tabula sacer
> Votiva paries indicat humida
> Suspendisse potenti
> Vestimenta maris Deo.

Archilochus apud Cedrenum, p. 792, senectuti ait συμφέρειν τὴν ἀπραγμοσύνην.

15. *Quidquid viximus*. Prudentius venuste in princip. præfationis,

> Per quinquennia jam decem,
> Ni fallor, fuimus........
> Instat terminus, et diem
> Vicinum senio jam Deus applicat.

Et post paullo:

> Quum jam quidquid id est, quod fueram, mors aboleverit.

16. *Ætas quem decies sept. dividit*. Decies septima ætas ab anno septuagesimo decurrens ita me in dies suos et annos dividit, ut quæque dies illo in spatio quamdam mei partem decerptura sit. — *Dividit*, ut apud Martial. l. X, 10:

> Divisit nostras purpura vestra togas.

Malo enim *divisit*, quam Gruterianum *dimisit*, quod MS Berolinense quoque habet. Tua, inquit, purpura nostras togas exuit, et nemine in partem admisso rapuit sola omnes. Id eo dicit, quod Paullus homo nobilis, potens et locuples, humillima quæque officia ita accurate obiret, ut nulli quidquam concederet.

17. *An leves*. Etiam Horatius, Carm. I, 15, v. 35, in choriambico trimetro choreum posuit:

> Post certas hiemes uret Achaicus
> *Ignis* Iliacas domos.

Tibullus, lib. I, El. I, v. 85:

> Jam subrepet iners ætas, nec amare decebit,
> Dicere nec cano blanditias capite.

Olympius Nemesianus (1), Ecl. I, 9:

> Hos annos, canamque meam, mihi care, senectam
> Tu juvenis, carusque Deis, in carmina cogis?
> Viximus, et calamis versus cantavimus olim,
> Dum secura hilares ætas ludebat amores:
> Nunc album caput, et Veneres tepuere sub annis.

19. *Surdis auriculis*. Meis, quæ jam obriguere ad voluptates.

(1) Nostra vero opinione Calpurn. Ecl. VIII, v. 9. Vid. hujus edit. t. I, part. 2, pag. 530. Ed.

20. *Quisquis decrepiti.* Hæc ita restitui, quum esset e MS editum a Barth.

Quisquis decrepiti corporis est reus,
Sat sese eloquii probat.
Si ser * placidi jura silentii.

Reus eloquii, ut apud Tullium, « Milo reus præclari facti ». Levis est trajectio: *senex, quum reus est eloquentiæ, sat sese probat*, sive, *se purgat et aliis satisfacit.* Cæterum, ut ait Horatius, Carm. III, 2, 25:

Est et fideli tuta silentio
Merces.

Quem versum seu Augustus Horatio sive Horatius Augusto Cæsari debuit: est enim apud Plutarchum in Apophthegmatis Augusti ad Athenodorum: ἐςὶ καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας. Euripides in Oreste, v. 639:

ἔστι δ' οὗ σιγὴ λόγου
Κρείσσων γένοιτ' ἄν· ἔστι δ' οὗ σιγῆς λόγος.

Tacitus, de Afro oratore, Annal. l. IV, c. 52: « prosperiore eloquentiæ, quam morum, fama fuit: nisi quod ætas extrema multum etiam eloquentiæ dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam ».

23. *Si patrocinium otii.* Censeo ἀπὸ κοινοῦ, *servet*, ut in priore *servet jura.*

24. *Hoc.* Ab hoc vitæ genere mea senectus, non tamen sponte sua abstitit. *(Cæteris mederi non possum.)*

ODE II.

1. *Fave.* Verbum solenne multum gratiæ hoc loco habet. Tibull. *Phœbe fave*; Naso, *Vesta fave*; Virgilius, *Lucina fave.* Iambus ut in illo Catulli carmine sæculari:

Dianæ sumus in fide
Puellæ et pueri integri.

— *Sancta Deum s.* Græcorum imitatione θεογενὴς, διογενὴς Diis genita, quod et ipsi pauperes essent Dii, præsertim, ut cavillatur Aristophan. in Pluto, v. 540, Jupiter. Ælianus Eustathium in Periegeten, v. 453, aras Paupertati dedicatas commemorat, sicuti apud Athenæum Callisthenes tradit, Lacedæmone Famis simulacrum juxta solium Apollinis consecratum fuisse. At hi ut pestem colebant, ita et paupertatem et famem, ne noceret. Spurinna ut Socratica e domo tamquam beneficium Deorum respicit; erat enim tota domus illa araneis plena. Aristophanes in Nubibus, v. 101, μεριμνοφροντιςὰς, ὠχριῶντας, ἀνυποδήτους vocat Socraticos, et ubique illuviem sordesque familiæ objicit. Deinde Socratis exemplo philosophi in commendanda paupertate multi fuere, ut sunt in ea quædam vitæ commoda, nisi si esurias et plores, quod non pauperis est, sed mendici. Theocritus in Ἁλιεῦσιν,

Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει,
Αὐτὰ τῶ μόχθοιο διδάσκαλος.
Paupertas, Diophante, sola artes excitat,
Ipsa miseri magistra.

3. *Tecum si sapias tibi.* Si tuis contenta bonis a cupiditatibus abstineas. Aristophanes in Pluto, v. 551:

> Πτωχοῦ μὲν γὰρ βίος, ζῆν ἔστι μηδὲν ἔχοντα,
> Τοῦ δὲ πένητος, ζῆν φειδόμενον καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα,
> Περιγίγνεσθαι δ' αὐτῷ μηδὲν, μὴ μέντοι μηδ' ἐπιλείπειν.

> Mendici vita est, nihil habentem vivere,
> At pauperis vita, vivere parce et rebus suis vacare,
> Nihil ut supersit ipsi, nihil vero etiam ut desit.

4, 5. *Vitæ magnificis hospes honoribus absolvens numerum tuæ.* In MS *Ulta,* inde Barthius, *Ultra.* Hoc quidem nihil est. Scripsisse puto Spurinnam, ut nos edidimus:

> Magnificis hospes honoribus,

vitam peragens alienus ab honoribus et ambitione.

7. *Lautis nuda.* In MS *unda.* Recordare *lautos tumultus* in domo Euclionis apud Plautum in Aulularia.

8. *Ambit se patria fertilis in domo.* MS *patriæ.* Se ipsam sordida ob paupertatem quies ambit et amplectitur, se contenta est ipsa, ut apud illum Horatianum colonum, qui paterna rura colebat, Epodon II.

> Beatus ille, qui procul negotiis,
> Ut prisca gens mortalium,
> Paterna rura bobus exercet suis,
> Solutus omni fenore.

9. *Nullis vendita plausibus.* Sic Barthius, quum esset in MS *vendibilis.* Corrumpi se non sinit a populi assentationibus. Euclio Plautinus: « Nemini credo, qui large blandu'st dives pauperi ».

10. *Contemptrix queruli mag. animo fori.* In MS *magnanima.* Si te isthuc *magnanima* metri caussa offendit, lege *magno animo.* At Boethius tamen etiam tribrachyn recepit, de Consolatione philosophica, l. IV, metro III, v. 14:

> Flere dum parat, ululat.

Sed hoc perquam insolens.

12. *Furtivis.* Clandestinis procerum cruciatibus, quippe qui cum suis cupiditatibus, et cum aliorum invidia, criminationibus, occultis insidiis, mille incommodis aliis conflictantur.

14. *Mater.* Quem Paupertas inopi in domo natum sibi vindicavit, proprium tota vita, quem instituit et formavit sibi, μόνη ἀγαθῶν ἁπάντων οὖσα αἰτία, ut Comicus ait.

15. *Regina.* Ut Comicus in Pluto δέσποινα. Quem Paupertas velut mater et simul regina suo sub imperio tenet. Regina et domina, amantium voces.

16. *Non illum tumidis fascibus.* Barthius e MS *illum** *fascibus.* Sublimem magistratibus et muneribus rei publicæ.

17. *Nobilitas.* Nobilitas *curarum*, nobiles curæ, magistratnum curæ. Et *facilem fluctibus*, expositum fluctibus, perienlis. Est enim *facilis* Maroni, traetabilis, mobilis.

20. *Suis Orbum sideribus.* Ductum a navigantibus, qui noctu Cynosuram suam respieiebant. Sidera paupertatis dicit sapientiam, temperantiam, humanarum rerum eontemptum; quibus qui orbatus sit, in eum quid sibi fortuna non permittit?

20. *Splendida nox.* Honores conjnncti eum obscuris periculis. — *Decor improbe cæcus*, iidem honores, in quibus insidiæ tectæ non sentiuntur. Seneca, in Octavia, v. 878:

bene paupertas
Humili tecto contenta latet;
Quatiunt altas sæpe procellæ
Aut evertit fortuna domos.

Hanc cantilenam Seneca perpetuo nobis insusurrat.

ODE III.

1. *Postquam.* Eum dicit, qui relictis et magistratibus et honoribus otio se tradit, sed minime liberali.

5. *In suo reperit. Reperit* sine dnbio, in MS *In suo reperit:* at si cui choreus non placet, legat *sicco*, quod etiam sensus postulat.

6. *Tumidis litore dentibus.* Barth. e MS *tumidis dentibus.* Etiam Virgilius *dentes* atque *morsus* aneboræ tribuit.

8. *Ni te.* Nisi te, sancta quies, philosophiæ studium ab desidia levet.

12. *Noctes et vigilans*, ete. In MS.

Nos * vigilans somnis * furor
Tortis liberat anguibus.

Si, inquit, vigilans furor noctes et somnia non librat tortis anguibus, si facinorum conscientia noctes et somnia non suis exagitat terroribus, tamen minor aliqua cura inerti semper molesta erit.

14. *Presso pede*, nt Horatius, Carm. I, 27, 8:

Et cubito remanete presso.

ODE IV.

2. *Circumstant. Neb. ingrati desidii circumstant.* Erat in MS *Circumstans.*

II.

P. PAPINII STATII

CARMEN LYRICUM,

AD

SEPTIMIUM SERENUM.

SILVARUM LIB. IV, 5.

ARGUMENTUM.

Septimium Serenum, equestris ordinis, amantem ruris et lyricæ poeseos studiosum, Papinius Statius, quasi imitaturus, carmine lyrico salutat e prædio suo Albano, quo donatus a Domitiano erat. Principio veris adventum pingit, qui eum forte in rus invitaverat, paupertatem et solitudinem villæ suæ describit, quam tamen hoc magis sibi dilectam ostendit, quod in certamine poetarum Albano aurea corona a Cæsare donatus sit. In quo certamine quoniam favorem et studium singulare sodalis sui Septimii expertus erat, hinc in laudes ejus descendit, maxime quod peregre natus in Libya, tamen sermonem, habitum moresque Romanos teneat, eloquentiam cum probitate et pacis studio conjunctam colat, et libenter soleat ruri in prædiis paternis, otii quietisque amans, studiis literarum et Musis vacare.

PARVI beatus ruris honoribus,
Qua Prisca Teucros Alba colit lares,
Fortem atque facundum Serenum
Non solitis fidibus saluto.

Jam trux ad Arctos Parrhasias hiems
Concessit altis obruta solibus:
Jam pontus ac tellus renident,
Jam Zephyris Aquilo refractus.

Nunc cuncta veris frondibus annuis

1. *Honoribus.* Fallitur Calderinus, qui *honorem* muneris significari putat, quod Domitianus Statio hoc prædium donaverat. Vid. Silv. III, 1, 61 : nec multo aliter sentit Gronov. Diatr. c. 44. Sane *honorem* donati ruris prædicare velle, et idem *parvum* dicere, ineptum et fere idem fuerit, quod Martial. XI, epigr. 18, homini exiguum sibi rus donanti exprobrat. *Honores ruris* sunt proventus et fructus ejus, ut apud Hor. I, 17, 16 : « Copia ruris honorum opulenta cornu ». Igitur *beatus* interpretandum est, qui contentus sum, satis me felicem puto parvi ruris opibus. Sic idem Horat. Carm. II, 18, 14 : « Satis beatus unicis Sabinis » ; et Mart. I, 56, 7 : exuviis nemoris rurisque beato ».

2. *Teucros lares*, Vestam et Palladium, sacra Trojana, quæ translata Albam Longam, a Trojanis primum conditam, ferebantur. Hinc *Dardania*, *Iliaca*, *Palladia* Alba vocatur a poetis. Tib. I, 7, 57 : « quem Tuscula tellus, Candidaque antiquo detinet Alba lare ». Disertius Lucan. IX, 991 : « Dii... quos nunc Lavinia sedes Servat, et Alba Lares, etc. »

4. *Non solitis fidibus* : carmine lyrico, quo alias uti nondum soleo.

5. *Arctos Parrhasias* Ursa major et minor, sidera borealia. *Parrhasiæ virginis gelidum axem* nominat Ovid. Trist. II, 190, quia Calisto, ex Arcadia, in ursam mutata a Jove, et in Septemtrione locata.

6. Ad axem borealem *concessit* hiems, quia hic locus perpetui frigoris habetur poetis : *obruta*, victa et oppressa, *altis solibus*, solis per signa altiora euntis calore. Similiter Virg. G. IV, 51 : « ubi pulsam hiemem Sol aureus egit Sub terras, cælumque æstiva luce reclusit ».

7. *Renident*, resplendent serenitate aeris et fulgore solis. Similiter Lucretius initio : « Tibi rident æquora ponti ».

8. *Jam Zephyris Aquilo.* Idem quod Pentadius, eleg. II : « Sentio fugit hiems, Zephyrisque moventibus orbem Jam tepet Eurus aquis ». — *Refractus* pro simplici *fractus*, i. e. mitigatus et mollitus, vel victus. Sic ipse Statius, Silv. IV, 6, 67 : « Seu clausam magna Babylona refregerat hasta ». Cf. Horat. Carm. III, 3, 27 ; Propert. III, 3, 44.

9. *Nunc cuncta veris.* Plane otiosum aut ineptum esse videtur *veris*,

Crinitur arbos, nunc volucrum novi
Questus, inexpertumque carmen,
Quod tacita statuere bruma.

Nos parca tellus, pervigil et focus,
Culmenque multo lumine sordidum
Solantur, exemptusque testa,
Qua modo ferbuerat, Lyæus.

sive *frondes annuæ*, sive *arbor veris* dicatur. Puto scriptum a Papinio esse *Nunc cuncta ruris... arbor*; idque probabilius, quam quod Marklandus vult, *vernans* arbor.

10. *Crinitur,* induitur frondibus, quæ comæ arborum : *crinitos agros,* ubi seges est, dicit Prudent. in Symm. II, 934. Verbum *criniri* rarum, et fortasse unius Statii est. Vid. Theb. IV, 217.

12. *Statuere* Barthius exponit meditatæ sunt, composuere. At aves hieme non meditantur carmen, mutæ sunt, *tacita*, ut poeta ait, *bruma*. Contra meditatio actus est et exercitatio, et, quæ ipsi meditamur, *movere* et *volvere* animo dicimur. Itaque *statuere carmen* est potius sistere, inhibere, intermittere. Ut *statuere aquas errantes* dixit Arnob. lib. I, et ut stare aqua, gelu concreta, dicitur, ita et avis dici potest hieme vocem liquidam statuere. Quod luculentius expressit Venantius Fortun. in Carm. Paschali : « Ad cantus revocatur avis, quæ carmine clauso Pigrior, hiberno tempore muta fuit ».

13. *Pervigil focus* est perpetuo lucens, qualem vult Tibull. I, 1, 6 : « Dum meus assiduo luceat igne focus », et Martialis *focum perennem* vocat X, 47, 4. *Vigil flamma*, *vigil lucerna* est ardens, Ovid. Trist. IV, 5, 4; Horat. Carm. III, 8, 14; ut contra *dormitans* lucerna, deficiens, Ovid. Her. XIX, 195. *Pervigil* igitur, quæ totam diem vel noctem ardet, nunquam deficit. Similiter, ut *vivæ lucernæ* dicuntur Horat. Carm. III, 21, 23; ita et *occidentes*, Petronio, c. 22.

14. *Culmenque multo lumine sordidum*, fumo ignis, et fuligine lucernarum : *culmen* autem sordidum dicitur, quia Veterum culinæ, maxime in villis, erant in superiore domus parte, sub culmine, ut patet ex Horat. Serm. I, 5, 73, et Virg. Ecl. I, 83. Ad sententiam Statii etiam Martial. II, 90 : *Me focus et nigros non indignantia fumos Tecta juvant.*

16. *Qua modo.* Sic edit. Ald. Gryph. 1559, Bernart. Barth. Gron. Veenh. sed Cruceus dedit *Qui modo*. *Exemptus testa Lyæus, qua modo ferbuerat*, est vinum admodum recens et vile, quo non utuntur, nisi tenuis fortunæ homines, qui vinum condere, et in multam vetustatem servare non possunt. Vid. Varr. R. R. I, 65. *Testa* igitur est dolium, in quo fervebat mustum conditum, ut fieret vinum. Hinc Seneca, epist. XXXVI : « Vinum non patitur ætatem, quod in dolio placuit ».

Non mille balant lanigeri greges,
Nec vacca dulci mugit adultero:
Unique, si quando, canenti
Mutus ager domino reclamat.

Sed terra primis post patriam mihi
Dilecta curis, huic mea carmina
Regina bellorum virago
Cæsareo peraravit auro.

Quum tu sodalis dulce periculum
Connisus omni pectore tolleres,
Ut Castor ad cunctos tremebat
Bebryciæ strepitus arenæ.

18. *Nec vacca dulci.* Quod alias in pascuis frequentibus signum veris est, ut refert Pentadius, Eleg. II, 13: « Per cava saxa sonat pecudum mugitibus Echo ».

19. *Unique canenti.* Sic pastor apud Calpurn. XI, 41: « Solus cano, me sonat omnis Silva ».

20. *Mutus*, hic me offendit, nisi *hactenus mutus* intelligatur; et perplaceret, si codicum auctoritate firmaretur, *multus*, quod melius *uni canenti* opponitur. Cæterum voces illæ *multa* et *muta*, *multus* et *mutus* a librariis cum insigni sæpe elegantiæ detrimento confusæ sunt. En.

24. *Peraravit auro:* ita perfecit, ut coronæ aureæ præmium, quasi coronidem, adjiceret. Vide Excursum I ad hoc carmen, p. 425.

25. *Quum tu*, in eo nimirum certamine, quo de victoria contendebam.—*Dulce periculum*, experimentum illud ingenii mei, quo quidem dulce erat, sperare laudem et præmium, sed tamen et metus, ne amitterem; *dulce periculum* est ex Horat. Carm. III, 25, 18. In lyricis Statium videmus verba Horatii sectari.

26. *Omni pectore*, i. e. consilio, auctoritate, *tolleres*, sustentares, adjuvares, ne caderem. Conf. Silv. V, 3, 215 seqq. Hic poeta videtur indicare, Septimium fuisse e collegio Minervæ a Domitiano instituto, vel magisterio adeo functum esse agonis eo anno, quo Statius coronabatur; de quo vid. Suet. Domit. cap. 4.

27. *Ut Castor.* Talem sollicitudinem et metum fuisse refert Castoris, quum Pollucem fratrem cæstu pugnantem cum Amyco, rege Bebrycum, spectaret. Testatur Val. Flaccus, Argon. IV, 225: « Nudo steterat jam pectore Pollux, Quum pavor et gelidus defixit Castora sanguis ».

28. *Strepitum arenæ* intelligit sonitum cæstuum et plagarum, quem etiam Valer. Flaccus describit l. c. v. 282: « inflictaque late Terga sonant...Avia responsant gemitu juga ».

Tene in remotis Syrtibus avia
Leptis creavit? jam feret Indicas
Messes, odoratisque rara
Cinnama præripiet Sabæis.

Quis non in omni vertice Romuli
Reptasse dulcem Septimium putet?
Quis fonte Juturnæ relictis
Uberibus neget esse pastum?

Hæc mira virtus: protinus Ausonum
Portus, vadosæ nescius Africæ,

29. *In Syrtibus*. Leptis, urbs Africæ, sita inter duas Syrtes, Sidoniorum colonia.

30. *Jam feret Indicas*. Si te tam polito ingenio virum urbs barbara, Leptis, procreavit, opinor, potest etiam pretiosissimas silvas, solius Indiæ et Arabiæ proprias, proferre. Sic enim Virg. Georg. II, 116: « Sola India nigrum Fert ebenum, solis est turea virga Sabæis ».

33. *In omni vertice Romuli*, h. e. in ipsa Roma septicolli, vel in qualibet regione ipsius Romæ. — Conferri potest Juvenal. Sat. III, 84, ubi natum in ipsa Roma eodem modo describit: « Usque adeo nihil est, quod nostra infantia cælum Hausit Aventini, bacca nutrita Sabina ». Ed. — *Reptasse*, ut infantem. Sic Claud. III, Cons. Hon. 22: *Reptasti per scuta puer*; et IV Cons. Hon. 134: *Cretaque se jactat tenero reptata Tonanti*. Simili ratione Mart. XI, 53, Claudiam Rufinam, Britannam, et lib. XII, 21, Marcellam uxorem, gente Hispanam, sermone et moribus feminis Romanis simillimas prædicat.

35. *Quis fonte Juturnæ*. Quis neget te in media Urbe esse educatum. Nam Juturna, fons Latii saluberrimus, cui nomen a juvando inditum, ut ait Servius ad Æn. XII, 139, et unde Romanis mos erat aquam ad omnia sacrificia deferre, lacum habebat in foro Rom. ad quem templum Castoris et Poll. teste Ovid. Fast. I, 708; Lact. Inst. II, 7, 9: ædem habuit in campo Martio, teste Ovid. Fast. I, 462, et P. Victor. reg. IX. — *Relictis uberibus*, ut *matre relicta* ait Calpurn. VI, 51, h. e. a prima pueritia: *pastum* bene illustrat Marklandus loco Silii IV, 350: « Vitiferi sacro generatus vertice montis, Et Liris nutritus aquis ».

37. *Hæc mira virtus*. Nempe quam hactenus commemoravi, et quam habes a natura et ab incunabulis. Marklandus tamen legi posse existimat *Nec mira virtus: protenus Aus*. Nec est, quod miremur hanc in te virtutem: quippe *protenus*, statim ab infantia Italiam intrasti.

38. *Nescius Africæ*: quasi Africam patriam plane ignorares et infitiareris: *vadosæ* ineptum hoc loco

Intras, adoptatusque Tuscis
Gurgitibus puer innatasti.

Hic parvus inter pignora Curiæ,
Contentus arcto lumine purpuræ,
Crescis, sed immensos labores
Indole patricia sequutus.

Non sermo Pœnus, non habitus tibi;
Externa non mens; Italus, Italus:
Sunt Urbe, Romanisque turmis,
Qui Libyam deceant alumni.

epitheton putat cl. Marklandus, et rescribi jubet *dolosæ*. Sed rationem ejus epitheti non perspexit ille, qua Statius *vadosam Africam* opponit portui Tiberino, eaque oppositione significat, eum a sordibus et angustiis natalis soli pervenisse ad portum, ubi plenis velis invehi et terra potiri posset, quæ spatium vitæ et fructum daret; hinc addit *Intras*. Pro eo verbo Domitius, quia præcedente versu *nesciit*, non *nescius*, in suis libris offenderat, *lutras* rescribendum censuit, quas Græca voce sordidas aquas interpretatur. Sed vana hæc conjectura est, quæ et sermonem Papinii obscurat, et Grammaticæ adversa est. Nam Græca vox λοῦτρα tertio genere est, unde lutras non efficias.

40. *Innatasti Tuscis gurgitibus*, i. e. Tiberi: adolescentiam Septimii Romæ actam denotat, ut supra, v. 34, *reptasse* infantiam et pueritiam. Nam natare Tiberi inter consueta exercitia juventutis Romanæ. Horat. Carm. I, 8, 8, « Cur timet flavum Tiberim tangere », et lib. III, 7, 27, « Nec quisquam citus æque Tusco denatat alveo ».—Idem, Serm. II, 1, 17: « ter uncti Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto ». Ed.

41. *Inter pignora curiæ*, h. e. inter filios Senatorum, quum esset generis patricii, et posset lato clavo uti. Vide Excursum II ad hoc carmen, p. 432.

46. *Externa non mens*. Sic de Claudia Rufina Martial. XI, 53: « Claudia cæruleis quum sit Rufina Britannis Edita, quam Latiæ pectora gentis habet ».

48. *Qui Libyam deceant*. Parm. et Romana ed. antiqua habent *doceant*, quod Calderinus exponit, *qui alios Libycos possint erudire moribus Romanis et lingua*. Sed rectum est, quod pleræque edd. recentiores præferunt, *deceant*, hoc sensu: quod tu, gente Afer, tam Romanus es sermone et moribus, hoc eo mirandum est magis, quod contra inter Romanos sunt tam barbari, ut decere Libyam, vel digni esse Libya patria videantur. Marklandus quidem hoc *deceant* frigidum esse putat, et corrigi jubet: *Qui*

Est et frementi vox hilaris foro,
Venale sed non eloquium tibi;
Ensisque vagina quiescit,
Stringere ni jubeant amici.

Sed rura cordi sæpius, et quies,
Nunc in paternis sedibus, et solo
Veiente, nunc frondosa supra
Hernica, nunc Curibus vetustis.

Hic plura pones, vocibus et modis
Passim solutis; sed memor interim

Libyam decorant. Sed hoc alienum puto a mente auctoris.

49. *Vox hilaris*, officiosa, libera imperturbata: παῤῥησία. — *Frementi foro*, quod resonat vocibus caussidicorum, fremitu, indignatione, clamoribus coronæ. Spurinna ode II, 10, vocabat *forum querulum*. Marklandus scribendum putat *Est et frequenti vox habilis foro:* quod sane languidum est, et modica eloquentiæ laus *vox habilis foro:* gravior omnino *vox hilaris*, quæ nec fremente concione perturbetur. Similiter Ovid. Pont. IV, 4, 37: « Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore ».

50. *Venale eloquium*, quod descriptum vidimus supra inter minora Petronii carmina, Fragm. I.

51. *Ensisque vagina quiescit*, nec eloquentiæ tuæ vim unquam promis, nisi in periculo amicorum, non ut reos peragas, sed ut defendas. Vulgatum est, eloquentiam forensem armis, telis, Marti comparari. *Martem forensem* Ovidius vocat Pont. IV, 6, 29. Et de Imp. Caio Suetonius, cap. 53: « Peroraturus, stricturum se lucubrationis suæ telum, minabatur ». Sic Juvenalis, VII, 156, *sagittas* vocat oratorum argumenta.

54. *In paternis sedibus*. Prædia igitur et villas Septimius habebat in Italia a patre relictas. Pater igitur non Afer, ut filius, sed officium aut imperium gessit in Africa.

56. *Curibus vetustis*, in Sabinis. Cures oppidum Sabinorum.

57. *Hic plura pones*. Sic Ald. Gryph. Bernart. Barth. Gronovius ediderunt. Romana antiqua *ponis*. Gronovius tamen Observ. III, 16, legit *Hic plura panges*, et *modis passim solutis* accipit, ut apud Horat. Carm. IV, 2, 11, « numerisque fertur lege solutis ». Barthius exponit, vel oratione soluta, vel hexametro versu. Marklandus statuit pro *passim* legendum esse *passu*, ut *modi passu soluti* sint prosa oratio. Sed *passum* pro metro et pedibus dictum vix puto reperiri, et *voces passim solutæ* aperto sensu sunt sparsæ passim et sine lege positæ. Quomodo Statius, Silv. V, 3, 101: « sive orsa libebat Aoniis vincire modis,

Nostri, verecundo latentem
Barbiton ingemina sub antro.

seu voce soluta spargere ». Apuleius «passa verba, solutumque locutum» dicit in Flor. p. 231. — Tamen hoc Apuleii loco posset jure legi *sparsa verba*, nam insolitus magnopere videtur usus vocis *passa*, cum hoc significatu. Burm. ad Anthol. Lat. II, ep. 192, v. 165 : « Corpora cæsa virum passim disjecta cremantur », interpretatur *passim disjecta* hic et illic dispersa, sine ordine jacentia, ut Prudentius, Cathemer. Hymn. X, 61, « jacta cadavera passim ». Cæterum de usu vocis *sparsim* pro confuse, sine ordine, vid. Addenda ad Lotich. pag. 691 et 692, ibidemque notatis adde Rigalt. ad Martial. lib. VI, pag. 69; et hanc vocem sæpe confundi cum *sparsim* docebunt notæ clarissimi Burmanni ad Claudianum, Bell. Gild. vers. 126. Ed.

60. *Ingemina* dedit Gronovius, et qui eum sequuntur; sed antiquiores omnes *ingeminas*; pro quo Barthius mavult *ingemines*; ut sit per amicitiam velut præcipientis et injungentis suasio, simul cum narratione. Marklandus exponit: « Interim vero, memor sodalis et amici tui Statii, sume lyram, et mihi in hoc genere rescribas ». — *Barbiton* dicit Septimii *latere sub antro*, quod Septimius, ut opinor, jam carmina sua in lucem miserat, ac scribere desierat. Quo ab otio eum revocare Noster conatur, suadens ut lyram quam *verecundo*, i. e. modesto, *sub antro*, videlicet silentio Septimius condiderat, resonat ac iterum excitet. Ed.

EXCURSUS I

AD PAPIN. STATII LYR. AD SEPT. SER.

V. 22.

......huic mea carmina
Regina bellorum virago
Cæsareo peraravit auro.

Multum in hoc loco laborarunt interpretes Statii, et partim corruptum suspicantes, deseruerunt ut obscurum et inexplicabilem, partim conjecturis variis et difficili interpretatione vexarunt, Morellus scilicet, Bernartius, Barthius, Gronovius, Dodwellus, Marklandus. Præcipua eorum disceptatio est de verbis *Cæsareo peraravit auro*. Bernartius locum fœde corruptum habet, et tamquam ægrum depositum aliis delegat. Fere non aliter Morellus, dubitanter tamen addit: An Pallas, fortis et bellica Dea, in gratiam et honorem prædii Albani, quod Papinio Domitiani munere datum fuerat, Statii carmen ἐπινίκιον peraravit ac perscripsit auro Cæsareo? quasi stylo inaurato a Cæsare, qui aurea corona Papinium donaverat in Albano certamine poetico Quinquatruum. Uterque inventum in MS *peramavit* rejiciunt. C. Barthius in Advers. lib. XXIV, cap. VII, principio emaculandum censet *hinc mea*, ab hac nimirum terra. Deinde *peraravit* conjicit esse veluti æternitati transcripsit, ob honorem Cæsarei auri: idem tamen ut duriusculum mox rejicit, et adhuc quærere se ait, quid sit perarare carmina Cæsareo auro. Post affirmat in Mspto suo invenisse se *panetrabit auro*. Unde veram Statii lectionem dicit: *Cæsareæ penetravit auri*, et Statium de primo suo ad Cæsarem aditu loqui putat. Hanc sententiam Barthius ipse postea rejecit

in Commentario ad hunc locum, ubi nulla mutatione opus esse dicit, et verba sic explicat : *Huic mea carmina*, etc. *Ut hac nimirum potirer*, *Cæsareo auro redimitum Domitiano commendavit Minerva*. Barthio statim subjungimus Dodwelli miram sententiam, qui in Annalibus Statianis, p. 278 seq. credit Statium scripsisse *perarrhavit;* quod auro Cæsareo, quasi arrha quadam nuptiali, vel lege pignoratitia, loco illi devinctus fuerit. Omitto reliqua, quibus ille sententiam suam explicat vel pingit. Vix enim cuiquam puto eam satis probabilem visum iri, quum vocem non solum insolentem ignotamque aliis, sed et metro contrariam fingat. Et miror Dodwellum, qui in sententiam tam contortam incumberet, potuisse J. Fr. Gronovii interpretationem elegantiorem spernere aut ignorare. Is in Diatr. in Silvas Statii, cap. XLII, de vexato hoc loco luculente agit, nullum ejus verbum mutat, in verbo autem *peraravit* metalepsin difficiliorem statuit, ita ut *perarare* poetarum more dictum sit pro *scribere*, eo tamen sensu, quo hoc verbum sæpe pro pingere vel ornare poni solet. Totius igitur loci hanc sententiam describit : Huic Albæ, vel in hac, Pallas, sive ipsa Dea, sive Cæsar, qui dona sua Palladia haberi voluit, carmina mea auro, corona oleagina aurea, scripsit, pinxit, exornavit. Nempe ut, quid *aurum Cæsareum* sit, intelligamus, animadvertendum est, Statium hac strophe respicere ad agonem vel certamen poetarum, quod Domitianus in Albano quotannis instituebat Quinquatribus Minervæ, ut memorat Suetonius, Domit. cap. 4, in quo certamine præmium victorum erat corona oleagina, quæ arbor Palladis, aurea. Hæc igitur corona quod in sacro Palladis, et in Albana terra, ubi Pallas præcipue colebatur, et quidem a Cæsare tribuebatur, hinc a poetis ejus temporis, ut a Martiale, IV, 1, IX, 24, *Palladium*, *virgineum*, *Albanum aurum*, *Albana oliva* dicitur, et a Papinio alio loco *Cæsaris aurum*, Silv. III, 5, 28, ad Claudiam uxorem :

> ....ter me nitidis Albana ferentem
> Dona comis, sanctoque indutum Cæsaris auro

Visceribus complexa tuis, sertisque dedisti
Oscula anhela meis.

Hoc loco Palladem dicit sua carmina auro Cæsareo donasse, quia Domitianus, poetas victores coronans, cjus peculiare præsidium jactabat, et dona sua Palladis ipsius esse videri volebat. Fortasse etiam *reginam bellorum* appellat hac in caussa, quod argumentum carminum, quibus coronam meruerat, bella et victoriæ Domitiani fuerant, ut ipse testatur in Epulo Domitiani, Silv. IV, 2, 65:

.....Trojanæ qualis sub collibus Albæ,
Quum modo Germanas acies, modo Daca sonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

Quum dicit *peraravit carmina*, haud alio sensu id accipiendum videtur, quam quo poetæ perarare literas vel tabulas dicunt, pro scribere. Ovid. Art. Am. lib. I, 455: *blandis peraretur litera verbis.* Idem Trist. III, 7, 1:

Vade salutatum subito perarata Perillam
Litera.

Vidit hoc jam ex parte Fr. Morellus, et *peraravit carmina auro* exposuit ἐπινίκιον *perscripsit auro Cæsareo*, quasi stylo a Cæsare inaurato: Barthius etiam accedit quodammodo, dum explicat *commendavit*, quasi scriptis literis. Neque inepte hoc dictum a Papinio fuerit, Palladem ei scripsisse vel composuisse carmina, siquidem et Musæ *fingere* vel *dictare* carmina poetis dicuntur. Vid. Eleg. ad Messal. v. 59; Ovid. Her. XV, 27, ut Vespam, inferioris ætatis poetam, taceam, qui in principio carminis sui, t. II (1) hujus operis propositi, Musas alloquitur: *Scribite mecum.* Sed hoc sensu *peraravit* vix aptum videtur *auro Cæsareo*, neque facile intelligitur, quid sit scribere auro, nisi putemus hoc velle Statium, Palladem, auro Cæsareo tamquam præmio proposito, excitasse ad scribendum et juvasse, quæ tamen longius petita et coacta videtur interpretatio. Itaque huic difficultati subvenire conatur Gronovius, quum *peraravit* hactenus putat pro *scripsit* positum, quatenus scribere etiam notat pingere

(1) Hujus edit. tomo I, parte 2, pag. 588. Ed.

vel ornare. Quo quidem sensu verbi assumpto, omnino liquidior hæc efficitur sententia Statii : In hac, vel hujus caussa Pallas mea carmina, vel me, ob victoriam carminum meorum, auro a Cæsare dato exornavit, vel corona aurea induit. Sed omnino hæc durissima audacissimaque metalepsis verbi *peraravit* est, cujus nullum in alio poeta exemplum exstat, certe a Gronovio nullum adduci potuit (1). Etiamsi unius Statii hanc licentiam fuisse concedamus, certe Gronovius ne verbi quidem *scribere* eam significationem esse probavit, quam in verbum *peraravit* a Statio translatam esse contendit, quæque huic loco maxime apta et necessaria est, nempe ornandi. Etenim ex locis a Gronovio adductis hoc maxime colligo, scribere sæpe idem esse ac pingere, delineare, signare, figurare. Et ex his nonnulla sunt loca dubiæ lectionis vel interpretationis, quæ singula nunc recensere non vacat. Præcipuum fortasse et aptissimum fuerit illud Martialis, XI, 4, 3 :

> Scriptus et æterno nunc primum Jupiter auro ;

h. e. figuratus, pictus. Cui addas hæc ejusdem poetæ, ex IX, 14 : *Quod* sc. nomen, *Cytherea sua scribere gaudet acu;* et *Quod penna scribente grues ad sidera tollant*, h. e. figurante vel signante literam aliquam. Sed qui verbo *scribere* ornandi, decorandi, honorandi significatum daret, locum

(1) Emericus Cruceus etiam in Antidiatribe, Gronovii Diatribæ opposita, ut ex hujus Elencho Antidiatribes, pag. 133, cognosco, interpretationem Gronovii vocaverat *metalepsim duram et non convenientem tam mollibus versiculis*. Atque idem in loco Statii pro *peraravit* legendum dixerat hic *reparavit*, ut sit sensus : *in hac urbe emit et comparavit auro Cæsareo mea carmina*. Ad quam correctionem sic respondet Gronovius, l. c. « Quando adhuc tam infrequenti manu versavit scriptores, percurrat κατὰ δεύτερον πλοῦν omnes Græcos et Latinos, si reperire queat, qui sic loquatur : *Jupiter in Olympia cursum emit oleastro*, aut *Romæ emit carmen corona querna Capitolina*. Hoc est lapides loqui, hæc dura dictio est, et exemplis mollienda : non compositum interdum poni pro simplici, non *reparare* esse idem quod emere ; id quod non probat tamen : nisi idem est emptio et permutatio, secus atque docebit eum lexicon juridicum ». Ed.

nullum inveni a Gronovio suppeditatum. Equidem ille hunc significatum ex loco Ciceronis videtur deducere, et *Pingere autem*, inquit, *ornare est, ut Cicero pingit bibliothecam sittybis*. At quamquam in pictura ornatus est, propter varietatem colorum vel signorum delectantem, ubi tamen ornatus non est ex ista varietate, an tum dici pictum possit pro ornato, de eo valde dubito. Quem Statii carmina accipiebant, ornatus ille erat in honore et gloria poetæ. Quo si ornata vel honorata dicere volebat, poterat multo liquidius dicere *Cæsareo decoravit auro*, sicut et coronam auream *Palladium decus* vocat Martialis, IX, 24:

> O cui virgineo flavescere contigit auro,
> Dic, ubi Palladium sit tibi, Care, decus.

Et verbum *decoravit* hoc ipsum est, quod Jer. Marklandus pro loci emendatione amplectitur, et scribendum pro *peraravit* existimat. *Pro* peraravit, inquit, *sensus necessario postulat aliquid, quod idem sit, quod* honoravit, ornavit, *ut bene vidit Gronovius, sed ex voce* peraravit *frustra efficere voluit*. Ostendit deinde, quomodo ex genuino *decoravit* librariorum aberratione primum *pecoravit*, inde *peraravit*, *peramavit*, quæ proxima erant et sensum habere videbantur: mox *peramnavit*, *peramanit*, *panetrabit*, et cætera monstra oriri potuerint. Atque hac emendatione sua Marklandus tantopere confidit et gloriatur, ut ejusdem, tamquam certissimæ et optimæ, bis terve mentionem injiciat in Præfat. ad Silvas. Ego vero, non obstante Marklandi auctoritate, omnino genuinum *peraravit*, et nulla ejus verbi mutatione opus esse contendo, planeque eum sensum, quem Gronovius quæsivit et Marklandus postulavit, ei verbo inesse affirmo, modo latens in eo tropus recte eruatur. Scilicet multo simplicius et verius mihi videtur, *perarare* accipiendum ut *perscribere*, pro finire, absolvere, perficere. Nam quemadmodum perscriptum Senatus consultum, vel auctoritas perscripta apud Ciceronem, et alios, dicitur, quando ita conficitur, ut nomina addantur Senatorum, qui adfuerunt, ita *perarare literas* proprie poetæ dicunt scriptum

finire, vel paginam implere, ut ex hoc Ovidii loco maxime apparet, Metam. IX, 563:

> Talia nequidquam perarantem plena reliquit
> Cera manum.

Qui peraraverant, perscripserant librum, apponebant signum perfecti et absoluti operis, quod *coronis* appellabatur. Martialis, X, 1, 1:

> Si nimius videor, seraque coronide longus
> Esse liber; legito pauca, libellus ero.

Et Ausonius extremum de Professoribus carmen inscribit *Coronis*. Quæcumque autem ejus appellationis ratio sit, nam variæ a Philologis reddi solent, præsertim a Cælio Rhodigino, Lect. Antiqu. lib. XV, cap. 20, et a C. H. Trotzio in not. ad Herm. Hugonem de prima scrib. orig. cap. 27, pag. 282, hoc certum est, a Græcis κορώνην, κορωνίδα, στέφανον, στεφάνην, sicut a Romanis *coronam*, vocari quamlibet summitatem, consummationem, perfectionem, culmen et fastigium rei, quia et corona formam circularem, omnium perfectissimam, habet, ut pluribus demonstravit Car. Paschalius de Coronis, p. 4. seqq. Hinc *coronatum lapidem* in Copa, v. 36, recte me explicasse arbitror de monumento absoluto et ad coronam perducto, tomo II (1) Poet. min. pag. 298, ut *coronam* summam partem muri dicit Curtius, lib. IX, 4, 30, et Virgilius *coronari vina*, quæ implentur ad summum, exprimens Homeri ἐπεστέψαντο, Iliad. I, 470, quod scholiastes exponit: ἄχρι τῆς στεφάνης ἐπλήρωσαν, ὅ ἐστι μέχρι τέλους. Equidem coronis, libro absoluto apposita, quam formam habuerit, haud clare definitur a veteribus Grammaticis, ego tamen vix dubitem, circularem figuram ut plurimum habuisse, quum ea ipsa sit perfectionis, principium et finem in se habentis, index. Principium librorum, ut ex Ausonii Profess. carm. ult. colligitur, Veteres signare menide solebant, quæ est figura lunæ novæ et crescentis: hinc admodum verisimile, coronidem, quæ libro perfecto

(1) Hujus edit. tomo I, parte 2, pag. 652. Ed.

et pleno apponeretur, lunæ plenæ vel circuli formam habuisse. Atque ut titulum librorum suorum Veteres, ad majorem ornatum, sic coronidem arbitror minio vel auro adeo subinde pinxisse. Itaque quum Statius dicit, Palladem carmina sua perarasse auro Cæsareo, vult eam quasi coronidem auream apposuisse carminibus suis, hoc est, ita se adjuvisse in carminibus scribendis, ut finem maxime honorificum, et summæ absolutionis documentum haberent, nempe præmium coronæ aureæ a Cæsare donatæ. In quo quidem tecte ludere videtur nomine coronidis et coronæ, quum autem coronari, quidquid ad finem perducitur, et corona rei perfectio, dicatur, *perarare* vero sit finire scriptionem, vel coronidem apponere scripto, non obscurius loquutus Statius videri potest, qui Palladem carmina sua perarasse auro dixit, h. e. coronasse, vel fecisse, ut ipse coronaretur. Hoc quidem eo aptius dici a Papinio potuit, quod Antiqui lætum rerum finem χρυσῆν κορώνην dicere proverbio solebant, teste Eustathio ad Hom. qui κορώνην vocat annulum ostii, aut si quod aliud ornamentum ei appositum, Odyss. VII, 90; XXI, 138. Etiam hoc ad illustrandum Statii locum facit, quod Pausanias in Messen. cap. 34, pag. 144 edit. Wechel. memorat, in civitate Peloponnesi Corone, ejusque acropoli, æneum stetisse Palladis simulacrum sub dio, κορώνην manu tenens. Etsi adhuc dubium est, κορώνη illa *cornix*, an *corona* interpretanda sit, nec adeo manifesta ratio, cur eam Palladi gestandam dederint Veteres, id tamen vero non absimile est, quum omnis operis summitas, perfectio, fastigium κορώνη vel κορωνὶς diceretur, et Minerva nobilium artium atque operum perfectrix haberetur, propterea κορώνην ei attributam, quod mille operum Dea, et omnis solertiæ industriæque præses esset. Idem Pausanias in Corinth. c. 11, pag. 54 Wechel. refert, a Sicyoniis Coronidem aliquam Deam coli, ejus tamen simulacrum peculiare templum non habere, sed ubi tempus sacrificii appetat, in Palladis sacrarium transferri, ibique honore affici. Equidem dubium est, Coronis hæc Æsculapii mater, an Dea alia sit, id tamen admodum verisimile, ex eadem

ratione Coronidis simulacrum Palladi adjunctum, qua κορώνη vel cornix ei addita in simulacro ante memorato est, fuisseque eam imaginem, qua significaretur, Palladis esse coronidem, hoc est, Palladis auxilio vel beneficio deberi operis ingeniosi perfectionem. Quo pacto videmus, quam ingeniose et apte scripserit Statius, Palladem sua carmina perarasse auro, h. e. coronidem eis auream apposuisse, præsertim quum agon ille, quo Statius coronatus erat, Palladi esset dicatus. Hac igitur ratione vexatissimum Statii locum multo facilius explicari puto, quam si durissimam metalepsin, quam Gronovius statuit, admittamus, qui et hoc minus accurate fecisse videtur, quod *huic* terræ exposuit *in hac*. Rectius omnino poterat, immo debebat, interpretari, *hujus* terræ Albanæ *gratia*, ut scilicet Statio præ aliis terris grata et dilecta esset, Palladem fecisse eum ibi coronari. Quamquam fortasse optimum sit *hic* legere pro *huic*, quod etiam Marklandus maxime probavit.

EXCURSUS II

AD STATII LYRICUM, AD SEPT. SER. v. 42.

Hic parvus inter pignora Curiæ,
Contentus arcto lumine purpuræ,
Crescis.

Aldus, Gryphius, Bernartius, Cruceus *alto lumine* ediderunt; sed Gronovius, et qui eum sequuntur, *arcto*, idque rectissime. Nam istud alii ante eum jam viderant mutandum, ut Turnebus, Advers. lib. I, cap. 2; Lipsius, Elect. cap. 14; Casaub. ad Sueton. Aug. c. 38; quibus accedit Salmasius ad Tertull. de Pall. p. m. 96, et ad Trebellii Poll. Claud. c. 17. Alibi Statius *pauperem clavum* nominat, Silv. V, 2, 18. Contra Barthius antiquum *alto* defendit, id est,

lato, poetica locutione; et putat Septimium, postquam adolescentes annos attigerat, latum clavum cum virili toga sumpsisse ex instituto Augusti, qui, referente Suetonio in Aug. c. 38, *liberis Senatorum, quo celerius rei publicæ adsuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, et curiæ interesse permisit.* Putat igitur Septimium, qui sumpta virili toga inter pignora curiæ fuisset, non ingessisse se honoribus ambiendo, sed contentum alta vel lata purpura productionem suam exspectasse. Sed Barthius neque sensum verborum Statii, neque institutum Augusti recte cepit, neque vidit, si Augustus Senatorum liberis permisit lato clavo sumpto Curiæ interesse, ut celerius rei publicæ adsuescerent, eis tamen, qui omnino nollent rem publicam capessere, liberum fuisse deponere latum clavum, et a Curia recedere. Quem Barthius sensum verborum Statii esse vult, is plane cum more Romano et fine instituti Augustei pugnat: neque enim magistratus et honores accipiebat quisquam, nisi qui peteret, aut qui, mereri et exspectare se, palam faceret. Et propterea Augustus Senatorum liberis lato clavo uti, et Curiæ interesse permittebat, ut mature, adspirare se ad magistratus adipiscendos, testarentur, eoque rei publicæ adsuescerent. Quod qui nollent, deponebant latum clavum, et discedebant a Curia. Hinc etiam Augusti ævo Mæcenatem Velleius scribit lib. II, c. 88, *vixisse angusto clavo pæne contentum, nec minora*, quam Agrippam, *consequi potuisse, sed non tam concupivisse.* Et Ovidius, qui honores et negotia publica fugiebat, Trist. lib. IV, 10, 35, de se: *Curia restabat; clavi mensura coacta est: Majus erat nostris viribus illud onus.* Neque Statius hoc loco scribit Septimium toga virili sumpta interfuisse Curiæ, sed *parvum crevisse*, adolevisse, educatum esse inter liberos Senatorum, et, quum honores publicos ambire nollet, *contentum* fuisse *arcta purpura.* Vox autem *contentus* per se arguit de arcta purpura sermonem esse: neque enim maximis rebus contenti esse dicimur, sed mediocribus, sicut et Velleius Mæcenatem dicebat angusto clavo contentum fuisse. Equidem Barthius sententiam suam confirmari ab ipso Sta-

tio putat, dum de Metio Celere scribit, in Propemptico ejus, Silv. III, 2, 122:

> . . . . . : . Marti juvenem, Dea, trade Latino.
> Nec novus hospes erit: puer hic sudavit in armis,
> Notus adhuc tantum majoris munere clavi.

At vero hic locus nec Barthium admodum juvat, nec nostræ sententiæ adversatur. Etenim affirmat Papinius, Metium Celerem, illustrem equitem, habere jus, sive munus lati clavi ex instituto Augusti, quo majorem militiæ gradum possit consequi. Nam et hoc Augustus liberis Senatorum tribuit, et *militiam auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed et præfecturas alarum dedit*, et Suetonius l. c. addit. Ad hæc Statius Metium Celerem affirmat gradum militiæ etiam artibus et officiis militaribus mereri, quibus se puer dedisset, licet adhuc tantum usu lati clavi, non æque militari officio, notus fuerit. Proinde hoc quidem confirmat, qui ad magistratus, vel tribunatus militares adspirarent, eos latum clavum servasse; minime vero negat, quod nos volumus, potuisse angusto clavo contentos esse, qui honores gerere nollent. Cæterum et hoc videtur perperam a Barthio fieri, quod *lumine purpuræ* exponit de fulgore, quo purpuræ æstimabantur, et propterea *alto lumine* pro *lato* dictum putat, quod quibusdam purpuris major inesset fulgor, si altius erigerentur. Sed ea notio luminis hic plane locum non habet, nec discrimen diversi fulgoris in purpuris hic respicitur, quem nemo affirmare potest in lato clavo majorem vel altiorem, in angusto minorem fuisse. *Lumen purpuræ* est mera paraphrasis clavi purpurei, quia proprium purpurei coloris lumen est, ut Salmasius ad Trebell. Poll. l. c. ostendit, et quilibet *pannus purpureus late splendere* ab Horatio in Arte Poetica dicitur. *Arcti* igitur vel *lati luminis* appellatio nihil nisi spatium et mensuram purpuræ indicat, cui designandæ *alti* vocabulum, quod Barthius defendit, plane ineptum videtur.

III.

P. PAPINII STATII

LYRICUM

AD

MAXIMUM JUNIUM.

SILVARUM LIB. IV, 7.

Maximi Junii, qui tum peregre aberat in Dalmatia, maturum reditum optat Statius, ut, quem adhuc socium studiorum suorum habuerat, ejus porro consiliis et monitis in elaboranda Achilleide utatur. Caussa tamen diuturnæ absentiæ, quum ei filius recens natus sit, hanc ei felicitatem gratulatur magnopere, orbitatis miseriam detestatur, optat denique, ut vitalis sit hic filius, et moribus, studiis, et rebus gestis, avi patrisque simillimus evadat.

Jam diu lato spatiata campo
Fortis herois Erato labores

1. *Lato satiata campo.* Hæc inficeta et putida lectio est omnium antiquiorum exemplarium, sc. Ald. Gryph. Bernart. Cruc. Primus, ut videtur, Morellus emendavit *spatiata*, idque demum aptum est *campo*. Ovid. Met. I, 285 : « Exspatiata ruunt per apertos flumina campos ». Lati campi imagine magnum poema designat Statius, ut et alii. Nemesianus, Cyneg. 4 : « ingentes Helicon jubet ire per agros ... et late campos metatur apertos ».

2. *Fortis herois.* Sic ediderunt omnes ante Gronovium : hic dedit *heroos* labores, Barthiusque et Marklandus defendunt. Mihi tenendum videtur *herois*, quo Achillem designat : nam in Achilleide tum occupatum fuisse, indicat versu 23. Brevitas syllabæ in *herois* non offendat : sic idem versu 46 fecit.

Differ, atque ingens opus in minores
Contrahe gyros.

Tuque regnator Lyricæ cohortis,
Da novi paullum mihi jura plectri,
Si tuas cantu Latio sacravi,
Pindare, Thebas.

Maximo carmen tenuare tento:
Nunc ab intonsa capienda myrto
Serta, nunc major sitis, et bibendus
Castior amnis.

3. *Atque ingens opus in minores*, h. e. ab heroico carmine te converte ad lyricum, qnod minoris spatii est. Vult enim nunc Achilleida paullum seponere et differre, ut breve carmen ad Maximum perscribat. Marklandus hic tentat *ingens epos*. —*Gyrus*, tamquam arctior limes, temere et late evaganti opponi solet. Eléganter Colnmella, X, 225 « Me mea Calliope cura leviore vagantem Jam revocat, parvoque jnbet decurrere gyro ». Propert. III, 3, 21: « Cur tua præscriptos evecta est pagina gyros. » Nec dissimili sensu Cicero scribit, Offic. I, 26: « Homines secundis rebus effrenatos, sibique præfidentes, tamquam in gyrum rationis et doctrinæ duci oportere ». *Majorem gyrum* dicit Gratius, Cyneget. 225.

5. *Regnator Lyricæ cohortis*, poetarum Lyricorum princeps.

9. *Carmen tenuare tento*, tenne et modicum carmen scribere aggredior, accepit ab Horatio, qui Carm. III, 3, extr: « Magna modis tenuare parvis »; et Propert. III, 1, 5: « Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro ».

10. *Ab intonsa myrto sertum* capere poeta vult, quia myrto coronabautur, qui leve et tenue carmen meditarentur; alii, qui graviora, lanro: fortasse quia myrti breviora folia, quam lauri. Horat. C. I, 4, 9: « Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto, Aut flore ».

11. *Nunc major sitis*, quæ repente et uno haustu velit sedari. Sed fateor hoc satis coactum esse, optimumque videri, si cum Marklando legamus: *nec major sitis*, *et bib.* qnasi dixisset, nec opus est majori siti, et modicns haustus sufficiet. Nam *castior amnis* est minor et moderatior portio fontis Castalii, quam Auson. Mos. 444, *tenue libamen Musæ* dicit. Hanc sibi poscunt poetæ, qui brevius carmen meditantur, sicut, qui longum, totos sæpe fontes Aonios. Martialis, VIII, 70: « Quum siccare sacram largo Permessida posset Ore, verecundam maluit esse sitim ». Cf. Aus. Mos. 446.

12. *Castum* Latinis, ut modestum et adstrictum moribus, ita et modicum mensura dici arbitror, sicut *castigare* est coercere, et intra modum continere. De quo vid. Gronov.

Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes? ubi Dite viso
Pallidus fossor redit, erutoque
Concolor auro.

Ecce me natum propiore terra
Non tamen portu retinent amœno
Desides Baiæ, liticenve notus
Hectoris armis.

Diatr. p. 146, et Drakenb. ad Sil. XII, 356.

14. *Dalmatæ montes.* Dalmatia montana, et aurifodinis clara. Ovid. Pont. II, 2, 78, « montanæ brachia Dalmatiæ », et Stat. Silv. III, 3, 90: « Quidquid ab auriferis ejectat Iberia fossis, Dalmatico quod monte nitet ». Barthius ex hoc loco Maximum aurifodinis Dalmaticis præfectum fuisse conjicit, sed Dodwell. Annal. Stat. p. 282, tribunatum legionis in Dalmatia gessisse opinatur.

15. *Pallidus fossor.* Pallentes fossores auri fere omnes dicunt, præsertim Silius, qui hunc locum Statii ad verbum exscripsisse videtur, lib. I, 232: « Astur avarus Visceribus laceræ telluris mergitur imis, Et redit infelix effosso concolor auro ». Lucanus, IV, 298: « Asturii scrutator pallidus auri »; et Claud. Cons. Mall. 41: « Abdita pallentis fodit solertia Bessi ». Caussas palloris nunc non inquiro: Noster repetere videtur a *Dite viso.* Omnes res subterraneæ ad Ditem vel Orcum referebantur; vid. Petron. de bell. civ. 90, seqq. et apud hos omnia pallentia. Ovid. Met. I, 139: « Quasque recondiderat Stygiisque admoverat umbris, Effodiuntur opes ». — Lucretius, VI, 810, palloris caussam repetit ab aura pestilenti quam exhalant metalla: « Quales exspirat Scaptesula subter odores? Quidve mali fit ut exhalent aurata metalla? Quas hominum reddunt facies, qualesque colores? » Ed.

18. *Portu amœno.* Amœnitas Baiarum et Sinus Baiani inprimis celebrata apud Romanos, quam pluribus descripsimus, Excurs. I ad Auson. Mos. (huj. ed. t. I, p. 276. Ed.). Horat. Epist. I, 1, 83. « Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis. » — *Desides Baiæ*, quia hic secessus frequens erat multorum, qui se otio, desidiæ et voluptati darent. Hanc notam effugiens poeta, dictum atque exemplum Senecæ sequutus est, qui Epist. LI: « Baias postero die quam attigeram reliqui: locum ob hoc devitandum; quum habeat quasdam naturales dotes, quia sibi illum celebrandum luxuria desumpsit ».

19. *Liticenve.* Male hic Gronovii et Veenhusii ed. *liricen.* Parm. *laticen motus*: Rom. *laticem motus.* Intelligit Misenum promontorium Cumis vicinum, quod a Miseno nomen accepit, Hectoris comite, qui circa eum lituo incitare viros ad pugnam solebat, ut Virgilius tradit, Æn. VI, 166: « Hectoris hic magni fuerat co-

Torpor est nostris sine te Camenis,
Tardius sueto venit ipse Thymbræ
Rector, et primis meus ecce metis
Hæret Achilles.

Quippe te fido monitore, nostra
Thebais multa cruciata lima
Tentat audaci fide Mantuanæ
Gaudia famæ.

Sed damus lento veniam, quod alma
Prole fundasti vacuos penates.

mes, Hectora circum Et lituo pugnas insignis obibat et hasta ». — Et Propertio, III, 18, 3, vocatur *Trojæ tubicen Misenus*. Ed.

22. *Venit ipse*, auxiliatur et carmen suppeditat, *Thymbræ rector*, Apollo, a Thymbra Troadis nominatus, ubi præcipue colebatur, teste Strabone lib. XIII. Sic Noster Silv. V, 1, 14 : « modo dexter Apollo, Quique venit juncto mihi semper Apolline, Cæsar Annuat ».

23. *Primis metis hæret*, adhuc in principio moratur et ægre procedit Achilleis mea.—Sumptum a decursu equorum in Circo, cujus in spina metæ, ad quas subinde currum allidebant aurigæ. Sic Cicero pro Cœl. cap. 31 : « In hoc flexu quasi ætatis fama adolescentis paullum hæsit ad metas »; et Virg. G. III, 202 : « Hic vel ad Elei metas et maxima campi Sudabit spatia ».

26. *Multa cruciata lima*; quæ diu multumque emendando vexata et castigata est : *limæ labor et mora* vocatur ab Horat. Art. Poet. 291. Martial. V, 80, 12 : « Quem censoria cum meo Severo Docti lima momorderit Secundi ». Calp. Ecl. IV, 52 : « tua subigatur pagina lima ». De nimia cura Plinius Epist. V, 11, 3 : « Perfectum opus absolutumque est; nec jam splendescit lima, sed atteritur ».

29. *Sed damus lento veniam*. Lenti dicuntur emanentes, qui diutius absunt peregre, et redire tardant. Ovid. Her. I, 1 : « Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulysse ». Idem Remed. 243 : « Nec satis esse puta discedere, lentus abesto ». Calp. Ecl. VII, 11 : « Nam dum lentus abes ».

30. *Prole fundasti*. Hoc admodum proprie et latine, de liberis et familia. Plautus, Mostell. II, 1, 38 : « Parentes fabri liberum sunt, Et fundamentum substruunt liberorum ». Seneca Octav. 532 : « Dignaque nostram sobole fundaro domum ». Plin. Epist. IV, 21 : « Cui nunc unus ex tribus liberis superest, domumque pluribus adminiculis paullo ante fundatam, desolatus fulcit ac sustinet ». Pluraque hujus locutionis exempla dabunt Drakenborch. ad Sil. II, 65, et Pricæus ad Apul. Metam. p. 350.

O diem lætum! venit ecce nobis
Maximus alter.

Orbitas omni fugienda nisu,
Quam premit votis inimicus hæres,
Optimo poscens, pudet heu! propinquum
Funus amico.

Orbitas nullo tumulata fletu:
Stat domo capta cupidus superstes
Imminens leti spoliis, et ipsum
Computat ignem.

Duret in longum generosus infans;
Perque non multis iter expeditum
Crescat in mores patrios, avumque
Provocet actis.

34. *Quam premit votis*, captat, insequitur et urget, ut tamquam hostem trucidet, vel spoliet. Virg. Æn. XII, 253: « hostemque per auras Facta nube premunt ». Statius, Theb. IX, versu 708: « Sed premit, et sævas miserantibus ingerit hastas ». Hinc *inimicus hæres* dicitur; quia propinquam mortem testatori, ut hosti, intentat voto suo. Morellus in notis hic scripsit *Quam fugit votis*, nescio quo casu.

35. *Propinquum*. Parm. et Rom. *propinqui*, et pro *amico* Parm. *amici*.

37. *Nullo tumulata fletu*, h. e. qui orbum tumulat, hæres non deflet, nec veras lacrymas fundit. Sic *avarum gaudium hæredis sui* dicit Phædrus, Fabul. IV, 19. Et apposite P. Syrus: « Hæredis fletus sub persona risus est ». Parm. ed. hic legit *cumulata*; Rom. *timulata*.

38. *Stat domo capta*. Superstes, cupide inhians defuncti opibus, domum ejus, quasi captam urbem circumsistit, ut spoliet et diripiat.

40. *Computat ignem*, impensam pyræ, et dolet, hanc etiam decedere hæreditati suæ. Similiter de avaro Phædrus l. c. « Qui circumcidis omnem impensam funeris, Libitina ne quid de tuo faciat lucrum ».

41. *Duret in longum*. *Durare* hic usurpatur parum solito sensu. Melius pro καρτερεῖν, ὑπομένειν, i. e. perstare, animum obfirmare. Virg. Æn. I, 207: « Durate, et vosmet rebus servate secundis ». Ed.

44. *Provocet actis*, æmuletur ita, ut contendere cum eo et comparari possit. Virg. Georg. III, 193: « tum cursibus auras Provocat ». Rutil. Itiner. II extr. « quæ luce coloris

Tu tuos parvo memorabis enses,
Quos ad Eoum tuleris Orontem,
Signa frenatæ moderatus alæ
Castore dextro:

Ille ut invicti rapidum sequutus
Cæsaris fulmen, refugis amaram
Sarmatis legem dederit sub uno
Vivere cælo.

Sed tuas artes puer ante discat,
Omne quis mundi senium remensus
Orsa Sallusti brevis, et Timavi
Reddis alumnum.

Provocat intactas luxuriosa nives ».

45. *Tuos enses*, militiam tuam et res gestas, in expeditione Syriaca, nam Orontes fluvius Syriæ. — Pro *tuleris* Parm. et Rom. *tuleras*.

47. *Signa frenatæ alæ*. Præfectum alæ, vel equitatus ducem notat. Sic Silv. III, 2, 104: « Latius cui ductor Eoa Signa Palæstinasque dedit frenare cohortes ».

48. *Castore dextro*, favente Castore, equitum præside. Silv. V, 2, 128.: « Monstrabunt acies Mavors, Actæaque virgo, Flectere Castor equos ». Sic et *dexter Apollo*, Silv. V, 1, 14.

49. *Ille*, sc. avus pueri.

50. *Cæsaris fulmen*. Sumpsit a Virgilio, Georg. IV, 561: « Cæsar dum magnus ad altum Fulminat Euphratem bello ». — *Fulmen sequutus* est ductu vel auspicio Cæsaris, et in exercitu ejus militans. — *Refugi* dicuntur Sarmatæ, non ut Parthi, qui fugientes pugnant, verum quod vagari atque errare hi consueverunt, et mox procedunt extra fines, mox repressi refugiunt.

51. *Sub imo* dederunt antiquiores Ald. Gryph. Bern. sed Gronovius et reliqui *sub uno*, quod rectissimum est, et a Parmensi edit. confirmatur: nempe ut cælum suum non mutent, una omnes regione vivant, neque fines egrediantur; quod facere ante hanc legem assidue solebant. Hinc Statius, Silv. V, 2, 135: « An juga Pannoniæ, mutatoresque domorum Sauromatas quaties? » et Seneca, Hippol. v. 72: « Vacuisque vagus Sarmata campis ».

55. *Orsa Sallusti reddis*; h. e. historiam scribendo Sallustium et Livium imitaris. *Orsa* pro ipso opere vel libro, ut Manil. II, 57: « Nostra loquar: nulli vatum debebimus orsa ». — *Brevis*, ob stylum præcisum. En.—*Timavi alumnus* Livius Patavinus, quia patria Livii ad Timavum fluvium. Forte Timavi fluminis alumnum dicens, ejus lacteam ubertatem significare voluit, quam æque cum Sallustii brevitate componit Quintil. lib. X, cap. 1.

IV.

CÆLII FIRMIANI SYMPOSII

DE FORTUNA.

O Fortuna potens, ac nimium levis,
Tantum juris atrox quæ tibi vindicas,
Evertisque bonos, erigis improbos,
Nec servares potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus:
Fortuna innocuos cladibus adficit.
Justos illa viros pauperie gravat:

1. *O fortuna potens.* Post hæc verba hiatum habet ed. Ald. omissis verbis *ac nimium levis*, quæ etiam desiderantur in ed. Vicet. Brix. et Venet. Catal. Virg. et in Willichii Epigr. Virg. Eth. Joan. Soter in Collect. Epigr. ex Anthol. Græc. vers. e codicibus nonnullis et edit. Juntina Catalect. Virg. exhibet *Fortuna omnipotens insipientibus.* Quod expressum videtur e Juven. Sat. X, extr. « Nullum numen habes, si sit prudentia; nos te, Nos facimus, Fortuna Deam ». Pulmannus edidit, et Delrius ad Senecæ Hippol. v. 1139 citavit: « O fortuna potens, quam variabilis ». Nos dedimus, ut Pithœus. Burmannus tamen legendum censet *at nimium levis.*

3. *Evertisque bonos, Evertensque* ed. Junt. *Eligis* cod. Petav. et Voss. edit. Ald. Junt. Vicet. Brix. Venet. Scaliger in utraque editione, et Pulmannus: sic etiam profert Jo. Soter et Willichius inter epigr. eth. Virg. Sed recte *erigis* edidit Pithœus, et ita citavit Delrius ad Sen. Hippol. l. c. et Cannegieterus ad Avieni fab. p. 88. Similiter de Fortuna loquitur Corn. Nep. in Dione c. 6: « Fortuna sua mobilitate, quem paullo ante extulerat, demergere est adorta ». Auson. epigr. 143: « Semper movetur: variat et mutat vices, Et summa in imum mergit, ac mersa erigit ».

4. *Muneribus fidem*, h. e. munera sua non constanter et perpetuo tribuit, ut quidem a principio promittere visa est.

7. *Pauperie gravat:* hinc paupertate *pressi* dicuntur Val. Max. IV, 8,

Indignos eadem divitiis beat.
Hæc aufert juvenes, et retinet senes,
Injusto arbitrio tempora dividens.
Quod dignis adimit, transit ad impios :
Nec discrimen habet, rectave judicat,
Inconstans, fragilis, perfida, lubrica :
Nec quos clarificat, perpetuo fovet ;
Nec quos deseruit, perpetuo premit.

ext. 2 : « paupertatem levare *et* attollere » Juven. XIV, 236.

9. *Hæc aufert juvenes*, rapit præmaturo obitu ; *retinet senes* diutius in vita : Petav. et Voss. cod. *ac retinet ;* hinc Burm. conj. *at*.

10. *Tempora dividens*, dispensans et attribuens, his majus vitæ spatium, aliis minus. Plane hæc expressit ex Eleg. ad Liviam, v. 371 ; « Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis, Illa rapit juvenes, sustinet illa senes » ; ubi *sustinet* est retinet in vita, vel moratur fata eorum.

11. *Transit ad impios*. Ven. edit. *admittit* et *transfert*, quod e glossemate videtur esse : *transfert* etiam in ed. Junt. est. Vicetina : *Quod dignis admittit*, *transit ad impios*. Cannegieter. ad Avieni fab. 12, pro *transit* legit *transdit*.

12. *Rectave judicat*. Petav. cod. et ed. Ald. Vicet. Brix. Junt. Ven. dant omnes *rectaque*.

13. *Inconstans*, *fragilis*. Hæc cumulatio plurium vocabulorum ejusdem vel affinis sensus, signum est sequioris ævi poetæ. Talis est versus 53 in Severi Sancti carmine : « Angor, discrucior, mœreo, lugeo », et ille Pentadii de Narcisso : « Blanditur, queritur, stat, stupet, hæret, amat ». Alios alibi notamus.

14. *Nec quos clarificat*. Verbum hoc inferioris ætatis poetam, et fortasse Christianum scriptorem arguit. Namque videtur ex versione latina Novi Testamenti, sigillatim ex Joh. XVII, 5, fluxisse, et, quantum hactenus cognitum est, non ab aliis, quam Christianis scriptoribus usurpatum, ut intelligitur ex adnotation. Bunemanni ad Lact. III, 18, 11. — Pro *clarificare*, Horat. Carm. IV, 3, 3, verbo *clarare* utitur : « Illum non labor Isthmius Clarabit pugilem ». Ed.

15. *Nec quos deseruit*. In editt. Vicet. Brix. et Venet. est *deserit :* neque hoc spernam, et legam *Nec quos deserit, hos perpetuo premit.*

V.

CÆLII FIRMIANI SYMPOSII

DE LIVORE.

Livor, tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quod quisquis furit, invidetque forti,
Ut debet, sibi pœna semper ipse est.
Testatur gemitu graves dolores:

1. *Tabificum malis venenum.* Burmannus hic *malis* corruptum existimans, ex conjectura leg. putat *Livor tabifico magis veneno Intactis vorat;* et Oudendorpius legendum suasit *Infectis ossibus* pro intactis, quia livor non dici potest vorare medullas, non tactis ossibus. Sed his emendationibus non opus esse puto. *Malis* enim intelligendum est de hominibus malis et invidis, quos livor instar veneni et tabis consumit. — Ideo *malis* capiendum tertio casu, ut sit *tabificum malis.* Ed. — Præterea *intactis ossibus* dicit, quia venenum illud vult medullas, h. e. interiora hominis pervadere, quamvis exteriora, cutem et ossa, non tetigerit.

3. *Bibit cruorem*, i. e. occupat et absumit, quod et *haurire* dicitur. Petron. de mutat. reip. v. 98: « Sullanus bibit ensis ». Virg. Georg. III, 105: « Haurit corda pavor ».

4. *Quod quisquis furit.* Cod. Thuanus et edit. Vicet. habent *Quod quisque fuerit;* Brix. et Venet. *Quod quisque furit.* Barthius, Advers. XII, 7, scribit *Quo quisquis furit, invidetque forti;* quod rectum puto. Pro *forti* tamen Pithœus in notis conj. *sorti*, et sic in Vicet. Brix. Venet. et Willich. Epigr. Virg. Delrius ad Sen. OEd. v. 747 profert *Quod quisque furit, invidetque sorti.*

5. *Pœna semper ipse est.* Francius malebat *ipsi est.* Desumptum hoc ex Ovid. Metam. II, 780, ubi de Invidia: « videt ingratos, intabescitque videndo Successus hominum, carpitque et carpitur una ».

6. *Testatur gemitu.* Heinsius distinguit *Testatus gemitu graves dolores Suspirat.*

Suspirat, fremit, incutitque dentes :
Sudat frigidus, intuens quod odit.
Effundit mala lingua virus atrum;
Pallor terribilis genas colorat;
Infelix macies renudat ossa.
Non lux, non cibus est suavis illi;
Nec potus juvat, aut sapor Lyæi :
Nec si pocula Jupiter propinet;
Aut hæc porrigat, et ministret Hebe,
Aut tradat Catamitus ipse nectar.
Non somnum capit, aut quiescit unquam :
Torquet viscera carnifex cruentus.
Vesanos tacite movet furores,
Intentans animo faces Erinnys

10. *Pallor terribilis*. Heinsius voluit *terribiles*. Verbum *colorat* hic de pallore usurpatum est contra usum antiquiorum scriptorum, quibus *colorari* est infuscari a calore solis. *Colorati Indi* Virg. Georg. IV, 293. Frontinus, Strateg. I, 2, 9: « notabat coloratiora hominum, ut ex via, corpora ». — Notio verbi *colorare* inprimis patet ex loco Ciceronis, de Orat. II, 14 : « Fatebor, ... ut quum in sole ambulem, etiamsi ob aliam caussam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer. Sic quum istos libros .... studiosius legerim, sentio orationem meam illorum tactu quasi colorari ». Ed.

11. *Macies renudat ossa*. Sic Eleg. XII, v. 126; huj. vol. p. 306. « Vix macie exesis artubus ossa traho ».

12. *Nec potus*. *Non* habet cod. Petav. et edit. Juni. *sopor* cod. Thuanus et Petav. *odor* volebat Heins.

15. *Aut hæc*. Cod. Thuan. et Petav. *Atque hæc*. *Atque huic* Heins.

16. *Aut tradat Catamitus*. Sic cod. Thuan. et Petav. et edit. Pithœi, et sic reperisse in membranis se scribit Gronov. Observ. IV, 18; sed *Ganymedes* habent Scaliger in utraque editione, Willichius, et antiquiores fere omnes: idemque in scriptis esse testatur Vossius, Art. Gramm. lib. II, cap. 34, et defendit Sciopp. Veris. lib. II, 8. Festus ait : « Catamitum pro Ganymede dixerunt, qui fuit Jovis concubinus » ; et Serv. ad Virg. Æn. I, 28 : « Sane hic Ganymedes Latine Catamitus dicitur ». — Ausonius, Epitaphio XXII, de puero immaturo morte rapto : « Aut Jovis Elysii tu Catamitus eris ». Ed.

18. *Torquet viscera carnifex*. De omni ægritudine animi solenne vocabulum carnificis et tortoris. Cic. Tusc. III, 13 : « Quum omnis perturbatio miseria est, tum carnificina est ægritudo ». Juvenal. XIII, 195 : « Occultum quatiente animo tortore flagellum ». Horat. Epist. I, 2, 58 : « Invidia Siculi non inve-

Letalis, Tityique vultur intus,
Qui semper lacerat comestque mentem.
Vivit pectore sub dolente vulnus,
Quod Chironia nec manus levarit,
Nec Phœbus, sobolesve clara Phœbi.

nere tyranni Majus tormentum ».

21. *Letalis, Tityique vultus intus* Sic edid. et distinxit Aldus, Pith. Scaliger in utraque editione, et Pulmannus: sed edit. Junt. *Est talis Titii quod vultur intus;* et in Vicet. et Brix. *Et talis Tytii quo.* In codicibus Thuan. et Petav. *Est ales* pro *letalis*, quod et in margine primæ ed. Scal. et Pithœanæ ex veteri codice notatur. Barth. Advers. XXIII, 7, corrigere vult *Aloidas Titiique vultur intus*, plane absurde. Corruptam vocem et sententiam esse patet. Mihi sic placet emendare: *Est illi Tityique vultur intus.* Cæterum livorem animi Tityi vulture significari, etiam Petronii versus satis notus indicat, pag. 671, edit. Burm. « Qui vultur jecur intimum pererrat, Non est, quem Tityi vocant poetæ, Sed cordis mala, livor atque luctus ».

22. *Qui semper.* Heinsius *Quin... comestque*, etiam in Ald. et Junt.

23. *Vivit pectore sub dolente vulnus.* Versus Virgilianus, Æn. IV, 66: « est mollis flamma medullas Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus ».

24. *Quod Chironia nec manus*, Chironis ars et cura, qui Saturni et Philyræ filius, et arte medica celebratus fuit. Vid. Propert. II, 1, 60. — *Levaret* in edit. Vicet. Brix. Ven. et Junt. sed recte *levarit* Aldus, Pithœus, Scal. Pulm. alii.

25. *Soboles clara Phœbi*, Æsculapius. Sic Ovid. Pont. I, 3, 21: « Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas; Sanabit nulla vulnera cordis ope ». Et de amore Propert. II, 1, 57: « Omnes humanos sanat medicina dolores, Solus amor morbi non amat artificem ».

VI.

RUFINI V. C.

PASIPHAES FABULA, EX OMNIBUS METRIS HORATIANIS.

Filia Solis
Æstuat igne novo,
Et per prata juvencum,
Mentem perdita, quæritat.
Non illam thalami pudor arcet,
Non regalis honos, non magni cura mariti.
Optat in formam bovis
Convertier vultus suos:
Et Prœtides dicit beatas,
Ioque laudat; non quod Isis alta est,

1. *Filia Solis.* Pasiphae, Solis ac Perseidis filia, quam Minos conjugem habuit, soror Circes et Æetæ, Colchorum regis. Apollodorus, lib. I, cap. 9, et III, 1, 2.

3. *Et per prata.* Cruquius perperam edidit *Et perpetrata juvencum.* Binetus et Dousa emendavit *per prata.*

4. *Mentem perdita, quæritat.* Hoc fere e verbis Virgilii compositum, Eclog. VIII, v. 85 seq. « qualis, quum fessa juvencum Per nemora atque altos quærendo bucula lucos, Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulva Perdita, nec seræ meminit decedere nocti. » Ipsam Pasiphaes fabulam pingit Virg. Ecl. VI, 45 seqq.

9. *Et Prœtides.* Et hanc sententiam hausisse e Virgilii Ecl. VI, 45 seq. videtur. Servius ad vers. 48: Prœtides, Prœti et Stenobeæ sive Antiopæ filiæ, Lysippe, Ipponoe, Cyrianassa, quum se prætulissent Junoni in pulchritudine, illa irata hunc furorem earum mentibus immisit, ut putantes se vaccas in saltus abirent, mugirent, et aratra timerent. Quas Melampus, Amythaonis filius, purgavit, et in pristinum sensum reduxit.

10. *Ioque laudat, non quod**. Sic cum lacuna edidit Binetus: sed Dousa ex Cruquio supplevit *non quod Isis alta est;* et sic exhibent etiam edit. Patiss. Frellon. Hadrian. *Isis alma* conj. Heinsius.

Sed quod juvenca cornua in frontem levat.
Si quando miseræ copia suppetit,
Brachiis ambit fera colla tauri,
Floresque vernos cornibus illigat,
Oraque jungere quærit ori.
Audaces animos efficiunt tela Cupidinis:
Iliçeisque gaudet
Corpus includi tabulis, efficiens juvencam:
Et amoris pudibundi malesuadis
Obsequitur votis, et procreat (heu nefas) bimembrem,

11. *Sed quod juvenca.* Veteres edit. *juvencæ* habebant, sed Dousa bene emendavit *juvenca*, ut opponatur melius priori versui ubi *Isis alta*. Cætera verba mendose edidit Cruquius: *Sed quod juvencæ cor nihil forte levat.* Vetus cod. Reginæ *cornu fortem elevat:* ed. Patiss. Frellon. Pith. et Bentleii, *cornua in fronte elevat;* sed recte Dousa *juvenca cornua in frontem levat*, atque hunc sensum prioris et hujus versus proponit: Pasiphae Ins felicitatem non cessat prædicare præ sua; non eo quidem nomine, quod primaria Ægypti Dea, et novo Isidis cognomento insignis cluens; verum potius, quod vaccina forma lacteoque candore notabilis, cornua superbe ac gloriose elata, atque in frontem subrecta gerere conspiciatur.

14. *Floresque vernos cornibus illigat.* Sic fere Ovid. Metam. II, 866, de Jove tauro et Europa: « modo pectora præbet Virginea palpanda manu, modo cornua sertis Impedienda novis ». Burmannus hic vitiose edidit *floresque vernos floribus illigat.*

16. *Audaces animos efficiunt.* Sic Ovid. Met. IV, 96: « Audacem faciebat amor »; Virg. in Ciri v. 436: « Non metus incensam potuit retinere Deorum: Omnia vincit amor ». Conf. Ecl. X, 69.

17. *Iliceisque gaudet*, h. e. ilignis vel roboreis: vulgo legitur *Illicitis*. — Legendum Burmannus putat cum Dousa *Illicitisque gaudet Corpus includi stabulis*, vel *gaudens Corpus includit stabulis, se faciens juvencam.* Bentleius edidit *Jnlicitisque gaudent: Corpus includit stabulis, efficiens juvencam.* Probari potest *Iliceis..... tabulis:* nam nota historia, qua abiegnæ bovis, Dædali artificio, simulacro fallaciter inclusa, ac bovillo integumento velata, indomita hæc Minois uxor ductori regii armenti copiam sui dedit; cujus compressu gravida facta, non hominem, sed Minotaurum genuerit. Ed. — Cæterum videatur Excursus ad calcem huj. Carm.

19. *Pudibundi* posuit pro *pudendi* ac merito erubescendi: *malesanis* habet ed. Patiss. Frellon. Pith. sed *malesuadis* cod. Reginæ, et sic Dousa legebat.

20. *Bimembrem*, ut ex viro et bove compositum, unde Ovid. Art. II, 24, vocavit *Semibovemque virum, semivirumque bovem;* Virg. Æ. VI, 25.

Cecropidæ juvenis quem perculit fractum manus,
Filo resolvens Gnosiæ tristia tecta domus.

« Prolem biformem »; Ovid. Met. VIII, 156, « monstrum biforme ».

21. *Cecropidæ juvenis*, Thesei, qui Minotaurum interemit. Versum hunc expressit Burmannus ex castigatione Dousæ. Antiquiores edit. Patiss. Frell. Pith. ut et Hadrian. et Bentleius scripserunt *Cecropides juvenis quem perculit fractum manu.* — *Fractum* pro debellato, strato. Sæpius *stratus* et *fractus* hoc sensu confunduntur a librariis. Testatur Heinsius, qui ad Seuarii, viri ill. Epitaphium, vs. 10: « Siguat in orbe vias, et nunquam strata labore », *strata* mutari jubet in *fracta*. Et latius patet ex Burmanni notis ad Lucan. III, 472, et ad Claudian. IV Cons. Hon. 318; in Eutropium, I, 393, « fracto secura Britannia Picto », ubi in aliis codicibus *strato*. Sic *frangere* et *sternere hostem*. Vid. Heins. ad præf. Cons. Stilich. lib. II, 21. Apud Auson. Ep. 3, « stratos periisse Suevos », ubi *fractos* in codice Tiliano legi testatur Vinetus. Ed.

22. *Gnosiæ domus*, Labyrinthi Cretensis. — *Multiplicem domum et cæca tecta* dicit Ovid. Met. VIII, 158. — *Resolvens* i. e. relegens et explicans, quia labyrinthi viæ multiplici errore contextæ et implicatæ dicuntur. Virg. Æn. V, 588: « Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque Mille viis habuisse domum ». (Vulgo legitur *dolum*; vid. Virg. varias lectiones et notas nostr. ed. t. III, p. 60. Ed.) Idem verbo *resolvere* de eadem re utitur, Æn. VI, 30: « Dædalus ipse dolos tecti ambagesque resolvit, Cæca regens filo vestigia ».

EXCURSUS

AD RUFINI PASIPH. FAB. v. 17.

Iliceisque gaudet
Corpus includi tabulis.....

Emendationis hoc loco factæ rationem reddam, allata prius varietate lectionis, quam priores editores induxerunt. Cruquius dedit: *Illicitisque gaudet: Corpus includit stabulis, efficiens juvencam.* Sic emendasse Scaligerum testatur Binetus; sic etiam in edit. Patiss. et Frellon. legitur, nisi quod hæ *tabulis* habent pro *stabulis*, sicut et Pithœus. Dousa vero correxit *Illicitisque gaudet Corpus includi*, vel *gaudens corpus includit stabulis, se faciens juvencam.* Bentleius edidit: *Inlicitisque gaudent* (quod igitur refert ad præced. *tela Cupid.*): *Corpus includit tabulis, efficiens juvencam.* Pictaviensis edit. Bineti olim dederat *Effigies juvencæ,* quasi per appositionem. Heinsius voluit *se efficiens juv.* Et Oudendorpius *tabulis effigians juv.* quod facile prætulerim, quia *efficiunt* jam adfuit superius. In tam vario conatu emendandi mutandique nemo editorum vidit, primarium scripturæ vitium in voce *Illicitis* latere, quod quidem pertinere omnino ad sequens *stabulis* vel *tabulis* videtur, sed tamen his junctum nullum sensum idoneum efficit; et si *illicitis* separetur a seqq., quod Pith. et Bentleius fecerunt, divellere hoc compagem narrationis videtur, et contra auferre epitheton τῷ *stabulis* vel *tabulis,* quo carere ea vocabula ad clariorem rei descriptionem non possunt. Nempe fabula vult, Pasiphaen simulacro vaccæ e tabulis ligneis compacto inclusam esse. Hoc testatur Sueton. in Ner. c. 12, et Auson. adserit in Cupid. cruc. v. 34, ubi ait Pasiphaen *Dædaleæ latebras subiisse juvencæ.* Ovidius propterea *vac-*

cam acernam dicit Art. I, 325, et infra auctor lyrici XV hujus libri, v. 11 : *Qui vaccam trabibus lusit adulteris.* Igitur apparet, non *stabulis*, sed *tabulis* legendum esse, et quoniam hæc ligneæ fuerunt, pro *Illicitis* scribendum *Iliceis*, h. e. ilignis vel roboreis; quo vocabulo Statius usus est Theb. VI, 101 : *Ornique, iliceæque trabes, metuendaque succo Taxus.* Synecdoche, qua machina hæc lignea ab Ovidio acerna, et hic ilicea dicitur, eadem in equo Trojano admittitur a poetis, quem Virgilius, Æn. II, 186, *molem roboribus textis* vocat, *equum abiegnum* Propertius, lib. III, 1, 25. — Et hic equus *ilignus* quoque vocatur in Epigr. de Laocoonte, Anthol. Lat. Burm. I, 90, v. 3 : « Quod tamen iligni violarit terga caballi ». Propert. alio loco, IV, 1, 42 : « Jam bene spondebant tunc numina, quod nihil illam Læserat abiegni venter apertus equi ». Apud Terent. Adelph. Act. IV, sc. 2, 46 : « lectuli ilignis pedibus »; et ad Virgilii Georg. III, 330, « Currentem ilignis potare canalibus undam », Servius exponit *factis ex ilice.* Ed. — Itaque quum indubitata hæc emendatio videretur, in contexto eam ponere non dubitavi.

VII.

PALLADII

ALLEGORIA ORPHEI *.

THREICIUS quondam vates fide creditur canora
Movisse sensus acrium ferarum,
Atque amnes tenuisse vagos, sed et alites volantes,
Et surda cantu concitasse saxa.
Suavisonæque modos testudinis arbores sequutæ
Umbram feruntur præbuisse vati.
Scilicet haud potuit quæ sunt sine permovere sensu;

* In brevi hoc carmine facile agnoscimus operam Grammatici, qui fabulam veterum poetarum interpretari studet, et plerumque eorum verbis utitur. Ostendit Orphei fabula significari, rudes et agrestes homines blanda ejus voce in societatem primum congregatos, et ex feris et immanibus mites esse redditos. Ita dudum Horatius eam fabulam interpretatus erat, Art. Poet. 391 seqq. quem locum haud dubie ante oculos habuit Palladius. Quod autem hi Orpheo et poesi, id oratorum facultati tribuit Cicero, initio libri I de Invent.

1. *Fide creditur canora.* Horat. Carm. I, 12, 11: « Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus ». Propert. III, 2, 1: « Orphea detinuisse feras et concita dicunt Flumina Threicia sustinuisse lyra ».

3. *Sed et alites volantes*, horum verborum loco lacuna est in antiqua Ven. Aldina, Willichii et Scaligeri editione; quam vero, ut ipsi dedimus, supplent Voss. et Petav. cod. Pithœus et Burmannus.

5. *Suavisonæque modos*: sic Pithœus et Burm. *Suavisonosque modos* Aldus, Scaliger, Willichius edidit; *suavisonæque modo* Petav. et Voss. cod. Palladius verba expressit Horatii A. P. 395, « Saxa movere sono testudinis »: idem, Carm. I, 12, 7: « vocalem temere insequutæ Orphea silvæ ».

7. *Scilicet haud.* Distichon hoc Aldus, Scaliger, Willichius non habent, neque ed. Ven. agnoscunt tamen Voss. et Petav. cod. et dedit Pithœus. Burmannus putat facile

(Finxere docti fabulam poetæ)
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigavit,
Doctaque vitam voce temperavit.
Justitiam docuit, cœtu quoque congregavit uno,
Moresque agrestes expolivit Orpheus.

abesse posse, et pannum videri male adsutum ab homine otium perdente. Qnod quomodo staluere potuerit, non video, quum hoc disticho omisso sequentium connexio manifeste pereat. Quibus qnoniam fabulam Orphei interpretatur ad verum, necesse eral, quod hoc disticho fit, ostendere prius, fabulam esse. In altero versu *doctam fabulam* leguni codd. Voss. et Petav.

10. *Vitam voce temperavit*, h. e. vitæ degendæ rationem præceptis moderatns esl: neque assentiri Burmanno possum, qui *vitam* pro hominibus tunc viventibus positum existimat.

11. *Cœtu quoque congregavit uno.* Sic Cic. de Invent. I, 2: « Quidam magnns vir et sapiens dispersos homines in agris, et in tectis silvestribus abdilos, ratione quadam compulit unum in locum, et congregavit ». — Sic etiam Quintilian. Instit. Orat. I, 10: « Quod rudes quoque et agrestes animos admiratione mulcerel Orpheus, non feras modo, sed saxa etiam silvasque duxisse, posteritatis memoriæ traditum est ». Conf. Maximus Tyrius, dissert. XXXVII, cap. 6. En.

VIII.

INCERTI

AD LYDIAM.

LYDIA, bella puella, candida,
Quæ bene superas lac et lilium,
Albamque simul rosam rubidam,
Aut expolitum ebur Indicum;
Pande, puella, pande capillulos
Flavos, lucentes ut aurum nitidum.
Pande, puella, collum candidum,

1. *Bella puella.* Idem sonus in conjunctis verbis, quamvis insuavis, tamen placuit multis poetarum veterum. Catull. Carm. 79: « Cum puero at bello bella puella cubet ». Sic etiam Tibull. III, 4, 52, et Ovid. Am. I, 9, 6. — Nec horum exemplo refugit Ja. Jov. Pontanus, de Am. Conj. II, p. 51: « Absentemque urit bella puella senem ». Ep.

2. *Lac et lilium.* Propert. II, 3, 10: « Lilia non domina sint magis alba mea ».

3. *Albamque simul.* Sic Burmannus edidit: vetustiores legunt *Albam simul.* Vox *rubidam* quosdam offendit, quasi sequioris ætatis esset; sed Plautus habet. Interim color, quem *rubidus* significat, non satis aptus rosæ videtur, nec rosa potest alba simul et rubida esse. Igitur malim *rubeam* legere, h. e. spineam, quo sensu Virg. Georg. I, 266, *rubeam virgam* dixit.

4. *Ebur Indicum.* Vulgata hæc comparatio cum ebore: *eburnea colla* Ovid. Met. III, 422, *cervix* Her. XX, 57; similiter *ebur Indicum* dicit Horat. Carm. I, 31, 6, et Petron. c. 135.

6. *Lucentes ut aurum nitidum.* Burmannus conjicit *ut aurum rutilum.* Sed *nitidum* firmatur simili loco Statii, Achill. I, 162: « fulvoque nitet coma gratior auro ». Sic et Petron. in fragm. p. 667, ed. Burm. « Fundunt colla rosas, et cedit crinibus aurum ». Corn. Galli epigr. 2: « Anne coma ex auro flava est tibi ».

7. *Pande, puella, collum.* Hic vers. abest a nonnullis edit. forte errore

Productum bene candidis humeris.
Pande, puella, stellatos oculos,
Flexaque super nigra cilia.
Pande, puella, genas roseas,
Perfusas rubro purpuræ Tyriæ.
Porrige labra, labra corallina,
Da columbatim mitia basia:
Sugis amentis partem animi:

operarum. Exstat in ed. Burmanni.

8. *Productum bene candidis humeris*. Burmannus *productum* vult dictum esse pro tereti et procero; in quo falli videtur: ego *productum* explico continuatum vel elatum ex humeris, atque hinc æque candidum ac humeri. Eadem expressit Ovid. Fast. V, 712: « Qua cervix humeros continuata premit ».

9. *Stellatos oculos*, h. e. stellarum instar micantes. Sic sæpe poetæ. Propert. II, 3, 14: « Non oculi, geminæ, sidera nostra, faces ». Ovid. Her. XX, 55: « Tu facis hoc, oculique tui, quibus ignea cedunt Sidera ». Petron. cap. 126: « oculi clariores stellis ». Vide quæ præterea notavimus supra ad Galli epigr. 2 et 3.

11. *Genas roseas*: *rubidas* in quibusdam edd. legi, Fontaninius in Hist. liter. Aquilei. putat, sed falso, ut ipse puto: nam omnes, quas vidi, habent *roseas*.

12. *Rubro purpuræ Tyriæ*. Sic Calpurn. IX, 80: « Purpureas laudando genas, et lactea colla ». Seneca in Medea, v. 99: « Ostro sic niveus puniceo color Perfusus rubuit ». Epithalamium Laurentii, tomo II Anthol. Burm. v. 33: « Lilia ceu niteant rutilis commixta rosetis, Sic rubor et candor pingunt tibi, florida, vultus ». Plura hujus commatis dabunt Brouckhusius ad Propert. II, 2, 21, et Hier. Columna ad Ennium, p. 96 seq.

13. *Labra corallina*, i. e. rubra, ut *rubra corallia* dixit Auson. Mos. 69. Vocabulum hoc nescio an apud veteres alios obvium: *labellum roseum* vidimus in Porph. Syring. 10; *purpurea labella* Ovid. Am. III, 14, 23.

14. *Da columbatim*: more columbarum, quarum exemplum sæpe advocant molliculi poetæ in basiis dandis. Propertius, II, 15, 27: « Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ ». Cn. Mattius, fragm. ex Mimiambis: « Columbatimque conserere labris labra ». — Seneca, Epist. CXIV: « Quid si quis feminæ cirro crispatæ, et labris columbatur ». ED.

15. *Partem animi*. Burmannus recte præoptat *animæ*; nam lascivis amantium osculis animam veluti transfundi putabant. Petron. c. 79: « Et transfudimus hinc et hinc labellis Errantes animas ». Idem cap. 132: « Jam alligata mutuo ambitu corpora animarum quoque mixturam fecerant ». Propert. I, 13, 17: « Et cupere optatis animam deponere labris ». — Aristænetus, Epist. II, 19: ἀλλὰ καὶ φιλήμασιν ἐπισυν-

Cor mihi penetrant hæc tua basia.
Quid mihi sugis vivum sanguinem?
Conde papillas, conde gemipomas,
Compresso lacte quæ modo pullulant.
Sinûs expansa profert cinnama:
Undique surgunt ex te deliciæ.
Conde papillas, quæ me sauciant

ἅπτοντες τὰς ψυχάς· τοῦτο γὰρ φίλημα δύναται. Ejusmodi oscula elegantissime descripta habes apud Achill. Tatium, lib. II, pag. 79, in festivissima narratione de labello Leucippes, morsu apis icto, et simulato eodem Clitophontis vulnere per mutuam osculationem sanato; quæ Philldi Tassonianæ, Amint. Act. I, sc. 2, aliisque poetis recentioribus optimos imitationis colores præbuit. Claud. in Fescenn. 121: « Et murmur querula blandius alite Linguis assidue reddite mutuis, Et labris animam conciliantibus ». Id. Epithalam. Pallad. et Celer. 132: « Oscula mille sonent, livescant brachia nexu, Labra ligent animas ». Ed. — Plura hujus generis larga manu suppeditat Burmannus.

17. *Quid mihi sugis vivum sanguinem*. Expressum videtur e Plauto, Curcul. I, 2, 65: « mittite isthanc foras, Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem ». Ed.

18. *Conde gemipomas*. Vocem hanc insolentem et barbaram, et inferioris adeo poetæ indicem judicavit Fontaninius l. c. Burmannus, quia etiam metro repugnat syllaba penultima, mendo adscribit, et hoc suppositum a recentiore Italo suspicatur, et propterea corrigit *conde gemellulas*, quomodo *sororiantes* dixerunt veteres poetæ. Ego insolenter et audacter compositam vocem non nego, nec tamen inde auctorem recentiorem colligendum arbitror, quum et veteres Plautus, Catullus, multa habeant haud mollius composita, neque vitium metri valde accusandum, quod in toto carmine valde variatum et negligentius habitum est. Etsi papillas cum pomis comparatas a Latinis veteribus non reperio, reperio tamen a Græcis. Exemplo est Aristænetus, qui duobus locis libri I, epist. 1 et 3, κυδωνιῶντας μαστοὺς appellat mammas malum Cydonium imitantes. Mercerus parum accurate interpretatus est *sororiantes*. Expressit græcam vocem poeta noster, quamvis parum feliciter. — Festus in voce *Sororiare*: « *Sororiare* mammæ dicuntur puellarum, quum primum tumescunt, ut *fraterculare* puerorum »; ubi Plauti locum recte constituit Scaliger: « . . . tunc papillæ primitus Fraterculabant; illud volui dicere Sororiabant: quid opus est verbis? » Idem Festus in *Fratrare*: « *Fratrare* puerorum mammæ dicuntur, quum primum tumescunt, quod velut fratres parés ». Ed.

19. *Compresso*: putat legendum *compressa* Wernsd. sed male. Ed.

20. *Sinus expansa profert cinnama*. Gemina sunt illa Propertii, II, 29, 15: « Quæ quum Sidoniæ nocturna ligamina mitræ Solverit,

Candore, et luxu nivei pectoris.
Sæva, non cernis, quod ego langueo?
Sic me destituis jam semimortuum?

atque oculos moverit illa graves: Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores, Sed quos ipse suis fecit Amor manibus ». Vid. not. ad Lact. Phœn. v. 128, et ad Pervig. v. 25. — Præterea Theocr. XXVII, 49, mammas vocat μᾶλα χνοάοντα, mala vel poma florescentia. Et apud Athenæum, lib. III, p. 81, Alcman vocat χυδώνια μᾶλα εἰς τὰ τιτθία, Cydonia magnitudine mammis paria. Ed. — Huc referri possunt *fragrantia oscula* apud Horat. Carm. II, 12, 25. Et Apuleius, Met. II, p. 26, edit. Pric. « Licet ipsa Venus fuerit, licet omni Gratiarum choro stipata, et toto Cupidinum choro comitata, et balteo suo cincta, cinnama fragrans, et balsama rorans ». Ed.

23. *Luxu nivei pectoris:* decore et amplitudine, ut *luxuriare membra* dicit Ovid. Met. VII, 292, quæ succi et vigoris plena sunt. Sic interpretor versum in fragmento Petronii: « Lacteaque admixtus sublimat pectora sanguis », h. e. extollit et turgere facit.

24. *Quod ego langueo?* Hoc metri leges violare videtur Burmanno; et Pricæus ad Apul. Met. lib. X, p. 589, legit: « Sæva, ah! non cernis, quantum ego langueo ». Hoc quidem rectius, sed metrum sæpius in hoc carmine neglectum licet animadvertere.

IX.

AUSONII

EPHEMERIDIS CARMEN I, Προσφώνησις MATUTINA AD PARMENONEM SERVUM.

MANE jam clarum reserat fenestras;
Jam strepit nidis vigilax hirundo:
Tu velut primam mediamque noctem,
Parmeno, dormis.

Dormiunt glires hiemem perennem,
Sed cibo parcunt: tibi caussa somni,

1. *Mane jam clarum*. Sumptum ex Persii Sat. III, 1: « Jam clarum mane fenestras Intrat, et angustas extendit lumine rimas ». Conf. Sept. Sereni fragm. VII.

2. *Vigilax hirundo*, quia mature evigilat et primo diluculo incipit strepere. Hinc *garrula luce chelidon* dicebatur supra El. XIII, 11, 17. —Et hinc intelligendus Virg. Æn. VIII, 455: « lux suscitat alma, Et matutini volucrum sub culmine cantus ». Sic et Prudent. Cathem. I, 13: « Vox ista, qua strepunt aves Stantes sub ipso culmine, Paullo ante quam lux emicet ». Ed.—Ausonio hirundo diem nuntiat; Simulo in Moreto *excubitor ales* gallus, v. 2. Vocabulo *vigilax* usus est Columella VIII, 12, de canibus: « Maxime autem debent in custodia vigilaces conspici ». Ovidius *curas vigilaces* dicit Metam. II, 779.

4. *Parmeno*. Nomen servi e Terentii Comœdiis sumpsit, ut alias Getæ celebratur, ex iisdem. Non igitur, ut Floridus putat, apposite confictum pigro famulo, quasi a græco παραμένειν, permanere, cessare.

5. *Dormiunt glires*. Sic Mart. XIII, 59, de glire: « Tota mihi dormitur hiems, et pinguior illo Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit ». Hieronymus in Ruf. Apol. 3: « An in morem glirium torpentes consopitæque dormirent ».—Hinc in Excerpt. Pith. *glirius*, somnolentus. Ed

Multa quod potas, nimiaque tendis
Mole saginam.

Inde nec flexas sonus intrat aures;
Et locum mentis sopor altus urget,
Nec coruscantis oculos lacessunt
Fulgura lucis.

Annuam quondam juveni quietem,
Noctis et lucis vicibus manentem,
Fabulæ fingunt, cui Luna somnos
Continuarit.

Surge, nugator, lacerande virgis;
Surge! ne longus tibi somnus, unde

7. *Multa quod potas.* Sic Persius, III, 3: « Stertimus, indomitum quod despumare Falernum Snfficiat, quinta dnm linea tangitur umbra ».

8. *Tendis mole saginam.* Tollius credit scriptum ab Ausonio fuisse *nimiaque cædis mole saginam*, quia *saginam cædere* phrasis Plauto, Marcellino et Symmacho usitata est. Sed huic loco non convenit: nam obesitatem et segnitiem ex ingluvie notat, ut Hor. Serm. II, 5, 40, « pingui tentus omaso », et Juven. IV, 67, « stomachum laxare saginis » dicitur. Vide Sulpiciæ satiram, v. 36.

10. *Locum mentis.* Caput, cerebrum.

13. *Annuam quondam.* Quam *annuam* quietem dicit, opponit nocturnæ, et significat, per totum annum et plures, sine vicibus diei et noctis, continuatam. *Annuum* subinde pro annoso vel longævo dici, testantur Glossæ veteres. Igitur hic non de uno anno loquitur, quod existimant interpretes. Nam per triginta annos, et plns adeo, Endymionem dormiisse fabulantur, cui hunc somnum conciliasse Luna, vel Diana, ejus amore capta, dicitur, quo facilius liberinsque eo potiretur. Apollodorus, lib. I, § 5, Calyces et Aethlii filium dicit, et narrat Lunæ rogatu ab Jove cum somno perpetuo immortalitatem accepisse. Conf. Cicer. Tusc. Quæst. lib. I, c. 38. Martial. X, 4, 4: « Quid tibi dormitor proderit Endymion »; et vid. notata nostra ad Auson. Cup. cruc. v. 40.

18. *Ne longus tibi somnus.* Somnus nempe mortis, de quo Catulli Carmen V.: « Nox est perpetua una dormienda ». Verba ipsa sunt Hypermnestræ maritum monentis, quum cæteræ sorores suos conjuges interficerent, apud Horat. Carm. III, 11, 37: « Surge, quæ dixit juveni

Non times, detur: rape membra molli,
Parmeno, lecto.

Fors et hæc somnum tibi cantilena
Sapphico suadet modulata versu.
Lesbiæ depelle modum quietis,
Acer Iambe.

marito, Surgo, ne longus tibi somnus, unde Non times detur: socerum et scelestas Falle sorores ».

19. *Rape membra molli*; celeriter surge. Contra Simulus in Moreto, v. 5, « Membra levat sensim vili demissa grabato ».

23. *Lesbiæ quietis*, quam conciliat suavitas versuum Sapphicorum, vel Lesbii carminis. — *Modum*, carmen vel modulationem. — *Lesbii* exstabat in exemplari Vineti, sed *Lesbiæ* correxit Scaliger.

24. *Acer Iambe*: nempe qui aptus est iræ et rabiei. Horat. Art. Poet. 79: « Archilochum proprio rabies armavit Iambo ». Statius, Silv. II, 2, 115: « seu dissona nectit Carmina, sive minax ultorem stringit Iambón ». — Terentianus Maurus, de Metris: « Adulta felle qualis ante carmina Dabas amarus, ultor impetus tui ». Horat. Carm. I, 16: » Me quoque pectoris Tentavit in dulci juventa Fervor, et in celeres Iambos Misit furentem ». Hinc et ἰαμβίζειν pro λοιδορεῖν, contumelia adficere, dixere Græci, teste Proclo in Crestomathia: cui contrarius Mart. Capella, qui lib. IX, Iambum ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν dictum putat. Ed.

X.

PENTADII

DE VITA BEATA *.

Non est, falleris, hæc beata, non est,
Quod vos creditis esse, vita non est:
Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut testudineo jacere lecto,

* Pentadii nomine inscribitur apud Pithœum, lib. I, p. 28, edit. Lugd. A Scaligero Catalect. lib. I, p. m. 192, annectitur epigrammatibus de vita tranquilla, solo verbo *Item* præposito, sicut in cod. Voss. et schedis Scaligeri cum titulo *de eodem* sc. argumento. Sed in Catalectis Petronianis, et in Burm. Anthol. lib. III, 93, exstat sub titulo *Pentadii de vita beata*, quod e conjectura esse videtur. Nam ab aliis Petronio adscribitur non inepte. Certe melioris ætatis poema esse videtur, quam est Pentadius. — Dedit etiam Jo. Frid. Christius in Excursu ad Villaticum, p. 266. Ed. — Imitatio Horatiani carminis in nonnullis phrasibus apparet, et lyricum adeo poetam agere voluit Grammaticus, quisquis fuit. Argumento et metro valde convenit Martialis, lib. X, epigr. 47.

2. *Quod vos creditis. Quos* est in Voss. cod. et sched. Scalig. sed in margine illarum *Quod.* Heinsius et Francius volebant *quam.* Sed neutrum *quod* sæpe præmittitur, sequente feminino vel alio genere. Ovid. Rem. 10: « Et, quod nunc ratio est, impetus ante fuit ».

3. *Videre gemmas.* Pithœus in margine notavit legendum *virere*, quomodo in prima ed. Scaligeri, ejusque schedis. Heinsius conjiciebat *nitere* vel *subire*. Sed nihil mutandum. *Videre* hoc loco est cum superbia videre, et aliis, ut admirentur, spectandum præbere. Qualis ostentator annuli Trimalchio describitur apud Petron. c. 32: « Habebat etiam in minimo digito sinistræ manus annulum grandem subauratum, etc. » Annotavit Bronckhusius ad Tibull. I, 7, 25, usitatum Veteribus fuisse inter confabulandum, annulum spectandum dare et vicissim rogare. Plaut. Asinar. IV, sc. 1: « Spectandum ne cui annulum det, neque roget ».

4. *Test. lecto*, cujus sponda testudine vestita vel distincta est. Plin.

Aut pluma latus abdidisse molli,
Aut auro bibere, et cubare cocco,
Regales dapibus gravare mensas,
Et quidquid Libyco secatur arvo,
Non una positum tenere cella:
Sed nullos trepidum timere casus,
Nec vano populi favore tangi,
Et stricto nihil æstuare ferro.

lib. IX, c. 11 : « Testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria bis vestire, Carbilius Pollio instituit ». Ovid. Met. II, 737 : « ebore et testudine cultos thalamos » dicit. Ingeniosæ hujus luxuriæ plura exempla produxit Brouckhusius ad Tibullum, III, 4, 37.

5. *Pluma l. abdidisse molli*, h. e. pulvino ex plumis mollibus farto. De lectica usurpat Juven. I, 158 : « vehatur pensilibus plumis ».

7. *Regales mensas* : sic Virg. Æn. I, 686, et Ovid. Met. VI, 488 : « Regales epulæ mensis, et Bacchus in auro Ponitur ». Pro *gravare* Virg. *onerare* Georg. IV, 378 : « Pars epulis onerant mensas, et plena reponunt Pocula ».

8. *Quidquid Libyco secatur arvo*. In Scal. ed. et in cod. Voss. *auro* erat vitiose, quod tamen ipse Scager correxit, et Pithœus recte edidit *arvo*. Manifeste his verbis imitatus est Horat. Carm. I, 1 : « si proprio condidit horreo Quidquid de Libycis verritur areis » : quod et Seneca fecit in Thyeste, v. 356 : Non quidquid Libycis terit Fervens area messibus ». — Africa nempe et præcipue Ægyptus frumenti ferax. Itaque sæpius pro Ægypto Libyam dici a Veteribus notandum est. Testantur inprimis Pompeiorum Epitaphia quæ ad Anthol. Lat. II, 26 seqq. collegit Burmannus sec. Horum enim primo, « Magne, premis Libyam », manifeste per Libyam intelligenda est Africa, ut monuit Delrius ad Senecam, Hercul. OEt. v. 1103. Et sic Epigr. xxix : « Membra pater Libyco posuit male tecta sepulcro ». Dissentit tamen, et erroris absolvi non posse ita Ægyptum designari notat vir doctus in Misc. Observ. vol. V, t. III, p. 68; et vid. Claver. ad Claudianum, Bell. Gild. init. Ed.

9. *Non una cella*. *Cellam* recte Titius exposuit de horreis, ubi frumenta et similia condebantur. Ed.

11. *Nec vano populi*. Sic Seneca in Thyeste, 348 : « Rex est, qui posuit metus, Et diri mala pectoris : Quem non ambitio impotens, Et numquam stabilis favor Vulgi præcipitis movet ». Conf. Horat. Carm. III, 3.

12. *Et stricto nihil æstuare ferro*. Seneca ibid. « Quem non lancea militis, Non strictus domuit chalybs ». Sed propter verbum *æstuare* mihi respicere videtur ad illum hominem, cujus cœnantis supra caput Dionysius tyrannus strictum ensem e laqueari suspendebat, qui impendente gladio quantum æstuaverit

Hoc quisquis poterit, licebit illi
Fortunam moveat loco superbus.

animo, narrat Cicero Tuscul. V, 21, et tangit Horat. Carm. III, 1, 17: « Districtus ensis cui super impia Cervice pendet, etc. »

13. *Licebit illi.* Barthius Advers. XXI, 13, in fine, legit *licebit ille Fortuna;* et dicit inepte circumferri *Fortunam:* sed sensum commodum huic lectioni desidero. Rectius cel. Oudendorpius legebat ac distinguebat: « licebit, ille Fortunam moveat, etc. « ut conveniat voci *Superbus;* ita enim solebant Veteres. Ovid. Met. III, 404, « amet iste, licet »; et Am. III, « liceret, Femina mendaci falleret ore ». Vid. Burmanni notæ ad Virg. Æn. VI, 402. Aliter Latini dicunt *licebit illum movere*, ut patet ex ejusdem notis ad Lucan. X, 461, et Miscell. Observ. Nov. vol. I, tom. II, p. 67. Ed. — *Loco movebit* est vincat, dejiciat, fuget. Optime Boethius, Consol. Phil. lib. I, metr. 4: « At quisquis trepidus pavet vel optat..... Abjecit clypeum, locoque motus Nectit, qua valeat trahi, catenam ». — Sic *mota loco* apud Ovid. Met. V, 498; et *sede movere*, de quo vid. notæ ad Met. XI, 554. Apud eumdem, Epist. VI, 88: « Illa loco silvas vivaque saxa movet »; ubi tamen Heinsius *trahit* ex codicibus præfert. *De statu movere* et *loco labefacere* in versibus Laberii Mimi, Anthol. Lat. III, 101, 6: « Quem... nulla auctoritas Movere potuit in juventa de statu, Ecce in senecta ut facile labefecit loco, etc. » Ed. — Barthius Comment. ad Claud. IV Cons. Hon. 260, mutare vult *moveat joco;* male.

XI.

SULP. LUPERCI SERVASTI JUNIORIS *

DE VETUSTATE.

OMNE quod Natura parens creavit,
Quamlibet firmum videas, labascit
Tempore, ac longo fragile ac caducum
Solvitur usu.

Amnis insueta solet ire valle,
Mutat et rectos via certa cursus,

* Hæc est inscriptio apud Pithœum, lib. I, p.ª m. 26. SULPITII SERVASTI JUNIORIS apud Scalig. lib. I, p. 232, addito titulo *de vetustate;* quem sequitur Burmannus, Anthol. III, 97. De eo Sulpicio Luperco plura diximus in procemio ad Elegias. Tractatur hic locus de vetustate omnia mutante et consumente, e variis exemplis et phrasibus aliorum poetarum, more Grammaticorum, collectus.

2. *Labascit*, ruit, corrumpitur, deficit.

3. *Tempore, ac longo*. Heinsius volebat *Tempore, et longo*, vel *Temporis longo : et caducum* Voss. et Scal. codd.

5. *Insueta valle* videtur pro alveo positum. Ovid. Met. XV, 266 : « Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum Fecit ». Et per metaphoram Quint. Inst. Or. V, 14, 31, de eloquentia : « non, uti fontes angustis fistulis colliguntur, sed, ut latissimi amnes, totis vallibus fluat ».

6. *Mutat et rectos*. Sic Horat. in Arte Poet. 67 : « Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis ». Quem locum respexisse videtur Sulp. Lupercus, et, qui illi plane geminus est, Ovid. Met. XV, 261 seqq. « sic toties versa est fortuna locorum. Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus, Esse fretum, etc. »

Rupta quum cedit male pertinaci
Ripa fluento.

Decidens scabrum cavat unda tophum,
Ferreus vomis tenuatus agris
Splendet, ac trito digitos honorans
Annulus auro.

7. *Rupta quum cedit*. Pithœus in notis *concedit*.

9. *Cavat... tophum*. Tophus dicitur esse, quem Plinius *porum* vocat lib. XXXVI, 17. Hic *scaber* vocatur propter lapidis asperitatem, ut Virg. Georg. II, 214: « Et tophus scaber, et nigris exesa chelydris Creta ». Vid. not. ad Calpurn. VI, 68. Sumpsit hæc Lupercus ab Ovid. Art. Am. I, 475: « Quid magis est saxo durum? quid mollius unda? Dura tamen molli saxa cavantur aqua ». Præcedit ibidem exemplum vomeris et annuli, quæ hic sequuntur. Tria hæc ipsa conjungit Ovidius ex Pont. IV, 10, 5: « Gutta cavat lapidem, etc. » Conjungit etiam Lucretius, lib. I, 313: « Annulus in digito subter tenuatur habendo: Stillicidi casus lapidem cavat: uncus aratri Ferreus occulte decrescit vomer in arvis ». Ex his perspicitur, quantum exscripserit Lupercus antiquiores.

10. *Tenuatus agris Splendet, ac trito*. Sic ediderunt Pithœus et Scaliger. Sed *tenuatur* est in cod. Voss. et *adtrito* habet cod. Scal. item Voss. ut notaverat Heinsius. Hinc multo rectius cum Burmanno lego: « Ferreus vomis tenuatur agris; Splendet attrito digitos honorans Annulus auro ».

XII.

FOCÆ GRAMMATICI,

DE HISTORIA, PRÆFATIO AD VITAM VIRGILII *.

O VETUSTATIS memoranda custos,
Regios actus simul, et fugaces
Temporum cursus docilis referre,
Aurea Clio.

Tu nihil magnum sinis interire
Nil mori clarum pateris, reservans
Posteris prisci monumenta sæcli
Condita libris.

Sola fucatis variare dictis

* Exstat in Scaligeri Append. Virgil. pag. 135; apud Pithœum lib. II, p. m. 45, et in plerisque vetustioribus Virgilianorum Catalectorum editionibus: in Burmanni Anthol. Lat, tomo I, p. 362. De auctore Foca egi in procemio. Laudem Historiæ persequitur, et Musam Clio vocat in auxilium scribendæ vitæ Virgilii, quasi imitaturus Horatium, qui Carm. I, 12: « Quem virum, aut heroa, lyra, vel acri Tibia sumes celebrare, Clio». In eo argumento propositum sibi habuisse, et latius exposuisse videtur illustre Historiæ elogium, quod est apud Cicer. de Orat. lib. II, cap. 9.

1. *Vetustatis memoranda custos.* Ciceroni *nuntia vetustatis.*

2. *Regios actus*, h. e. *Res gestas regumque ducumque et tristia bella* Horat. Art. Poet. 73.

3. *Temporum cursus docilis referre.* Ciceroni *testis temporum.*

6. *Nil mori clarum pateris*, etc. Hoc est, quod Cicero ait, *vita memoriæ.*

9. *Fucatis variare dictis*, h. e. interpolare, distinguere, ornare, fictis ad fucum inducendum rebus verbisque, *paginas*, scriptum vel orationem. Eo sensu Hor. in Arte

Paginas nescis; sed aperta quidquid
Veritas prodit, recinis per ævum
Simplice lingua.

Tu senescentes titulos laborum
Flore durantis reparas juventæ:
Militat Virtus tibi: te notante
Crimina pallent.

Tu fori turbas, strepitusque litis
Effugis dulci moderata cantu;

Poet. 29: « Qui variare cupit rem prodigialiter unam ». Cæterum *Solam*, scil. Musarum, Clio esse dicit, quæ paginas nesciat fucatis dictis variare, quia Historiæ præest; reliquæ Musæ fere poesi et fictionibus rerum serviunt, eaque re dissident ab historia, quod fatetur Ovid. Am. III, 12, fin. « Exit in immensum fecunda licentia vatum, Obligat historica nec sua verba fide ».

11. *Veritas prodit*, etc. His dilatat, quod Cicero duobus verbis prodit, *lux veritatis*.

13. *Tu senescentes*, evanescentes tempore, et brevi perituros *titulos*, indicia, testimonia, memoriam *laborum*, factorum atque operum, *reparas flore durantis juventæ*: renovas et quasi recentes facis, ut durent. Simili phrasi utitur Ovidius, Metam. VII, 215: « per quos renovata senectus In florem redeat, primosque recolligat annos ».

15. *Militat Virtus tibi*. Quidquid peragit Virtus, id tibi materiam dicendi præbet. — *Te notante*, h. e. castigante et vituperante, quod verbum proprie de criminibus dicitur, sicut *notæ* de censura et ignominia. Horat. Serm. I, 3, 24: « Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari ». Vell. Paterculus, II, 64: « Hæc sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonii memoriæ notas inussit ». — Immo simpliciter *notare*, nota afficere, ut *nobilis* et *nota* mulier apud Ciceronem pro Cœlio, 13, et Verr. I, 13, pro turpi et apud omnem populum infami sumitur. Sic Ovid. Epist. II, 146: « Inscribere meo caussa invidiosa sepulcro, Aut hoc aut simili carmine notus eris ». En. — De verbo *notare* videatur Gronov. ad Liv. XXVII, 25, et Brouck. ad Propert. III, 6, 52. Ed. — In Pithœi edit. Genevensi et Lugd. vitiose impressum est *te non ante*. Cæterum hoc loco exposuit Focas, quam Cicero dicit *magistram vitæ* historiam, et hactenus omnia ejus elogia persequutus est.

17. *Strepitusque litis Effugis*; etc. h. e. Tuum orationis genus non est illud contentiosum et concitatum, quo utitur eloquentia forensis; sed moderatum, placidum, dulce. — *Cantu* non de carmine accipiendum, sed de numero et sono. Indicat diffe-

Nec retardari pateris loquelas
Compede metri.

Hic fave dictis : retegenda vita est
Vatis Etrusci, modo qui perenne
Romulæ voci decus adrogavit
Carmine sacro.

rentiam styli historici ab oratorio, sicut in sequentibus a poetico. — Et *cantum* historicis tribuit Antonius ad Ciceronem, de Orat. II, 14, ubi ait : « Quum istos libros (historicorum veterum) studiosius legerim, sentio orationem meam illorum cantu quasi colorari ». Sed forte hoc loco legendum est *tactu*. Ed. — Pro *moderata* Tollius voluit *modulata*.

21. *Hic fave dictis*. Idem Tollius *Hoc* vel *His*. — *Retegenda*, exponenda, explicanda est.

22. *Vatis Etrusci*. Videtur Mantuam, Virgilii patriam, errans adscripsisse Etruriæ, qui et in ipsa Vita, v. 5 : « Æmula Virgilium tellus nisi Tusca dedisset ».

23. *Romulæ voci*, Romanæ eloquentiæ. Sic *Romulæ genti* Horat. Carm. sæc. v. 47. — *Decus adrogavit*, etiam hæc phrasis Horatiana, Carm. IV, 14, 40.

XIII.

PROSPERI TYRONIS

EXHORTATIO AD CONJUGEM *.

AGE jam, precor, mearum
Comes irremota rerum,
Trepidam brevemque vitam
Domino Deo dicemus:
Celeri vides rotatu
Rapidos dies meare,
Fragilisque membra mundi
Minui, perire, labi.
Fugit omne, quod tenemus,
Neque fluxa habent recursum,

* Ita inscriptum fuisse hoc carmen, significat Beda in libro de Arte metrica.

2. *Comes irremota*, assidua, indivulsa. Prudentius, Perist. V, 408: « Hoc munus implet sedule, Et irremotus excubat ». Sic *indivulsum comitem* domini servum vocat Macrob. Sat. I, 11. — Similiter in Epitaphio Nymphii in Burm. Anthol. Lat. IV, 206, de Serena uxore: « Hæc individui semper comes addita fulcri, Unanimem tibi se lustra per octo dedit ». Ed.

3. *Trepidam*, miseriis et calamitatibus multis obnoxiam, eoque semper metuentem.

5. *Celeri vides rotatu*. Sic Seneca, Hercul. fur. 178: « Properat cursu vita citato, volucrique die Rota præcipitis vertitur anni ».

9. *Fugit omne, quod tenemus*. Sic exemplaria Paulini et Prosperi. Sed in Beda Putschii corrupte legitur: *Fugit hora nec hodie nemus*. Martial. lib. I, 16: « Gaudia non remanent, sed fugitiva volant ».

10. *Neque fluxa habent recursum*, h. e. quæ semel effluxerunt, redire vel recuperari nequeunt. Ovidius, Metam. IX, 593: « Obruor Oceano, neque habent mea vela recursus ». —Eodem sensu Eleg. de Fort. viciss. v. 53, sup. pag. 302: « pereunt mi-

Cupidasque vana mentes
Specie trahunt inani.
Ubi nunc imago rerum?
Ubi sunt opes potentum?
Quibus occupare captas
Animas fuit voluptas?

seri, quos vitæ fructus ademptus Deseruit, nulla post reparandus ope». Ovid. Art. Am. 63: « Nec quæ præteriit, iterum revocabitur unda, Nec quæ præteriit hora redire potest». Sæpius in similibus a poetis *renovare*, *revocare*, et *reparare* usurpatur. Ed.

11. *Cupidas vagasque mentes:* sic exemplaria Prosperi: Bedæ tamen liber habet *Cupidasque vana mentes;* quod præfero, quia sequens *trahunt* aliud subjectum requirit. Sed in versu sequenti apud Bedam *spe* vitiose legitur pro *specie*.

13. *Imago rerum*, species et splendor, qui fallit. Ovid. Metam. XV, 259: « Nil equidem durare diu sub imagine eadem Crediderim ».

15. *Occupare captas*. Verborum sane insuavis collisio: nam quis non *occupare* e *capere* conflictum sentit? Unde conjiciam pro *captas* legendum *raptas*, et sæpe in similibus librarii, eadem confusione, peccaverunt. Ita *Milvius raptor*, Phæd. Fab. I, 31; et *Aquila raptor*, Valer. Flacc. I, 160, ubi quidam codd. *captor*, quod dubito an Latio veteri fuerit cognitum. Et me hic quoque offendit usus verbi *occupare* pro detinere, demulcere, quod apud bonos scriptores hoc sensu difficile invenitur. Ed.

16. *Fuit voluptas*. Exemplar meum Prosperi habet *voluntas*, minus recte; in margine tamen *voluptas*, ut in aliis.

XIV.

LINDINI

DE ÆTATE *.

VITAM vivere si cupis beatam,
Et votis Lachesis dabit senectam;
Annos ludere te decem decebit,
Viginti studiis dabis severis,
Triginta pete litium tribunal,
Quadraginta stylo polita dicas,
Quinquaginta velim diserta scribas,
Sexaginta tuo satis fruaris,
Septuaginta velis venire mortem,

* Lindini hoc poematium, quamvis exiguum, et nullo ingenio seriptum, admisi in collectionem meam, quia auetor, alias ignotus et ineertæ ætatis, hoe saltem mereri videbatur, ut nomen ejus inter poetas minores servaretur. E schedis Salmasianis et Divionensibus, ineditum ante, protulit Burmannus, Anthol. Lat. lib. III, epigr. 194.

1. *Vitam vivere si eupis*. Sic dedit Burmannus. In schedis legebatur *Vitam si vivere cupis*, el in libro quodam Is. Vossii in Bibl. Leid. *vitam si vivere vis*, pro *velis*.

2. In Salmas. cod. legebatur *dabis*, el in Voss. corruptius admodum *Et votis lacessis dabis senectam.*

3. *Annos ludere*. Etiam hie Voss. contra metrum *Annos decem ludere te decebit.*

5. *Pete litium tribunal :* incipe caussas in foro agere. *Fori turbas strepitusque litis* vocabal Focas superiore earmine, v. 17, pag. 466 : sed quid uterque, si eonferas cum Virgilio, Georg. II, 502, *insanum forum;* eum Taeito, Annal. II, 6, *tabem fori;* eum Horat. Ovid. et tol aliis, *fori elamores, jurgia, caninasque contentiones* recte et eloquenter notantibus? En.

6. *Stylo polita dicas*. Burmannus conj. *ducas*. Idem fere, quod boc loco, dieitur de sequenli decennio; neque satis differunt *stylo polita dicas*, el *diserta scribas*. Apparet infantia poetæ.

Octoginta senes caveto morbos,
Nonaginta time labente sensu,
Centum nec puer unus adloquatur.

10. *Senes caveto morbos.* Voss. habebat *senex caveto morbos;* sed sched. Salm. *senes*, quod Burmannus edidit, et ego alteri præfero: *senes morbi* dicuntur seniles. Nam vocem *senex* vim adjectivi habere, atque idem significare, quod *vetus*, pluribus exemplis probavit Bronckhus. ad Tibull. lib. I, 7, 88. —Unde Burmannns in Epigramm. Senecæ apnd Pith. lib. I, pag. 44, legendum pntat: « Haud puer, baud ætas undique tuta senex »; et *senex* adjective sumptum arbitratur. Sed alii habent *senis;* et etiamsi *senex* legatur, non ideo firmior stabit Burmanni opinio, nam verisimilius per appositionem intelligeudum erit: senex cujus *ætas undique tuta;* quæ verba et ad præcedens *puer* possunt referri. Ed.

11. *Labente sensu.* Sic schedæ Divion. et Salmas. Heinsius tamen voluit *labante*, quod rectius. — *Labente*, h. e. evanescente, qnemadmodum Claudiano senectus dicitur *fraudata sensibus ætas*, Bell. Get. 521. Et sic Laberius Mimus apud Macrob. Saturn. lib. II, cap. 7, v. 3, « Quo me detrudit (necessitas) pæne extremis sensibus », ubi Oudendorpius *exemptis* vel *ereptis sensibus* legebat. Et melius conjiciebat Burmannus *externum* vel *extorrem sensibus*, ut *exsul mentis* Ovid. Met. IX, 409; gr. ἔξω φρενῶν. Ed.

12. *Unus adloquatur.* Voss. habuit *alloquetur.*

XV.

INCERTI

DE ARZUGITANO POETA *.

Præscissæ silicis cautibus edite,
Silvestri juvenis durior arbuto,
Trunco quum stupeas horridior, cupis
Formare e propriis carmina versibus,
Et metri variis ludere legibus.
Sed quis te docilem judicet artium,
Quas natura dedit cordis acutior.

* Exhibet Pithœus in fine libri II, p. m. 68, mendose inscriptum *De Arzugitanc vetæ*, quod idem et in notis corrigit, ut ipsi dedimus. In schedis Salmas. non minus mendose scriptum erat *dc Arzucitanoe vetc*, unde forte rectius scribatur *de Arzugitano vate*. Est vero is Africanus. Nam *Arzugum* regio dicitur Tripolitana provincia, ubi Leptis magna civitas est, teste Paulo Orosio, lib. I, cap. 2, pag. 30, edit. Haverc. Notavit quædam ad hoc epigr. Barth. Adv. lib. XV, c. 21, qui hoc ab Afro poeta scriptum esse dicit in durum et ineptum poetam, Asclepiadeo metro; non quidem et ipsum nimis molle.

1. *Præscissæ silicis :* dictum pro *præruptæ*. Burmannus tamen e codice Salmasiano legendum censet *Præcisæ*. Virg. Æneid. VIII, 233 : « Stabat acuta silex præcisis undique saxis ».

2. *Silvestris* edidit Pithœus, sed ipse emendavit *Silvestri*, idque confirmatur a cod. Salmas.

3. *Trunco quum stupeas horridior.* Allusum ad proverbium, quo stipites, caudices, trunci dicuntur hebetes ingenio et stupidi homines. Cic. in Pison. cap. 9 : « Sed qui tamquam truncus et stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus ».

4. Apud Pithœum legitur *Formare propriis*, et Barthius putavit litteras *pr* hic positionem facere. Sed emendatio Heinsii, quæ se facillime offert, et a Burmanno admissa est, *Form. e propr.* vetat ad licentiam poeticam confugere.

7. *Quas natura dedit cordis acutior.* Pithœus mendose edidit *cordis*

Solis ligna dolans fortibus asciis,
Et duri resecans robora pectoris,
Vatem te poterat reddere ligneum,
Qui vaccam trabibus lusit adulteris,
Vel qui struxit equum fraudis Achaicæ.

auctior. Quod varie tentavit Barthius, primo scribens, licet contra omnes regulas sit, *cordatioribus*, dein suadens *cordis habentior*. Oudendorpius etiam conjecit *cordibus auctior*. Sed codicis Salm. scriptura *cordis acutior*, quæ ipsius corruptæ lectionis vestigia servat, literis tantum transpositis, omnem dubitationem tollit. Hanc igitur ipsi dedimus. Affine huic locutioni est, quod Martial. VI, 64, 16, ait: « Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva Acrius ».—Et Avienus, Descript. Orb. Terr. v. 1088 : « Incola claris Cor studiis acuit, sed et amplius imbuit ordo ». Ed.

8. *Solis ligna dolans*. Non est dubium, legendum esse, ut Heinsius conjecit : *Solus ligna dolans fortibus asciis, Et duri resecans robora pectoris*. Ablegat hominem ad fabrum lignarium, qualis Dædalus vaccæ ligneæ, et Epeus equi Trojani fabricator fuit, ut ex eo, quem truncum esse ait, vatem ligneum, h. e. statuam poetæ ligneam faciat. Simili convicio Auson. epigr. 45, Rufum rhetorem suæ statuæ simillimum facit. Quod autem Barthius putat, his versibus videri ad initiales ritus, tironibus studiosorum coborti adoptandis adhibitos, alludi, ideoque longe recentius hoc epigramma, quam Pithœus putet, esse suspicatur, in eo videtur nimium opinationi indulgere.

10. *Reddere ligneum*. Similis est acerbitas Juvenalis in hominem stupidum quem adsimilat trunco Hermæ, Sat. VIII, 52 seq. « at tu Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ : Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod Illi marmoreum caput est, tua vivit imago ». Ed.

11. *Vaccam*. De hac supra egimus ad Rufini fabulam Pasiphaes. — *Lusit*, dolo machinatus est. — *Adulteris*, quæ adulterio locum facerent. Ausonius, Cupid. cruc. v. 34, de Pasiphae : « Dædaleæ pudet hanc latebras subiisse juvencæ ».

12. *Equum fraudis Achaicæ* : qui dolo Græcorum fabricatus est, ut per eum Trojam caperent. Sic Petronius in Trojæ halosi, de Græcis equo inclusis : « Ibat juventus capta, dum Trojam capit, Bellumque totum fraude ducebat nova ». Conf. quæ diximus ad Pentadii Eleg. de Fortuna, v. 13, sup. p. 316. Ed.

XVI.

INCERTI

IN ALEXANDRUM MAGNUM *.

MILLE post annos quater atque centum,
Græciæ vindex capit arma, mundi
Et superborum gravis arma Regum
Diripit audax.

Ille non magno genitore Magnus
Indiæ Reges Mediæque, Parthos,
Bactra cum Poro, Ecbatanosque parvo
Milite vicit.

* Hoc ignobilis poetæ et ævi Sapphicum primus e priscis membranis in lucem edidit Barthius, Advers. lib. LVI, cap. 14, sed mendis hic et illic corruptum, locis quibusdam suspectis asterisco notatis. Ex eo repetiit Burmannus, Anthol. Lat. lib. II, num. 17: unde et nos ei locum inter Lyrica extremum dedimus.

1. *Mille post annos quater atque centum*. Puto ab orbe condito.

2. *Græciæ vindex*. Nam se *toties a Persis petitæ Græciæ ultorem* ferebat, ut ait Justinus, lib. XI, 5, 6.

3. *Gravis arma*. Asteriscum tamquam mendo apposuit Barthius, et *gravis* vix stare potest, quum *audax* sequatur. Lego igitur *gravia arma*, i. e. potentia et perniciosa, ut *graves Principum amicitias et arma* dixit Horat. Carm. II, 1, 3. — Sic etiam corrigit Antonius *de Rooy* in Spicil. Crit. cap. 22, pag. 158, et *gravia* interpretatur noxia ac metuenda; additque Horatii locum Carm. I, 2, 22: « Audiet cives acuisse ferrum, Quo graves Persæ melius perirent ». ED.

5. *Ille non magno*: forte *de magno genitore Magnus*.

7. *Ecbatanosque*, quasi nomen populi, barbarum videtur. *Ecbatana* erant urbs et caput Mediæ. Possis legere *Ecbatanamque*: nam eo genere nonnunquam Romani

Vincere ingentes animis et ausis,
Non docens gentes numero et metallo,
Vi celer, virtute valens, profundo
Pectore doctus.

Hoc magister te docuit ministrum:
Nam volens parere, regit deinde;
Pœnitet tempus abiisse tantum
Absque Camena.

Scribit in pectus bona dicta rector,
Præcipit doctor pietate tota:
Sic Alexander simul et magister
Omnia vincunt.

Ast ubi totum tenuit sub uno
Orbem habens sceptro, sibi victus ipse
Corruit: vicit Babylon triumpho
Te muliebri.

Sic Clitum ad Bacchi necat * aram;
Sic Deum temnit juvenis protervus,

urbis nomen extulerunt. Lucilius apud Non. Marcell. XIII, 4: « Ad regem legatus Rhodum, Ecbatanam ac Babylonem Ibo ».

13. *Ministrum* posuit pro discipulo, contra usum.

14. *Regit deinde.* Trisyllabum *deinde*, prima correpta, contra usum meliorum poetarum est.

17. *Scribit in pectus.* De studiis Alexandri juvenis Justinus, XII, 16: « Puer acerrimis literarum studiis eruditus fuit. Exacta pueritia per quinquennium sub Aristotele, doctore inclyto omnium Philosophorum, crevit ». Plura de his Plut. Orat. de fortuna Alexandri.

23. *Vicit Babylon triumpho Te muliebri.* Nam, ut Justinus, l. c. pronuntiat, « Victus ad postremum est, non virtute hostili, sed insidiis suorum, et fraude civili »; addo etiam otio et luxuria, cui indulgebat Babylone. Juvenal. X, 171: « Quum tamen a figulis munitam intraverit urbem, Sarcophago contentus erit ».

25. *Ad Bacchi necat * aram.* Commode Barthius hanc lacunam explet *necat udus aram*, ut udus sit pro ebrio, ut sæpe: de quo vide Heius. Advers. lib. II, 10, p. 100.

Ut duos et jam decem habens reliquit
Sceptra per annos.

Ter decem vixit juvenis per annos,
Additis tantum tribus aut duobus:
Vivus exarsit, moriens flagravit
Orbis in illo.

Non satis mundus fuit unus illi,
Nec satis quisquam fuit unus illi:
Maximus princeps sine fine, Baccho
Finis in ipso est.

Ad Bacchi aram dicit, quia inter epulas et vina Clitum sua manu interfecit. Vid. Curt. VIII, 1.

27. *Ut duos et jam. Ut* videtur positum pro *quum* vel *quando*. Sed totius strophæ compages valde inepta est. Vult Alexandrum decessisse, quum XII annos regnavisset.

30. *Tribus aut duobus.* Annos Alexandri non definit, qua in re et veterum scriptorum sententiæ discrepant. Arrianus, VII, 15, ei annos vitæ 32, mens. 8 tribuit; Livius IX, 19, et XLV, 9, annos 31; Cicero, Philipp. V, 17, vitæ annos 33 adsignat, quibus Justinus, l. c. mensem addit; Eusebius 32 annos dat ætati, 12 imperio. Ne plures nunc commemorem.

31. *Vivus exarsit.* Corruptissimus locus est, seu potius inscite ineptque compositus. Sententia apparet, vivo Alexandro exarsisse orbem bello, moriente deflagrasse. Sed hæc verba quum non caperet metrum, nec aliter fingere ineptus poeta posset, pro Alexandro orbem vivum et morientem dicere coactus est. Possis fortasse emendare: « Arsit hoc vivo, moriente flagrat Orbis in illo ». Burman. tentat: *Quo vivo exarsit, moriente flagrat*. Sed vitio in metrum. En.

33. *Non satis mundus.* Juven. X, 168: « Unus Pellæo juveni non sufficit orbis: Æstuat infelix angusto limite mundi », etc.

34. *Nec satis quisquam.* Nisi corruptus est versus, sic explica: Non contentus uno hoste fuit, sed plures ausus est lacessere. Hoc ipsum Scytharum legati Alexandro objiciunt, Curt. VII, 8.

35. *Maximus princeps*, etc. Etiam hæc insulsa et male compacta. Sensus esse videtur: Ille princeps, qui nullos victoriarum suarum terminos inveniebat, finem ipse invenit in ebrietate.

INCERTI AUCTORIS,

FORTASSE

L. ANNÆI FLORI,

CARMEN DE VERE

SEU

PERVIGILIUM VENERIS,

E CODICE ANTIQUO

CL. SALMASII

ET RECENSIONE

PET. SCRIVERII.

DENUO CASTIGATUM ET PERPETUA ADNOTATIONE ILLUSTRATUM.

PROOEMIUM

DE

PERVIGILIO VENERIS

APUD ROMANOS CELEBRATO,

ET

DE CARMINE

QUOD EI PERVIGILIO DICATUM EST.

Carmen hoc venustissimum, tanto eruditorum studio exceptum et explanatum, de quo vere pronunties illud Theocriti οὐκ ἔαρ γλυκερώτερον, eo lubentius volui hoc Poetarum minorum fasce referre, quod ei nondum contigisse videbam, ut prioribus illis et majoribus veterum poematum collectionibus insereretur. Retuli autem inter Lyrica, vel potius ad calcem Lyricorum apposui, quod nonnullam ei similitudinem putabam cum Horatii Carmine sæculari intercedere, quod cæteris ejus carminibus adjunctum est, et pariter sacrum solenne Romanorum celebrat. Ante quam de ipso carmine dicam, conabor alia quædam declarare, quæ mihi videntur ad intelligentiam ejus, et judicium de eo ferendum, inprimis necessaria, sed adhuc ab eruditis aut animadversa parum, aut non satis pertractata. Inscribitur *Pervigilium Veneris*, agiturque de solenni anniversario, quod Veneris honori inter veris oblectamenta actum est; quod quale fuerit, nondum adhuc ex veterum Romanorum monumen-

tis satis ostensum esse arbitror. Quod si de ratione ejus sacri, de loco et tempore possint e Romana vetustate testimonia adferri, non dubium est, quin totum carmen inde egregie possit illustrari. Universe Pervigiliorum ratio non ita, ut aliorum sacrorum apud Romanos, declarata et aperta est, et loca non adeo multa et clara sunt, e quibus ea intelligatur. *Pervigilia* dicuntur, *vigiliæ* (1) et *nocturnæ pervigilationes* (2), Græcis παννυχίδες, παννύχια, παννυχισμοί, διαπαννυχιασμοί. Primitus et proprie Pervigilia Græcorum erant: Romani non nisi rara et sero receperunt. Quum enim per eorum occasionem multa fieri flagitia et stupra solerent, quod loci aliquot Veterum testantur (3), Romanorum mores pervigilia abhorrebant, et leges Romanæ sacrificia nocturna mulierum vetabant, præter illa, quæ pro populo rite fierent, ut scribit Cic. de Leg. lib. II, c. 9. Diserte Dion. Halic. Ant. Rom. lib. II, c. 19, in Romanis laudat, nulla apud eos Bacchanalia et mysteria occulta, aut vigilias nocturnas virorum cum mulieribus mixtorum in templis reperiri, οὐ βακχείας καὶ τελετὰς ἀποῤῥήτους, οὐ διαπαννυχιασμοὺς ἐν ἱεροῖς ἀνδρῶν σὺν γυναιξίν. Et quum Bacchanalia aliquando Romam essent invecta, nocturno virorum mulierumque celebrata conventu, auctoritate Senatus et severa Consulum animadversione sublata sunt, testantibus Cicerone, de Leg. lib. II, cap. 15, et Livio, lib. XXXIX, cap. 8 et 15. Quæ autem permissa erant Romæ, per solas matronas, viris non admissis, fiebant, nec ea Diis omnibus, sed tantum Deabus quibusdam, instituta videntur. Nota sunt *Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ*, Tibull. I, 6, 22; et Cereris, dubium an Junonis, apud Tacit. Annal. XV, 44, *Sellisternia et pervigilia celebravere feminæ, quibus mariti erant.* Hinc male Beroaldus de Apollinis pervigilio

(1) Ut *vigiliæ Cereris* in Plauti Prol. Aulul.

(2) Cicero de Leg. lib. II, cap. 15.

(3) Ut Plauti Prolog. Aulul. — Cic. de Leg. II, cap. 15. — Gellii, lib. II, cap. 23. — Arnob. lib. V, p. 173.

accepit verba Suetonii, Aug. cap. 94, quibus Atiam Augusti matrem *ad solenne Apollinis sacrum media nocte venisse* memorat. Quod enim Casaubonus ad hunc locum docet, neque Apollo Pervigilio cultus apud Romanos est, neque, si Atia ad sacrum media nocte venit, propterea Pervigilium celebravit, quia sacrorum publicorum caussa interdum ita facto opus erat, et maturius evigilandum, quod ipsum Augustum fecisse alio loco confirmat Suetonius, cap. 78. Incertum, cui Deo vel Deæ Pervigilium factum sit, quod Livius memorat lib. XXIII, cap. 35, sed certum etiam, quum apud Campanos factum sit, ad peregrinos ritus, non Romanos, pertinere. *Triduum sacrificatum ad Hamas. Nocturnum erat sacrum, ita ut ante mediam noctem compleretur. Huic Gracchus insidiandum tempori ratus, quum ad Hamas media nocte pervenisset, castra Campana, ut in pervigilio neglecta, simul omnibus portis invadit* (1). Quæ prætcrea apud Romanos Pervigilia memorantur, ea aut publica et sacra fuerunt, quorum hactenus exempla dedimus, aut privata, quæ a singulis peculiari Deo instituta, anniversaria vel fortuita, non tam sacri, quam hilaritatis et nequitiæ caussa, vix aliud quam pergræcationes et compotationes fuerunt (2). Tale erat Fortunæ Pervigilium apud Suet. in Galba, cap. 4: *Fortunæ simulacrum in parte ædium consecratum menstruis deinceps supplicationibus et pervigilio anniversario coluit.* Tale Pervigilium, quod Vitellius in Apennini jugis egisse dicitur, Sueton. Vitell. cap. 10: tale Pervigilium Priapi apud Petron. cap. 21. Et publica etiam Pervigilia, quæ serius,

(1) Vulgatum pervigilandi honorem in cæteros Deos, præter Venerem, fuisse dicit Lipsius, Elect. lib. I, cap. 5, pag. 35 edit. Oper. Crit. Antverp. 1585; sed parum accurate sic pronuntiat. Etenim publica et stata Pervigilia, apud Romanos certe, vix aliis quam Deabus quibusdam, celebrata esse, probari potest. Ed.

(2) Hac notione usurpat inprimis Tacitus, Hist. II, 68: « Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, Pervigiliis ac Bacchanalibus, quam disciplinæ et castris, propiora ».

et sub Imperatoribus demum introducta sunt, non videntur alia fuisse, quam solennia hilaritatis et luxuriæ tempora, sive partes eæ sacri publici, quæ cantu, saltatione, mimorum et histrionum spectaculo peragebantur. Id potissimum colligo e verbis Suetonii, in Calig. cap. 54 : *Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret. Nec alia de caussa videtur eo die, quo periit, Pervigilium indixisse, quam, ut initium in scenam prodeundi licentia temporis auspicaretur.* Licentia igitur temporis in Pervigilio hæc erat, quod liceret palam cantare, saltare, voluptati et luxuriæ indulgere. Hinc etiam solenni et publico Veneris sacro sub Imperatoribus Pervigilium additum videtur, quod, qui amori et Veneri operam dant, iis pervigilare et cantare solenne est. Ovidius, de ipso Veneris sacro agens, hanc rationem cantus in eo celebrati adfert, Fast. lib. IV, 109 :

> Primus amans carmen vigilatum nocte negata
> Dicitur ad clausas concinuisse fores.

De hac pervigilatione amantium, non de solenni et sacra, intelligendus est Plautus, Curcul. act. I, sc. 3, 25 :

> Quid? tu Veneri pervigilare te vovisti, Phædrome?
> Nam hoc quidem haud multo post luce lucebit.

Qui etiam paullo post Venerem *Noctuvigilam* facete appellat. Pervigilium Veneris cantu maxime, saltatione et choreis constitisse, e carmine, quod proponimus, apparet, ipsumque carmen *Pervigilium Ven.* inscriptum est, non alia de caussa quam quod idem in Pervigilio decantandum esset. Cantabatur autem a feminis, et quidem duplici choro, ut videtur, uno virginum, altero mulierum. Atque hactenus ratio Pervigiliorum, Romanis consueta, observata est, ut cultus Veneris, ipsumque sacrum, a solis mulieribus perageretur: Neque enim alia toto carmine, quam virginum, Nympha-

rum, puellarum mentio. Et Ovidius de eo sacro Fastor. IV, 133:

Rite Deam Latiæ colitis matresque nurusque,
Et vos, queis vittæ longaque vestis abest.

De cætero non abfuisse commissationes et choreas mixta juvenum turba celebratas, ex eodem carmine facile colligitur.

De tempore et loco Pervigilii, honori Veneris celebrati, nunc videtur agendum accuratius. Ovidius cultum Veneris præcipue mensi Aprili vindicat, Fastorum libro IV, idque ob eamdem rationem, quæ toto hoc carmine regnat, vernum tempus, cujus initium eo mense sit, Veneri in primis aptum esse: vim naturæ procreatricem, et rerum omnium perennem generationem, concordiam, pulchritudinem, quæ Veneris numini et potestati debeantur, eo mense maxime sentiri et conspici; tum vero Romanorum originem, ipsorumque Cæsarum genus ad Venerem relatum, efficere, ut, qui secundus mensis antiqui anni est, Veneris religioni merito vindicetur. Hæc omnia Ovidii dicta, cum nostro carmine comparata, sunt ejusmodi, ut Pervigilium Veneris, quod eo describitur, non alio, quam Aprili mense, videatur celebrari potuisse (1). Sed de ipso ritu Pervigilii, quod tribus noctibus cum quadam licentia, cum choreis et cantibus actum dicitur, multa insunt in carmine, quæ ab Ovidio non memorentur. Contra Naso alia de Veneris cultu habet, ab auctore Pervigilii prætерita. Nempe memorat simulacrum Veneris Calendis Aprilis a mulieribus lotum et novo monili ornatum esse: ipsas mulieres lavasse sub myrto, et vota fecisse Fortunæ virili, cujus templum Tiberi adjacebat. Eodem die quondam templum votum esse Veneri Verticordiæ. Harum rerum nulla in carmine mentio. Ex quibus patet, Ovidium de festo die Veneris, auctorem car-

(1) Declarat hoc ipsum initium poematis: « Ver novum, ver jam canorum, etc. » Nam primo veris mense *novum* ver dici, secundo ver *adultum*, tertio *præceps*, observat Servius ad Virg. Georg. I, 43. En.

minis de Pervigilio annexo vel interposito loqui, totumque sacrum fortasse recentiore tempore mutatum vel auctum aliis ritibus esse, qui e scriptoribus Ovidio recentioribus sint intelligendi. Atque hic præsto est primum Calendarium vetus, Constantii ævo factum, ab Herwarto et Lambecio editum, quod Calendis Aprilis Veneralia et *Ludos* adsignat, et tertio post diei, nempe III Non. April. *Natalem Quirini.* Hoc loco igitur dies nominatur, cui argumentum carminis, de quo quærimus, ex asse quadrat, nempe Veneri colendæ dicatus : adsignantur ei ludi, quos multa cum hilaritate, cum choreis et canticis actos ex eodem carmine intelligimus, et subinde nomine Pervigilii vocatos esse supra e Suetonio didicimus : additur die tertio Natalis Quirini, qui in carmine præcipue celebratur ut auctor gentis Romanæ. Et quum versu carminis 42 dicatur, *tribus noctibus feriatos choros esse*, hinc intelligitur, tres dies, quorum extremus erat Natalis Quirini, huic feriationi destinatos, et Pervigilium adeo a pridie Cal. Aprilis incepisse, desiisse in Natali Quirini, et inde factum esse, ut auctor Pervigilii, totum hoc solenne animo complexus, sub finem carminis Venerem inter cæteras laudes ejus, ut auctorem imperii Romani et Romuli Cæsarisque parentem, celebraret. E scriptoribus antiquis *Veneralia* solus, quantum equidem scio, Plutarchus memorat, τῶν Οὐενεραλίων ἑορτὴν nominans, in Quæst. Roman. pag. 34, edit. Boxhorn. et vol. VII, Oper. Plut. p. 115, edit. Lips. (1). Plura carminis nostri obscuriora, inprimisque locum, quo Pervigilium Veneris actum est, declarat

(1) Veneralia, a Plutarcho memorata, Scaliger ad Pomp. Festum v. *Vinalia*, putat ese Vinalia, quæ IX Kal. Maii acta, et Veneri sacra fuisse dicuntur. Sed quum duplicia fuerint Vinalia, et altera a. d. XII Kal. Sept. celebrata, quo die Varro lib. V, et Festus in *Rustica Vin.* aiunt ædem Veneri consecratam, et hortos ejus tutelæ dedicatos, ac tum feriatos olitores esse, rectissime Vinalia Veneri sacra mensi Augusto adsignantur, ista vero mensis Aprilis, teste Ovidio, Fast. IV, 877 et 899, et Festo in *Vinalia*, Jovi magis quam Veneri sacra fuerunt, adeoque non videntur *Veneralium* nomen proprium accepisse.

Æthicus in Cosmographia, qui, ubi cursum fluvii Tiberis describit : « Hic, inquit, iterum insulam facit inter portam « Urbis et Ostiam civitatem, ubi populus Romanus cum « Præfecto Urbis, vel Consule, Castrorum celebrandorum « caussa egreditur solennitate jucunda. Insula vero, quam fa- « cit intra Urbis portam et Ostiam civitatem, tantæ viriditatis « amœnitatisque est, ut neque æstivis mensibus, neque « hiemalibus pasturæ admirabiles herbæ deficiant : ita au- « tem vernali tempore rosa, vel cæteris floribus adimpletur, « ut præ nimietate sui odoris et floris insula ipsa Libanus « almæ Veneris nuncupetur. » Plane mihi persuasum habeo, Veneralia hoc loco describi, et ludos, qui iis diebus agebantur, *Castra* vocatos esse. Quamvis enim *Castorum* hic legat Simlerus, et aliunde constet Castorum ædem fuisse Ostiæ (1), tamen *Castrorum*, quod ille in altero exemplari invenit, præferendum censeo, quod adjecta vox *celebrandorum* ludis magis, quam Diis designandis apta est. Castra autem vocabantur hi ludi, quod in nemore multis tabernaculis positis, vel casis ex fronde myrtea plexis, agebant, qui Veneralia celebrabant. Idque manifeste declarat Pervigilium, v. 5,

> Cras amorum copulatrix, inter umbras arborum
> Implicat casas virentes de flagello myrteo;

et v. 44, *Floreas inter coronas, myrteas inter casas.* Ovidius quidem casarum non meminit, sed tantum myrti,

(1) Amm. Marcell. lib. XIX, cap. 10. Equidem in Epigrammate, quod Anthol. Burm. lib. I, ep. 47, legitur, a quodam Tatio, Consule vel Præfecto Urbis, gratiæ agantur Castori et Polluci, quod sibi licuerit in litoribus Ostiæ certamina exhibere, et certaminis ipsius imago pro eorum æde dedicatur; hoc tamen non ideo fieri arbitror, quod ipsi ludi vel certamina Castori et Polluci sacra fuerint, sed quod Castores, ut Dii marini, tempestatem bonam præbuerant, et Ostiæ templum habebant. Hinc Amm. Marcellinus l. c. refert, Tertullum, Præfectum Urbis, sacrificasse in æde Castorum Ostiæ, ut tranquillitatem maris classi frumentariæ Romam pervehendæ impetraret. — Et Castores ad portum Ostiensem cultos pro-

Fast. IV, 139 : *Vos quoque sub viridi myrto jubet illa lavari.* Quod de coronis myrteis primario intelligendum, Plutarchus suadere videtur, in Numa, cap. 19, ubi de Aprili mense, Veneri sacro, ait : ἐν ᾧ θύουσί τε τῇ Θεῷ, καὶ ταῖς καλάνδαις ἐστεφανωμέναι αἱ γυναῖκες μυρσίνῃ λούονται. Neque minus Horatius hunc ritum respicere videtur in verni temporis descriptione, Carm. lib. I, 4, 9:

> Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
> Aut flore, terræ quem ferunt solutæ.

Sed verba Ovidii non solum de corona, sed et de umbraculo quodam ex fronde vel ramo myrti intelligenda esse, inde clarum fit, quod hunc ritum ad ipsam Venerem refert, quæ quondam, ne nuda videretur a Satyris, corpus suum myrto apposita texisse dicatur. Hoc ipsum significat non multo recentior hoc carmine auctor epigrammatum de pictura mensium, qui Anthol. Burm. lib.V, ep. 75, de Aprili: *Contectam myrto Venerem veneratur Aprilis.* Aucta cum tempore luxuria et lascivia hujus festi, scenæ adeo e myrti frondibus sunt confectæ, ut carmen nostrum docet, in iisque non feminarum solum, sed promiscui virorum et mulierum cœtus facti. Quod deinde Æthicus dicit, populum Romanum, cum Præfecto Urbis aut Consule, ad Castra celebranda exiisse, hoc indicat, solenne hoc totius populi fuisse, et apprime convenit Pervigilio Veneris, ad quam Romani suam originem referebant. Etiam *solennitatem jucundam* fuisse, ut nominat ille, satis declarat poema nostrum, quod Pervigilium istud multa hilaritate transactum,

bat Rutilius, Itin. I, 155 : « Pande, precor, gemino placatum Castore portum, Temperet æquoream dux Cytherea viam ». Ubi et Veneris hac in regione cultum tangit, haud dubie ipsa Veneralia, sive Pervigilium Veneris hic celebratum respiciens. Et hoc mihi præsertim ex Horatio confirmari videtur, qui Virgilio Athenas iter facturo quum navigationem prosperam exoptet, numen Veneris cum Castore et Polluce conjungit, Carm. I, 3, 1. Ed.

choros ductos per noctem, cantica audita, et commissationes celebratas significat, versu 45:

> Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec poetarum Deus:
> De tenente tota nox est pervigilanda cantibus.

Quamquam Plutarchus in Quæstionibus Rom. scribit feriantes in Veneralibus sobrietatis et temperantiæ admonitos fuisse eo ritu, quem ipse indicat, quo vinum multum eo die solebat e templo Veneris effundi, quoque significari, tamquam signo, volebant, Deos magis delectari nimium merum effundentibus, quam bibentibus. Non omittenda sunt, quæ Æthicus de perpetua viriditate et amœnitate ejus insulæ, in qua Castra celebrata, scribit. Hæc enim evincunt, talem plane eam insulam fuisse, qualem fuisse locum acti Pervigilii totum carmen demonstrat. Quod porro addit ille, tantam ejus viriditatem esse, *ut neque æstivis mensibus, neque hiemalibus pasturæ admirabiles herbæ deficiant*, id occasionem dedisse auctori Pervigilii arbitror, ut veris et Veneris beneficium etiam in pastura pecorum abundante et secura celebraret, v. 81 et seq.

> Ecce, jam super genistas explicant tauri latus,
> Quisque tutus, quo tenetur, conjugali fœdere:
> Subter umbras cum maritis, ecce, balantum greges.

Tum vero inprimis attendenda rosarum aliorumque florum in ea insula ubertas. Hinc enim est, quod auctor Pervigilii tot versus in describenda rosarum efflorescentium imagine, et capiendo inde amoris et voluptatis fruendæ argumento, consumit. Neque enim hoc temere fecisse eum, sed loci, ubi Pervigilium celebrabatur, natura et amœnitate invitatum esse, credendum est. Rem denique conficit Æthicus, quum insulam Ostiæ *Libanum Almæ Veneris* appellatam dicit. Hæc enim appellatio quum indicet, eam insulam quasi dedicatam Veneri fuisse, eo magis etiam probat, ludos Veneri in ea celebratos esse, eosque forte ritibus e Syria Libanoque petitis, ubi Venus passim multa licentia colebatur,

procedente tempore auctos esse (1). Et memorat Suidas aliud ludicrum navale et maritimum, ad Ostiam actum, quo alius alium e navigio in mare dejiciebat, quodque Maiumæ nomen, ut ille quidem putat, a mense Maio, sed, ut verius existimatur, a Maiuma, Palæstinæ civitate maritima, Gazæ vicina, unde illud ludicrum traductum est, accepit. De quo pluribus egerunt Jac. Gothofredus ad Cod. Theod. lib. XV, tit. 6, et Andr. Rivinus in Dissert. de Maiumis, cap. 5. Suidas quidem de Maiuma sic ait : Μαϊουμᾶς πανήγυρις ἐγένετο ἐν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν Μαΐον μῆνα· τὴν παράλιον καταλαμβάνοντες πόλιν τὴν λεγομένην Ὀστίαν οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες,

(1) Equidem odorum tantum florumque caussa Æthicus ait insulam Tiberinam nomen Libani Veneris accepisse, tamen et cultam ibi Venerem esse eo ritu, quo in Libano solebat, ex eodem recte colligitur. Libanum Syriæ sacrum Veneri, et perpetuo ejus cultu frequentatum fuisse, ut plures Nonni locos taceam, inprimis testatur Orpheus, hymno 54 in Venerem :

Εἴ σύ θεὰ βασίλεια, καλῷ γήθουσα προσώπῳ,
Εἴτε καὶ ἐν Λιβάνου Συρίης ἕδος ἀμφιπολεύεις.

— In secundo horum versuum meliores editiones legunt εὐλιβάνου Συρίης, thuriferæ Syriæ : itaque mons Libanus hic non nominatur, quamquam per ἕδος Συρίης εὐλιβάνου mons ille intelligendus videtur. Ed. — Celebre templum Veneris in Libano memorant Lucianus, de Dea Syria, p. 753 tomi III edit. Basil. et Sozomenus, Hist. Eccles. lib. II, cap. 5. Unde Libanitidis nomen ei dat Lucianus, p. 754. Colebatur autem Venus in Libano a feminis ejus sacerdotibus, ibi habitantibus, quotidiana festaque saltatione, quod Barthius, Advers. VII, 21, recte colligit e Musæi de Hero et Leandro, versu 48 :

Οὐδὲ γυνή τις ἔμιμνεν ἐνὶ πτολίεσσι Κυθήρων·
Οὐ Λιβάνου θυόεντος ἐνὶ πτερύγεσσι χορεύων.

Et quum Venerem perpetuis saltationibus gaudere dicat Orpheus, hymno quem diximus, hoc magis etiam choreas et saltationes Veneri in Tiberina insula celebratas, eamque propterea Libanum Veneris appellatam arbitror. — Quam tamen ejus appellationem Æthicus a florum copia petit, eam confirmare amplius videtur Ausonius in Technopægn. de Vere primo : « Florum spirat odor, Libani ceu montis honor, thus ». Ed.

ἡδυπαθεῖν ἠνείχοντο ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν ἀλλήλους ἐμβάλλοντες. Ὅθεν καὶ Μαιουμᾶς ὁ τῆς τοιαύτης ἑορτῆς καιρὸς ὠνομάζετο. *Maiuma festivitas solennis est Romæ Maio mense, quo principes civitatis Ostiam, urbem maritimam, se conferentes, voluptatibus et deliciis indulgebant, alter alterum in aquam marinam conjicientes. Unde et festi illius tempus Maïumas vocatum est.* Equidem, quisquis hic scriptor est, Maiumam dicit Romæ mense Maio celebratam, sed omnino eum errare arbitror, quod, similitudine vocabuli Maiumæ inductus, falso putabat id nomen a mense Maio derivandum. Etenim Floralia, quæ Maii initio agebantur, non legimus navale ludicrum, quale Maiuma est, cætera inter spectacula habuisse, neque Ostiæ et in portu, sed in Urbe et campo Martio celebrata sunt. Contra quum Ostiæ acta Veneralia simul et Maiumæ solennia sint, hos puto ludos fuisse, quos Veneralibus vel Pervigilio Veneris additos Calendarium vetus indicat. Et initio quidem ludos eos existimo non nisi navigatione ludicra et certamine navali constitisse, et Veneralibus propterea additos, ut Venerem ortam mari, et vere apertum navibus æquor, simul autem adventum Æneæ, Veneris filii, in ostia Tiberis, et originem gentis Romanæ, quam ipse Pervigilii auctor celebrat, significarent; postea vero, crescente luxuria et impudentia populi, accessisse lusus natatusque in undis lascivos, qui a Maiuma, civitate Syriæ maritima, unde spectaculum istud Romam translatum, appellarentur, et tandem a Christianis Imperatoribus, quod leges veteres significant, prohibendi essent (1). Auctor Pervigilii toto carmine de solenni Veneris multa cum verecundia et modestia loquitur, nec quidquam eorum, quæ pudorem offendant, admiscet, unde mihi scripsisse eo tempore videtur, quo sacra Veneris Romana nondum essent peregrino ritu et impudente lascivia, quam Maiuma indicare videtur, corrupta.

(1) Hoc colligitur ex Cod. Theod. lib. XVI, tit. 10, lege 5, ad Cerealem Præf. Urb. data, quæ nocturna sacrificia aboleri, et nefariam licentiam repelli jubet.

Pluribus hactenus disputata persequi, et loca veterum scriptorum, quæ de Pervigilio Veneris agere videntur, excutere volui, quia videbam, hæc omnia fere Scriverio, Rivino, Sanadono, Bouhierio et aliis, qui luculentas in hoc poema observationes et dissertationes reliquerunt, ignorata aut prætermissa esse. Cæterum ut compendifaciam, quæ hactenus enarravi, clarius nunc apparet Pervigilii, quod carmine celebratur, ratio. Apparet actum illud esse a populo Romano, auspice præfecto Urbis, tribus noctibus a Calendis April. ad III Non. April. qui natalis Quirini est, loco amœnissimo, ad gustandas veris delicias pariter, ac exordia gentis Romanæ celebranda; opportuno, castris vel tabernaculis positis in insula Tiberina, viridissima floridissimaque, inter Urbem et Ostiam sita, ludicro etiam navali in portu ad Ostiam adjuncto.

Pervigilio Veneris, sive Veneralibus hactenus descriptis, uti totum hoc poema, quod proponimus, dicatum et accommodatum est, ita etiam ex eorum solennitate et ritibus scopus ejus et tota ratio, materia, compositio intelligenda et judicanda est. Hymnus est Veneri sacratus, sive, ut Lipsius loquitur, *Laudatio Veneris*, *composita per occasionem Pervigilii*, *quod tres ipsas noctes in honorem Deæ agebant.* Laudatur autem Venus ut talis, qualem maxime Romani venerabantur. Hi colebant primo Venerem ut parentem hujus universi, et omnium animantium ac proventuum terræ procreatricem, quæ perpetuo quasi rerum naturæ connubio, per copulas amoris, et continuam principiorum omnium conjugationem, quidquid ubique est et viget, conservet et propaget in sæcula, terris omnibus, rebus et animantibus copiam, voluptatem, ubertatem præstet. Colebant etiam ut parentem et præsidem imperii suî, quæ et principes Romani populi de gente sua dederit, et imperium potentiamque Romanorum, quum connubiis et incrementis generis, tum maximis opibus ex agrorum, pecorum, fructuum omnium ubertate et abundantia auxerit. Quoniam

autem vis et potestas Veneris tempore veris explicatur et sentitur maxime, hinc sub vere etiam Venerem colebant Romani, et beneficia ejus in amœnitate veris, et anni renascentis pulchritudine, hilaritate, opulentia maxime agnosci et celebrari volebant. Sistit igitur poeta hymno suo Venerem tamquam Reginam universi, et præcipue Romanorum, beneficam ubique, et munera opesque suas per omnes naturæ partes ad salutem et conservationem generis humani dispensantem. Hujus, sub vere regnare incipientis, majestatem, decorem, comitatum, triumphum, ex omni vernantis anni splendore, pulchritudine, apparatu et copia instruit. Ipsa tamquam regina mundi, in throno floribus fulto residens, principio veris incipit jura dicere universo, h. e. renasci, recreari, fecundari omnia jubet: comitatur eam, per quem maxime regnat, Amor; circumdant Nymphæ et Gratiæ: circa eam splendet aer a sole, rident agri floribus, germinant silvæ, tauri et balantum greges in pascuis tuti conjunctique eunt: silvæ avium vocibus, stagna cygnorum cantu personant. Hæc vero omnia fiunt occulto amoris motu, et quadam veluti conjugatione omnium partium Naturæ, cujus quoniam Venus auctor et præses est, hinc omnia quæ præstat Venus et benigne facit, specie et imagine connubii, amoris, osculi, fieri dicuntur, atque sic depictis laudatisque Veneris beneficiis additur hortatio ad capessendum honorem et cultum ejus, h. e. ad serviendum amori et hilaritati. Tria igitur maxime poeta hoc in Hymno exsequitur: veris, ut Veneri maxime apti, amœnitatem et delicias describit; Venerem ipsam laudat ut matrem et conservatricem universi, et ut parentem dominamque Romæ (1). Singulas partes

(1) Venerem Genetricem hoc carmine celebrari putat Crusius Probab. Crit. cap. 13, et Veneris illius cultum et cognomen primum a Julio Cæs. suam originem ad eam referente, dicit in Urbem introducta esse, ut suam familiam illustraret. Ipsum Pervigilium Veneris censet ad ludos Veneri Genetrici ab Augusto primum institutos pertinere, propter versum 73, ubi recte legi existimat: *proque prole posterum Romuli matrem crearet*,

multa vivacitate ingenii, multa orationis venustate, multis imaginibus, e physicæ, historiæ et fabularum scientia petitis, exponit, sed in singulis quoque primarium antiqui poetæ locum sibi imitandum proposuisse videtur. In veris descriptione præcipue ante oculos habuit locum Virgilii Georg. II, 324-342, cujus ideas omnes, sententias et verba adeo ipsa in poema suum transtulit, ut eruditus Gallus *Le Franc*, in epistola ad Abbatem *Des Fontaines*, comparatis utrimque locis, confirmet, auctorem Pervigilii plagiarium magis Virgilii, quam imitatorem fuisse. Proprium tamen et singulare, in his etiam, quæ Virgilio abstulit, hoc habet, quod omnia veris eventa et decora sub imagine amoris et connubii refert. In parte veris describendi non minus, quam in laude Veneris et beneficiis ejus memorandis, exemplar, quod sequeretur, Lucretium habuit, in principio libri I de Rer. Nat. et lib. V, 736 seq.: reliqua autem, quæ gentem Romanam spectant, caussasque et ritus Pervigilii, veris initio a Romanis celebrati, ea omnino ex Ovidii Fast. lib. IV, v. 85 ad 162, saltem maximam partem, hausisse censendus est. Quamquam et alii veterum poetarum illustres loci hoc de argumento exstant, quos poeta ille nec ignorasse, nec neglexisse videtur. Quo refero Horatii oden IV lib. I, quæ tam similia habet Pervigilio, ut videri possit ipsius sacri Venerei occasione scripta: tum inprimis luculentus locus est Columellæ, lib. X, 196-214, quo verni temporis salubritatem et temperiem ita pinxit, ut certasse cum Virgilio videatur. Nec dissimilis locus est Manilii, Astronom. lib. III, sub finem. Amœnitati argumenti et dictioni venustissimæ non mediocre ornamentum accessit ex metro, quo carmen hoc compositum est, trochaico. Quod summa ratione et multo ingenii lepore accommodavit auctor hymno, quo Dea amabilis et res jucundissimæ celebrandæ, et ferian-

et nepotem Cæsarem, hac sententia, ut ad servandam seram Romuli posteritatem, Juliam, matrem stirpis Cæsareæ, et ipsum Cæsarem, nepotem suum, crearet.

tium summa hilaritas exprimenda erat. Hoc enim genus in primis aptum visum est Musæ cum quadam elegantia jocari et lascivire cupientis, maximeque frequentatum in hilaribus et solennibus festis, in quibus pompæ et processiones, chori et choreæ agebantur. Marius Victorinus Grammaticus de eo: *Est carmen jocosis motibus emollitum.* Nempe trochæis, a trocho vel rota dictis, singularis temporum celeritas seu volubilitas inest, choris et tripudiis accommodata, unde et *chorei* et *rotatiles*, vocati sunt, quod rotæ motu, ex violento et naturali composito, ferantur. Latius hæc docuit J. C. Scaliger in Hyle Poet. cap. 3. Pauca quidem metri trochaici carmina ex antiquitate supersunt, sed quæ supersunt, pleraque exemplo docent, hoc metrum hymnis, pæanibus et aliis id genus carminibus, quibus festa gratulatio et exsultans lætitia declaratur, esse adhibitum. In versibus, seu excerptis, Flori, qui Pervigilio Veneris a nobis subjungentur, primum fragmentum videtur esse Hymni, quem in Bacchanalibus decantandum idem, qui Pervigilium, auctor composuerat: *Bacche, vitium repertor, plenus adsis vitibus*, etc. Carmina læta et jocosa, quæ Romæ in triumphis Imperatorum cani a militibus solebant, hoc metro fere composita, ut illud in Cæsaris triumpho apud Sueton. cap. 49, et in triumpho Aureliani, apud Vopiscum, cap. 6. Christiani poetæ hymnis, quibus Christi Servatoris gesta, mortem et victoriam celebrarent, metrum trochaicum certo consilio aptarunt. Quod Prudentius statim ab Hymni IX principio profitetur:

> Da, puer, plectrum, choreis ut canam fidelibus
> Dulce carmen et melodum; gesta Christi insignia.

Ubi G. Fabricius ad vocem *choreis* annotat: *genus carminis trochaicum innuit.* Talis etiam Hymnus est Venantii Fortunati:

> Pange lingua gloriosi prælium certaminis,
> Et super crucis tropæo dic triumphum nobilem.

Utrumque hymnum, cum tertio Sedulii, Pæanum nomine, singulari commentario instructos edidit G. Fabricius, Lips. 1568, in-8. Prudentius etiam, præter dictum Pæana, metro trochaico primum hymnum Peristephanon conscripsit.

Trochaici quidem versus, e quibus Pervigilium compositum est, ut veteres Grammatici, Diomedes et Priscianus, docent, septem integris pedibus cum dimidio constant. Sanadonus autem in editione sua Pervigilii mensuram versuum mutavit, et singulos divisit in duos, ita ut alter quatuor pedibus, alter tribus cum syllaba absolvatur, existimans hanc esse genuinam versuum eorum dispositionem, quam et alii hymnorum scriptores observarint, et errore vel compendio librariorum factum esse, ut duæ lineæ in unam contraherentur. Contra hanc licentiam Sanadoni multum disputat Bouhierius in Conjecturis ad Pervigilium, et genuinàm primitivamque versuum trochaicorum mensuram Veterum auctoritate defendit; neque illud quidem verum esse concedit, quod Salmasius ad Vopisci Aurelian. c. 6 affirmavit, a temporibus Aureliani moris fuisse trivialibus poetis, integros trochaicos, tetrametros catalecticos, per medium scindere, et dividuos sic facere, ut alternis versiculis currerent. Ipse vero Bouhierius plus adhuc Sanadono ausus est in refingendo Pervigilio, ejusque duo esse poemata contendit, diversis temporibus scripta, quæ, pluribus etiam versibus commixtis et transpositis, in unum compegerint imprudentes descriptores. Vid. *Nouvelles littéraires*, tom. XI. Et alterum quidem, quod pro primo et antiquiore habet, a versu 57 *Cras amet, qui... Et recentibus virentes*, incipere, in eoque meliorem latinitatem et omnia simpliciora atque accuratiora, quam in altero et priore apparere existimat. Equidem non negaverim, priore in parte carminis plura esse dura et corrupta, plures idiotismos auctoris et nævos recentioris sæculi occurrere, quam in posteriore; neque hoc tamen aut æqualitatem styli tollere, aut diversum auctorem arguere, ut duo poemata existimanda sint, arbi-

tror. Etenim palam est, alteram partem sententiis et connexione se referre ad priorem, eodemque orationis tenore procedere, et, ut prior in deliciis veris enarrandis, ita alteram maxime in Veneris laudibus et muneribus versari, utramque etiam repetitione versus intercalaris connecti. Validissime sententia Bouheriana refutari eo potest, quod supra demonstravimus, in Veneralibus, quibus adjunctus erat natalis Quirini, Venerem præcipue cultam esse ut matrem et præsidem populi Romani, a qua principes ejus, Romulus et Cæsar, genus ducerent. Hoc igitur munus Veneris quum præcipue memorandum fuerit in hymno Romano, qui omnes Veneris laudes continere, et toti ejus sacro accommodatus esse debebat, non potest legitima ejus hymni divisio esse, quæ res in eo celebrandas sejungat, et efficiat, ut alter hymnus ea laude Veneris careat, quam primario in Veneralibus spectabant Romani. Interim negare nolo, carmen hoc versu 59 videri novum veluti spiritum et nova initia sumere, unde conjiciam, fuisse id forte antiquitus hoc loco distinctum, ut a pluribus choris, quorum mentio fit versu 42, decantaretur, et alteram igitur partem esse alterius chori hymnum, qui ad priorem se referat, et aliam partem laudandæ Veneris suscipiat. Immo, ut diserte exponam, quæ sentio, omnino mihi videntur duæ unius Hymni partes esse, a duobus choris, uno virginum, et altero maritarum vel mulierum, decantatæ. Ratio ejus divisionis satis aperta est, nec indicia diversi chori obscura, quandoquidem in priore parte carminis, quam virginum esse dico, virginum et puellarum diserta mentio fit, et omnes veris deliciæ sub imagine amoris, connubii et virginum nubentium, describuntur; in altera vero parte, quæ a versu 57 incipit, et maritarum chori est, conjugatio ipsa omnium rerum et animantium, generatio, procreatio, perennitas celebratur. Duplicis etiam chori discrimen ipse versus intercalaris, toties repetitus, significat, et unum chorum esse dicit, *qui nunquam amavit*, alterum, *qui amavit*.

Carmen hoc in cod. antiquo inscriptum fuisse Ver vel de Vere, Erasmus et Gyraldus prodiderunt, sed videntur hanc inscriptionem ipsi aut ex primo carminis vocabulo, aut ex toto ejus argumento duxisse. Clare enim duo codices Mspti, e quibus hodierna fluxerunt exemplaria, unus P. Pithœi, alter Salmasii, ille in calce, hic in fronte carminis, titulum habuerunt Pervigilium Veneris, isque hanc ob auctoritatem merito retinetur. Recentiores interpretes Galli Hymnum in solennibus Veneris dixerunt : *Hymne sur les Fêtes de Vénus*. Cæterum quatuor omnino vetera hujus carminis exemplaria manuscripta adhuc reperta et inter eruditos cognita sunt. Primum est illud, quod Erasmus sibi ab Aldo Manutio exhibitum ait, in antiquissima Galliæ bibliotheca repertum, et Catullo inscriptum; utrum in ipso codice, an e conjectura Manutii, incertum. Quoniam hoc exemplar, in antiqua Galliæ bibliotheca repertum, Aldus Manutius habuisse dicitur, inde Sanadonus et *De la Monnoye* opinantur, Sannazarium hoc an. 1504 ex itinere Gallico deportasse cum aliis libris, quos ibi invenerat, Cynegeticis Gratii et Nemesiani, Halienticis Ovidii, et Itinerario Rutilii. (Vide epistolam Pontani ad Sannazar. quam dedimus tomo I Poet. minor. (1). Sed parum firma hæc conjectura doctorum virorum est, in quam quidem inducti videntur nomine Manutii, quem sciebant Cynegetica a Sannazario reperta primum edidisse. Enimvero, qui manuscriptum Pervigilium habuit, is Aldus Manutius fuit, nec ille, a quonam acceperit, unquam professus est; at Cynegetica, a Sannazario reperta, nusquam hic legitur habuisse, nec Aldus ea, sed Aldi hæredes, sive filius Paullus, a Georgio Logo accepta ediderunt an. 1534. Alterum exemplum Pervigilii antiquum est, quod Petrus Pithœus habuit, et descriptum misit Justo Lipsio, qui illud recensuit et interpretatus est Elector. Lib. I, cap. 5. Tertium legebatur in codice scripto, qui alia multa epigrammata, et præterea Luxurii carmina continebat, et a

(1) Hujus edit. tomo I, pag. 29 et 30. Ed.

Joanne Lacurnæo donatus Salmasio erat (1), qui eum cum Pet. Scriverio communicavit. Eum codicem literis majusculis scriptum Bouhierius exstare adhuc scribit in urbe sua, Divione puto, apud Lantinum, Curiæ provincialis consiliarium; vidisse etiam se testatur *de la Monnoye:* ego vero eumdem esse puto, e quo Petr. Burmannus multa adhuc inedita transtulit in Anthologiam Lat. Quartum denique, non totius quidem Pervigilii, sed fragmenti ejus, exemplum, Senecæ adscriptum, reperisse se refert Casp. Barthius in codice veteris cujusdam bibliothecæ Martisburgensis, qui præter alia etiam Vespricii Spurinnæ odas, a Barthio postea editas, continebat, et de quo ipsi latius egimus in præfatione ad Lyrica hujus tomi Poet. Min. Memorat hoc Barthius in Commentar. ad Claudian. p. 147 edit. primæ, et in Præfat. ad Spurinnæ odas, ad calcem Gratii ab eo editi. Neque vero usquam Barthius textum ejus fragmenti, a se reperti, integrum cum publico communicavit, et quæ subinde e Pervigilio profert, convenire ut plurimum cum exemplo Pithœano videntur. De codice Salmasiano adhuc notamus, ibi carminis initio hunc titulum præponi: *Pervigilium Veneris, trochaico metro. Sunt vero versus XXII.* Quum hic numerus versuum minime conveniat poëmati, sive eum ad versus omnes totius carminis, sive ad intercalarem tantum, qui undecies repetitur, referre velimus, varie de eo judicarunt eruditi. Scriverius conjicit pro XXII scribendum esse XCII, et librarium indicare voluisse, tot versus toto carmine contineri; idque verum esse, si versus carmini præmissus, qui alias, ut intercalaris post aliquot versus interponi solet, removeatur a principio, ut initium carminis sit *Ver novum:* et fortasse sic in aliquo codice lectum esse, unde factum sit, ut Erasmus, Aldus Manutius et Gyraldus car-

(1) Ut ipse Salmasius testatur in notis ad Lamprid. Elagab. cap. 20, pag. 838, et ad Vopisc. Procul. XIII, pag. 744. Plura de eo codice commemoravit P. Burmannus sec. in Præfat. ad Anthol. Lat. p. 46, seq.

men *de Vere* inscriptum fuisse putarent. Rivinus contra Scriverium monet, versum intercalarem a fronte carminis abesse non posse, quia is scopum totius hymni aperiat, nempe hortandi omnes ad pervigilandum Veneri et Amori obsequendum: quod quum deinceps persuadeat auctor ratione potissima a verni temporis, ad amorem a natura facti, amabilitate ducta, hinc ei proponendum prius versu illo, quam inferendum probandumve fuisse. Cæterum errorem a librario in numero commissum ipse non negat. Bouhierius contra numerum XXII versuum recte positum defendit, atque inde rationem ducit confirmandæ opinionis suæ, de Pervigilio duo diversa poemata complectente. Librarium bona fide transcripsisse ait, quod in antiquiore exemplo invenisset; invenisse autem in eo Pervigilium brevius, quod tantum XXII versibus constaret, idque postea cum alio majore, versibus aliquot in illud trajectis, temere confusum esse per errorem, quem versus intercalaris *Cras amet*, etc. in utroque Pervigilio repetitus obtulisset. Re ipsa Bouhierius, opinioni suæ velificans, versus aliquot posterioris Pervigilii rejecit in prius, ut versus XXII relinqui viderentur. Qui conatus et parum feliciter cessit Bouhierio, et graviter refutatus est a docto Gallo *Le Franc* in epistola ad abb. *Desfontaines* super Pervigilio Veneris. Mihi tota hæc controversia tanti non videtur, ut de ratione numeri a librario positi investiganda multum laborem, qui si non vitio scribendi positus est, certe illud probare, quod Bouhierius volebat, non videtur.

Major et gravior controversia vel dubitatio eruditorum est de auctore et ætate Pervigilii. Catulli Veronensis hoc esse Aldus Manutius, Erasmus, et Meursius, Exerc. Crit. p. 143, existimarunt, quæ opinio inde orta videtur, quod in Pithœi vetustissimo codice non longo intervallo præcedebat Epithalamium Q. Val. Catulli. Et quum Aldi Manutii exemplar, quod illud Catullo tribuisse dicitur, in antiquissima Galliæ bibliotheca repertum sit, suspicor hoc ex eodem codice, quem postea Pithœus vidit, descriptum fuisse. Ab

Augustei ævi poeta Pervigilium scriptum esse J. Lipsius sibi e versu 74 persuadebat. Catullo Urbicario et mimographo, cujus Juvenalis, Sat. VIII, 186, XIII, 111, et Martialis, V, 30, 3, meminit, tribuebat Jos. Scaliger, et sub nomine P. Catulli Urbicarii inter Pseudepigrapha Petronio tributa proposuit J. P. Lotichius, pag. 91. Cl. Salmasius aiebat auctorem habere mediæ ætatis, et Solino supparem, vel qui non longe ab eo vixerit. Casp. Barthius nec Catulli, nec Urbicarii esse censet, sed Senecæ, quod sic in scripto codice veteris bibliothecæ, de quo supra egimus, invenerit. Petrus Scriverius denique in Animadvers. ad Pervig. Salmasii codice, qui carmina multa et in his Luxurii continebat, adductus, Luxurio carmen hoc tribuere voluit, qui Carthagine sub Trasimundo Vandalorum rege vixit, aut Floro, cui Eclogas *de qualitate vitæ* tribuebat idem, qui Pervigilium tenebat, codex Salmasii. Jo. Weitzius non audet tantam de auctore controversiam componere, et fatetur, carmen antiquum quidem, sed ἄδηλον esse. E recentioribus Pervigilii commentator Sanadonus de ætate auctoris nihil definit, id tantum contendit, serioris ævi esse. Abbas *de Longuerue* tribuere videtur Claudii vel Neronis temporibus, sed *de la Monnoye* rejicit in tertium sæculum. Bouhierius inclinat in Florum, ævi Hadrianei poetam, de quo mox plura dicemus. Paullo accuratius hæc omnia conjectare licet, aut certe prioribus eruditorum conjecturis addere, quo ratio definiendæ ætatis juvetur. Habet stylus hujus Hymni aliqua indicia sequioris ætatis, ut Salmasius propius vero judicaverit, auctorem Solino æqualem vel supparem esse. Ut de iis jam taceam, quæ poeta in descriptione veris manifeste ex antiquioribus Lucretio, Virgilio, Ovidio, Columella expressit, prodit etiam deterioris latinitatis vestigia, et vocabula non nisi a scriptoribus serioris ævi usurpata: qualia sunt *pudebit* personaliter, *vehere* pro *gestare*, *vel* pro *et*, *jussit ut*, *thronus*, *florulentus*, *congrex*. Frequens inprimis et ad nauseam usque repetitus est usus præpositionis *de*, vel otiose, vel pro alia particula

positæ, ut versu 4 *de maritis imbribus*, 6 *de flagello myrteo*, 9 *cruore de superno*, 14 *de Favoni spiritu*, 17 *de caduco pondere*, etc. Quem morem loquendi Africismum esse, multis Tertulliani locis ostendit Heumannus ad Lactant. Sympos. v. 12, et pluribus aliorum scriptorum probavit Barthius, Advers. lib. XVII, cap. 17, pag. 884 seq. Atque hi scriptores ipsi sunt recentioris et æneæ ætatis Latinæ linguæ (1). Ex omnibus autem Latinis poetis neminem, qui Pervigilium Veneris legerit et imitatus sit, priorem reperio T. Calpurnio. Hic Pervigilii versum 81, *Ecce, jam super genistas explicant tauri latus*, totidem fere verbis reddit Ecl. I, 4:

> Cernis ut, ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccæ
> Molle sub hirsuta latus explicuere genista.

Ille veris ineuntis signa, quæ Ecl. V, 16 seq. enarrat, cuncta fere e phrasibus Pervigilii composuit. In hoc legitur v. 5, *inter umbras arborum Implicat casas virentes de flagello myrteo;* et Calpurn. I, 12, *ramis errantibus implicat umbras.* Et quod versu penultimo Pervigilii est, *nec me Phœbus respicit*, id ter quaterve repetiit Calpurnius, Ecl. IV, 9, 72, 88; VIII, 5. Post Calpurnium hoc poema respexit Fulgentius, qui Mythol. lib. I, Pervigilii versum 19 et 20 ad verbum exscripsit:

> Ubi guttas florulentæ mane rorant purpuræ,
> Humor algens, quem serenis astra sudant noctibus.

(1) Idem judicat Sanadonus, usum præpositionis *de* abundantis non e puriore latinitate esse. Quod quidem ab eo affirmari miratur Bouhierius, in observ. ad vers. 4 Pervigilii II, et Grammaticorum quorumdam, ut Sanctii in Min. IV, 6, Munckeri ad Fulg. Mythol. cap. 24, et Vossii, de Construct. cap. 47, auctoritate adducta morem illum adhibendæ præpositionis *de* melioribus etiam scriptoribus usitatum esse docet, exemplaque ejusdem adducit. Atqui verum esse, quod Bouhierius affirmat, nemo linguæ latinæ gnarus negabit. At hic nimirum de frequentiore et perpetuo usu ejus præpositionis, abundantis et otiosæ, sermo est, quem in recentioribus, præsertim Afris, scriptoribus sæpe multumque, in melio-

Exstat in fine libri I Anthologiæ Græcæ carmen de Vere elegantissimum, quod pluribus sententiis convenit cum Nostro, maxime autem clausula, qua poeta, ut auctor Pervigilii, lætitia verni temporis, et rerum omnium vigore et voce redeunte, excitari se ad hilaritatem et cantum cupit. Poetæ Græci nomen et ætas incomperta est, unde, eum auctor Pervigilii, an hunc ille imitatus sit, definiri nequit (1). Sed ex hactenus disputatis de ætate auctoris Pervigilii, hoc videtur recte colligi, quum ad tertium vel æneum latinitatis ævum referendus sit, paullo tamen antiquiorem Calpurnio habendum esse. Et si nominandus auctor est, vix alius ejus ævi occurrit, cui majore cum probabilitate hymnus iste tribuatur, quam Florus poeta, qui sub Hadriano vixit. Flori nomen in codice Salmasiano præponitur versibus vel ablectis *de qualitatè vitæ*, qui Pervigilio Veneris subjici ad calcem Petronii quibusdam in editionibus solent, et quos eodem metro trochaico, ac Pervigilium, compositos ejusdem etiam poetæ existimabat J. Lipsius, eodem etiam genio et stylo scriptos agnoscit Bouhierius. Ipse reperio in iis solennem Pervigilio præpositionem *de* aliquoties usurpatam. Barthius etiam, Advers. lib. LVI, cap. 5, tertium eorum fragmentorum auctori Pervigilii tribuit. Floridi quidem nomen iis inscriptum fuit in codice Pithœi; eoque significari quidam putarunt florida, sive excerpta majoris libri, qualia habemus Apuleii. Sed tamen Floridi, tamquam auctoris, nomen iis præpositum est in Catalectis veterum poetarum ad calcem Petronii ex editione Mamerti Patissonii,

ribus et antiquioribus multo rarius observari, inductio exemplorum facile docet.

(1) Sed sub Meleagri nomine id carmen inter alia ejus poetæ recensuit Brunckius, Analect. Ling. Lat. p. 31, 110; et seorsum cum versione Grotii et notis suis edidit Alb. Christ. Meinek. Goetting. 1788, in-8. Gyraldus, de Poet. Dial. IV, pag. 262, refert: « Fuit et Theodosius Tripolites, ut puto, ex Africa, qui carmen composuit, quod Ver inscripsit ». Ed.

quam Pithœus curavit, qui etiam in collectione Epigramm. veter. pag. 161, edit. Lugd. secundum et quartum horum ablectorum, et pag. 19 quintum, sextum et septimum, continuata quidem sed transposita, Floridi sub titulo edidit, quartum etiam Rivinus in collect. carm. de Re hortensi. Et Flori Floridique nomina propria videntur subinde a Veteribus permutata, siquidem Veteres *florus* pro *florido* dicebant, ut alii *colorus* pro *colorato*, observante Vossio de Vitiis serm. lib. III, c. 6, p. 389, et Burmanno ad Quintil. p. 993. Præterea Flori nomen in codice Salmasii epigrammati de rosis, quod Burmannus, Anth. Lat. lib. III, epigr. 291, protulit, præponitur, quod perpulchre convenit auctori Pervigilii, qui pariter a rosarum præcipiti maturitate argumentum maturandi amoris ducit. Ad hæc in scripto exemplari Pervigilii diserte id tributum fuisse Senecæ, testatur Barthius ad Claud. p. 147, edit. pr. et Advers. XVI, 6, quod ridiculum quidem videbatur Scriverio, Senecam philosophum forte intelligenti, sed haud dubie eumdem, de quo loquuti hactenus sumus, Florum poetam indigitat; siquidem constat, illum etiam historiæ Romanæ scriptorem L. Annæum Florum in plerisque veteribus libris Senecæ nomen habere, testante Vossio, de Hist. Lat. lib. I, c. 30. Quod confirmari videtur auctoritate Lactantii, Instit. lib. VII, 15, qui memorata ea, quam Florus in præfatione exponit, sententia de ætatibus populi Romani, Senecam laudat auctorem. Unde verisimile est, Annæos quosdam Flori et Senecæ cognomentum promiscue gessisse, vel Flori nomen fuisse in Senecarum familia, atque adeo Senecæ nomen, Pervigilio in scripto libro præfixum, non alium quam Florum indicare, quem plurium epigrammatum auctorem haberi vidimus. Annæus Florus poeta sub Hadriano vixit, qui in epistola ad Hadrianum apud Charisium Grammat. lib. I, p. 38 edit. Putsch. scribit *se poematiis delectari*, et cujus versiculos in eumdem Imperatorem refert Spartianus, cap. 16. Nihil igitur impedit, quo minus hunc An-

næum Florum, vel Senecam, poetam, pro auctore Pervigilii habeamus, in qua sententia et olim P. Scriverius fuit, et nostra memoria Bouhierius. Certe versiculi Flori, quos Spartianus refert, amasse eum poetam genus trochaicum ostendunt, quo Pervigilium et versus *de qualitate vitæ* sunt compositi (1). Vossius cum Salmasio eumdem hunc Florum poetam et Florum historicum esse existimabat, eumque

(1) Quam hactenus sententiam asserui, Florum nominatum esse Pervigilii auctorem, eam quidem verisimilem et plurimis indiciis fultam esse adhuc profiteor, sed tamen, idem Florus an Hadrianei ævi poeta, aut ipse Annæus, historiæ Romanæ scriptor, sit, postquam argumenta rei magis revolvi et pensitavi, multum cœpi dubitare. Omnino enim stylus, ingenium et latinitas Pervigilii sequioris corruptiorisque ætatis et diversum a Floro historico scriptorem prodit, ut si alius serior reperiri Florus possit, huic malim Pervigilium attribuere. Proinde nunc placet aliquam de auctore conjecturam afferre, quam acriori lectorum judicio permittam. In Gruteri Corpore Inscriptionum, p. MCXIV, n. 3, hic antiqui lapidis titulus legitur:

L. VIBIVS AVG. LIB. FLORVS FECIT
VIBIÆ. CHELIDONI. CONIVGI. SVÆ
KARISSIMÆ. B. M. ET SIBI. ET VIBIS
SABINIANO. MATIDIANO. FLORO. THELIMORPHO
MATIDIANÆ. LIBERTIS. SVIS. ET. VIBIO. TELIMORPHO
AVG. LIB. PARENTI. SVO. KARISSIMO, etc.

Integra hic recensetur familia Vibiorum, quorum cognomina *Flori*, *Sabini*, *Matidiani* haud obscure significant, voluisse eos memoriam et honorem Sabinæ et Matidiæ, uxoris et socrus Hadriani, tum Annæi Flori qui familiaris Hadriani erat, in familia sua conservare, quod auctores generis sui olim in domo Cæsaris Hadriani fuissent, ab eaque libertatem primum accepisseut. Quamquam ipse *L. Vibius Florus* Augusti libertus dicitur, propterea non existimandum est, ipsum olim servisse, et primum ab Augusto libertate donatum esse. Nam etiam pater ejus, Vibius Telimorphus, vocatur Augusti Libertus; et qui a libertis Cæsaris vel amicorum ejus descendebant, solebant titulum Libertorum Augusti, quasi honorem perpetuum, usurpare, et plerumque in familia Cæsarum manebant. Sed pater Telimorphus Aug. Lib. nomen habuisse Vibii videtur, quod C. Vibii Treboniani Galli, vel Vibii Volusiani, Augustorum libertus esset; et, quoniam uxorem duxerat filiam alicujus Flori, Aug.

videri adoptione nomen genuinum gessisse, ut et L. Annæus Seneca, et L. Annæus Florus diceretur; neque ego video, quid ei opinioni possit jure obverti. Dictionem enim historici esse floridam et poeticæ maxime affinem, nemo nescit, qui legerit. Bouhierius quidem hoc pro certo affirmare non vult; pro altero tamen Floro, poeta, hoc amplius argumentum addit, esse quamdam dictionum singularium, in Pervigilio et in Apuleii libris occurrentium, similitudinem,

Liberti, binc filius ejus Vibii Flori nomen accepit. Cujus idcirco ætas haud parum ab ætate Hadriani remota, et post annum Christi CCLII, quo Imperatores Vibii floruerunt, poneuda videtur. Sed a Vibio Floro nunc maxime convertor ad ejus conjugem, quæ in lapide vocatur *Vibia Chelidon*. Nomen autem Chelidonis quum haud infrequens inter mulieres Romanas fuerit, ut docuit P. Burmannus ad Anthol. Lat. tom. II, p. 99, dignum inprimis animadversione est, quod auctor Pervigilii, ubi se cantu vernantium avium provocari ad canendum ait, chelidonem h. e. hirundinem ita nominat, ut eo alludere ad proprium nomen suum videatur: « Illa cantat: nos tacemus. Quando ver venit meum? Quando faciam uti chelidon, ut tacere desinam ». Prorsus allucet mihi, iis verbis auctorem carminis se prodere feminam, nomine Chelidonem, quasi dicat: Quando erit, ut nominis mei memor idem faciam, quod chelidon, quæ vere ineunte tinnire incipit. Nisi alludere hoc modo auctor ad nomen suum voluit, debuit omnino, aliorum poetarum more, philomelam vel aedonem, præ chelidone, nominare, quæ sola dulcis cantus et carminis exemplum est, et solo vere canit, et poetriam quoque significat, ut ex epigr. Gr. Petroniæ Musæ posito ap. Grut. p. 1118, n. 9, apparet. Mulierem autem carmen Pervigilii cecinisse, totum ejus argumentum, et ipsa Pervigilii Veneris ratio demonstrat. Nam in eo hymnus a choro mulierum decantabantur, quem igitur a docta muliere compositum esse, non mirum est. Hymnus ipse de amoribus tam modeste et verecunde canit, ut ingenium probæ et castæ feminæ exprimere videatur. Quod præterea ad delicias veris amorisque describendas per totum fere carmen flores pinguntur et cumulantur, id perquam commode ad nomen Flori, qui maritus Chelidonis est, alludit. Quo pacto, conjux uterque, L. Vibius Florus et Vibia Chelidon suam carmini notam nominis impresserunt; et licet ipsa Chelidon id composuerit in Pervigilio decantandum, propterea inter poetrias Romanas referenda, fortasse tamen latere auctor sub Flori mariti nomine maluit, qui et ipse poeta erat aliis carminibus notus. Wernsd. in Add. Ed.

qua credibile fiat, auctorem Pervigilii fuisse æqualem et forte popularem Apuleii. Ego vero, quod ille in Florum poetam convenire contendit, idem de Floro historico valere non dubito. Hunc certe æqualem ætate Apuleio, et dictione valde similem esse, nemo facile negaverit, atque ego idiotismum adeo, in Pervigilio obvium, inserendæ præpositionis *de*, in Floro historico, ut in Apuleio, non infrequentem esse deprehendi, quod, si quis amplius requirere velit, poterit vel ex indice Freinshemiano cognoscere. Patria Flori historici omnino ignota est: certe nihil repugnat, quo minus ejus popularis habeatur. Vossii judicium si sequamur, Florus hic, poeta et historicus, etiam auctor habendus est Octaviæ Tragœdiæ, quæ Senecæ tribuitur; et hoc diserte affirmat Voss. Instit. Poet. lib. II, cap. 12, pag. 56. Nam quod Annæus Seneca diceretur, in caussa fortasse fuit, cur inter Senecæ tragœdias referretur. Quamquam ipse non diffiteor, languidiorem mihi et minus floridum Octaviæ stylum videri, quam qui auctori Pervigilii facile possit tribui (1).

(1) Cæterum de nomine *Senecæ*, quod Barthius Pervigilio præfixum reperit, adhuc adnotari meretur, solere Grammaticos vel librarios recentiores Senecam aliquem, sive illum antiquum Philosophum, sive alium recentiorem, passim nominare, quem putent veteres poetas subinde correxisse, interpolasse, excerpsisse. De eo Seneca juvabit hoc loco referre, quod Is. Vossius in Observatt. ad Catullum, p. 284, memorat, ad versum illum Elegiæ ad Manlium: « Omnibus inque locis celebretur fama sepulti ». Mediolanense, inquit, exemplar, cæteris omnibus vetustius, alium exhibet versum, aliquanto quidem meliorem vulgato, non tamen Catullianum, hunc nempe: « Omnibus et triviis vulgetur fabula passim ». Margini adscriptum erat eadem vetusta sane manu *Seneca supplevit*. Quisnam iste Seneca fuerit, non multum scire laboro. Recordor me vidisse exemplar, in quo Seneca dicebatur auctor esse quatuor versuum, qui Æneidi præfiguntur. Sed in pluribus Lucani codicibus dicitur is ex abrupto exorsus suum poema, addito hoc scholio: « Hos versus primos VII Seneca dicitur addidisse, ut quidam volunt, avunculus Lucani. An hoc verum sit, alii arbitrentur ». Florum quemdam fuisse, qui et ipse Seneca fuerit dictus, cujusque nonnulla exstant epigrammata inter ea, quæ Pithœus edidit, et alia nonnulla, quæ in Anthologia Luxorii occurrunt, et hoc quoque constat; sed an hic Florus

De editionibus et interpretibus Pervigilii ut nunc agamus, primus quidem hujus carminis exemplum habuit Aldus Manutius; sed an ediderit unquam, id valde dubito. Certius id scimus de Justo Lipsio, qui ex vetusto exemplari descriptum a Petro Pithœo acceperat, idque an. 1580 recensuit et illustravit Elector. libro I, cap. 5. Paullo post an. 1587 ipse Pithœus cum notis suis edidit, principe loco inter Catalecta veterum poetarum, quæ Petronio Arbitro, Lutetiæ typis Mamerti Patissonii excuso, adjuncta sunt. Repetiit et conjectaneis suis in Catullum, Tib. et Propert. subjecit Janus Dousa fil. Lugd. Bat. 1588 et 1592, in-12, ubi et aliud fragmentum nondum editum ex altero quodam Pervigilio Veneris, idque valde lascivum, inseruit, quod tamen pro supposititio ab aliis, præsertim Salmasio, habitum. Separatim Pervigilium cum notis suis edidit Jo. Weitzius, Francof. 1613, in-4. Idem Pervigilium deinceps comparuit inter Catalecta Poetarum veterum, Petronio editionis Frellonianæ Lugd. 1618, et Francof. 1621, adjuncta, et, cum virorum hactenus memoratorum notis, post commentarios variorum in Petronium per Jo. Petr. Lotichium, qui Francof. 1629, in-4, prodierunt. Hactenus editiones recensionesque omnes factæ sunt e codice Pithœi. Claudius Salmasius alium, eumque emendatiorem, nactus, eum P. Scriverio cum suis ad Pervigilium animadversionibus misit, qui sic recensitum et emendatum cum iisdem Salmasii et suis adnotationibus, nec non ex Lipsii recensione cum Pithœi, Dousæ et Weit-

historicns, an alius, non satis certum. Hujus quoque Flori sen Senecæ creditur esse Pervigilium Veneris, quod inepte Catullo tribuitur. Sane quicumque demum iste fuerit, magnum bonorum librorum ipsessorem et interpolatorem eum fuisse constat. Hæc Vossius. Jo. Pistorius in epist. ad Raphelengium, tomo II Syll. Burman. p. 342, memorat invenisse se librum membranaceum, in quo erant perpetuæ notæ, adscriptis verbis, quæ per notas significantur. In fronte majusculis literis adscriptum : « Auxiliante Domino incipiunt Notæ Senecæ feliciter, Amen ». Et paullo inferius : « Liber Notarum Senecæ Magistri ». Wernsdorf. in Addendis. Ed.

zii notis, exhibuit in collectione variorum opusculorum, quæ Baudii Amores inscripsit, Hagæ Comitis 1637, vel, ut alia exemplaria habent, Lug. Bat. 1638, in-12. Seorsum cum amplis commentariis Andr. Rivini prodiit Lips. 1645, in-4. Deinde cum notis selectis variorum, post editionem Petronianam Simonis abbatis Gabemæ Traj. ad Rhenum, 1654, in-8, exhibuit ad calcem Petronii Mich. Hadrianides, Amstel. 1669, in-8. Idem cum notis subjicitur poematiis Jo. Ludov. Praschii, Norimb. 1666, in-12; Catullo, Tib. et Propert. ex recensione Grævii, Traj. ad Rhen. 1680, in-8; cum notis Phil. Silvii accessit Catullo, Tibullo et Propertio, in usum Delphini, edit. Paris. 1685, in-4, pag. 777 seq. Consummatissimam Pervigilii Veneris editionem eruditus quidam in Batavis, quem Jo. Clericum esse suspicor, dedit Hagæ Com. 1712, in-8, ubi carmen ex editione Pithœi, cum ejusdem et Lipsii Weitziique notis, iterumque ex codice Salmasii, cum hujus et Scriverii animadversionibus, exhibetur : adduntur Andreæ Rivini integri commentarii, et Ausonii Cupido cruci adfixus cum variorum notis. Recensuit et descripsit hanc editionem Jo. Clericus in Bibl. selecta, tomo XXIV, p. 218 seqq. Recentius post Horatii Flacci carmina, observationibus et dissertationibus criticis illustrata, Hymnum illum in Venerem, gallice conversum, cum permultis notis criticis (*Traduction d'une ancienne hymne sur les fêtes de Vénus, avec des remarques critiques sur la même pièce*) edidit Natal. Steph. *Sanadon*, e Societate Jes. Paris. an. 1728, in-8, qui multa in carmine audacter mutavit, versus alios transposuit, alios rescidit plane, quasi ab aliena manu adsutos, singulos autem divisit in duos. Notas Sanadoni, una cum contexto Pervigilii, typis repetendas curavit, sed multis etiam locis acriter reprehendit Bouhierius, Curiæ Divionensis Præses, in Conjecturis in Pervigilium Veneris (*Conjectures sur la Veillée des fêtes de Vénus, par M. le président Bouhier*), quas cum Petronii carmine de bello civili, gallica versione et notis illustrato,

additis duabus epistolis Ovidii, edidit Amstel. 1737, in-4, recus. Paris. 1738, in-12, in qua altera editione ipsum Pervigilium Gallico carmine redditum est, quod in prima non erat. Horatianorum carminum, cum Sanadoni curis, recentiori editioni, Paris. 1756, in-8, ejusque tomo VII, præter ipsius Sanadoni et Bouhierii in Pervigilium observationes et conjecturas repetitas, adnexæ sunt aliorum, partim antiquiorum, curæ in hoc poema, ut pag. 321 Observationes (*Remarques de M. de la Monnoye sur le Pervigilium Veneris*), quales ipse *de la Monnoye* edidit in Menagianis, t. I, pag. 14 seq. anni 1715; pag. 327 *Pervigilium Veneris emendatum et notationibus illustratum ab illustriss. abbate de Longuerue*, ubi ipsum carmen præmissum est; denique pag. 343, *Lettre de M. le Franc à M. l'abbé des Fontaines sur le Pervigilium Veneris:* quæ epistola nonnullas reprehendit Bouhierii conjecturas, illam præcipue, qua duos hymnos diversi ævi et styli eo poemate contineri putavit. Præterea ipsum Pervigilii auctorem deprimit, eumque non nisi plagiarium Virgilii fuisse, collatis utriusque locis, ostendit. Ipse abbas *des Fontaines*, ad quem hæc epistola exarata est, tomo XIV, epist. 198 de Pervigilii Veneris et Horatii editione Sanadoniana acutum tulit judicium. Cæterum quæ Bouhierius in Sanadono culpaverit, quæque ipse in Pervigilio illustrando præstiterit, ea memorata videas ab Harlesio, v. i. Vit. Philolog. vol. IV, pag. 71. Pluris operam a Sanadono huic poemati datam fecit vir doctus, qui recentissime *Pervigilium Veneris ex castigationibus observationibusque Sanadoni emendatum*, et Catullo, Tibullo, Propertio adjunctum Goettingæ prodire jussit an. 1742, iterumque 1762, in-12. Denuo versionem hujus Pervigilii Gallicam duplicem, prosaicam et metricam, edidit anonymus quidam, qui nomen suum non nisi in subscriptione epistolæ dedicatoriæ literis L. D. P. indicavit: *Traduction en prose et en vers d'une ancienne Hymne sur les fêtes de Vénus, intitulée Pervigilium Veneris; à Londres, et*

se trouve à Paris, MDCCLXVI. In præfatione nonnulla in versione Pervigilii, quam *La Chapelle* et *Bouhier* ante fecerunt, castigantur; Bouhierii etiam plures conjecturæ, emendationes, interpretationes refelluntur. Textum latinum carminis ex conjecturis et correctionibus Sanadoni, et divisis, ut ille fecerat, versibus, redditur, adduntur que breves in illud notæ (1). De Gallica Pervigilii metaphrasi, nescio qua, agit Jo. Clericus, Biblioth. select. t. XXIV, pag. 225. Præter Gallicas versiones Pervigilium Veneris cum Ausonii Cupidine cruci adfixo, Anglico translatum carmine accepimus a Thoma Stanleio, Lond. 1651. Ex frequentibus igitur versionibus Pervigilii Veneris, et multis in illud scriptis commentariis, facile apparet, quam gratum et elegans simul, et quam grave doctis viris hoc carmen visum fuerit. Nos rejectis Sanadonii audaculis mutationibus, textum ipsum carminis e codice Salmasii et Scriverii recensione dabimus, adjecta tamen varietate codicis Pithœani castigabimus amplius, et in adnotatione subjecta optima quæque observata recentiorum, quos videre licuit, interpretum notabimus et cum nostris componemus. Pervigilio Veneris subjungemus eclogas vel excerpta trochaica, *de qualitate vitæ* inscripta, quæ codex Pithœanus Florido, Salmasianus Floro tribuebat. Hæc enim quoniam et eodem metro scripta sunt, et judicio quorumdam doctorum eumdem auctorem, ac Pervigilium Veneris, habent, huic etiam subjuncta a quibusdam editoribus sunt, a nobis hoc loco non omittenda videbantur.

(1) Textum solum Pervigilii editor Collectionis Pisaurensis omnium poematum, carminum, fragmentorum Latinorum iuseruil tomo IV, qui Pisauri 1766 prodiil, pag. 225. Ed.

DE

PERVIGILIO VENERIS

ELOGIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Desid. Erasmus in Adagiis, Chil. I, Cent. 9, adag. 1 : *Amyclas perdidit silentium.*

Innuit adagium Virgilius, Æneid. lib. X, quum ait *tacitis regnavit Amyclis.* Et ibi apud Servium Lucilius : *Mihi necesse est loqui : nam scio Amyclas tacendo periisse.* Silius Italicus, *quasque evertere silentia, Amyclæ.* Meminit et Catullus, nisi fallit inscriptio carminis DE VERE, quod nuper nobis Aldus Manutius noster exhibuit, in antiquissima quadam Galliæ bibliotheca repertum.

II. Lilius Gyraldus, Dial. X, de Poetis.

Aldum Manutium memini dicere, se Catulli poema habere, quod VER inscribitur. Idem et Erasmus fatetur: necdum tamen mihi illud videre contigit.

III. Justus Lipsius, Elector. lib. I, cap. 5.

Carmen vulgabo, quod clarissimus jurisconsultus Petrus Pithœus munus mihi misit; sed carmen non visum antea, non lectum, et cui merito præfabor *Favete linguis.* Repperit vir doctissimus et diligentissimus harum rerum, in vetusto eoque unico exemplari.—Elegans mehercle et quantivis pretii carmen, molle, tenerum, sed Romanis, ut sic dicam, non Alexandrinis deliciis.

IV. Jos. Scaliger, Castigationibus in Catullum.

Id tantum dicam, Urbicarium et Mimographum poetam huic nostro cognominem fuisse, cujus meminit Juvenalis. Et fortasse is fuit auctor carminis DE VERE, ex quo hoc citat Erasmus: *Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit silentium.*

V. Casp. Barthius ad Claud. pag. 147 edit. primæ, 1612.

Nacti non longe post sumus et exemplar scriptum Venerii illius Pervigilii, quod omnes elegantia præstantissimum norunt, sub titulo Senecæ, ut quidem carie confectæ literæ demonstrant.

VI. Idem, Adversar. lib. XVI, cap. 6.

Hoc monere de universo carmine volumus, scriptum nos exemplar habere, ubi SENECÆ adscribitur expresse; et observasse versum fere integrum Fulgentianum, qui exstat I Mythologiarum.

VII. Idem, Adversar. lib. XLIV, cap. 7.

Via est instructio, doctrina, ratio, demonstratio. Auctor Pervigilii Veneris, nec Catullus, nec Urbicarius, forte Seneca: *Imbuit, jussitque mundum nosse nascendi vias.*

VIII. Jo. Weitzius, principio notar. ad Pervig. Ven.

Carmen ipsum floridum est, et haud invita natum Venere, nec illa Dea indignum, vereque Ἔρωτος πνέει, Ἀφροδίτην προξενεῖ, Amorem spirat, Venerem conciliat, ut est apud Achillem Tatium in divino Rosæ encomio: atque adeo

> Tam liquidum, tam dulce sonat, ut non ego malim,
> Quod Peligna legunt examina, lambere nectar.

IX. Claud. Salmasius ad Solinum, pag. 196 edit. Traject.

Auctor Pervigilii Veneris, quem Catullum esse nullo judicio volunt eruditi, quum sit mediæ ætatis, et Solino supparis:

Tum cruore de superno, spumeo pontus globo.

X. Idem, eodem libro, pag. 796.

Vetus poeta in Pervigilio: *Humor ille quem serenis astra sudant noctibus.* Rorem intelligit. Veteris poetæ fragmentum *rorifluam lunam* appellat: *Quam nos rorifluam sectemur carmine Lunam.* Poema illud non rectiore judicio tribuitur Varroni Atacino, quam Pervigilium Veneris Catullo. Utriusque carminis auctor non longe fuit ab ætate Solini. De quo alibi.

XI. Idem ad Trebell. Poll. trig. tyr. cap. 10.

Verbum *perviglare* est apud auctorem Pervigilii Veneris: *De tenente tota nox est perviglanda canticis.* Ita enim in optimo et vetustissimo libro scriptum reperimus, cujus libri ope nos propediem illud poema auctius emendatiusque dabimus.

XII. Janus Brouckhusius ad Tibull. II, 1, 67.

Auctor Pervigilii Veneris, suavissimus ille ac delicatissimus, v. 76: *Ipse Amor puer Dionæ rure natus dicitur.*

XIII. Jo. Clericus, sive Auctor præfationis ad edit. Pervig. Ven. Hagæ Com. 1712.

Quamvis satis constet Pervigilium Veneris non esse Catulli, attamen non infimi ævi, neque proletarii poetæ esse

satis ostendunt ingenium et stylus hominis; qui non procul abit ab illa elegantissima ævi Augusti simplicitate, ab omnibus longe accersitis ornamentis aliena, et nativa pulchritudine placente.

XIV. Sanadonus in Præfat. ad Observ. in Pervig. Ven.

Malgré toutes les beautés qui rehaussent le prix de cet ouvrage, on n'y trouve point cette majestueuse et élégante simplicité des écrivains du beau siècle. Parmi les pensées délicates et ingénieuses qui y éclatent, on remarque je ne sais quelle affectation d'esprit, qui se sent un peu de la décadence du bon goût. Quelque brillante et quelque fleurie que soit l'élocution, la latinité n'en est pas toujours exquise. J'en appelle aux connaisseurs, qui, quoique en petit nombre, doivent seuls décider en cette matière. Mais quel qu'ait été cet auteur inconnu, on ne peut trop louer la retenue avec laquelle il a traité son sujet. Il est étonnant qu'un poète, et un poète païen, ait fait une pièce si mignonne pour une fête si galante, sans qu'il lui ait rien échappé qui puisse alarmer la pudeur.

XV. Bouhierius in Conjecturis super Pervig. Ven.

D'autre part, si l'on est de bonne foi, on doit reconnoître que la plus grande partie de ce poëme se sent de la décadence du bon goût, et qu'elle n'a pas le ton des siècles où florissoit l'éloquence romaine. On en a vu ci-dessus les raisons, et la chose saute aux yeux; en sorte qu'on peut dire de cet ouvrage ce qu'Ausone disoit autrefois (*epist. ad Hesperium fil.*) de quelques-uns des siens, quoique peut-être contre sa pensée : *Multa fucatius concinnata, quam verius; et plus coloris, quam succi habere.*

PERVIGILIUM VENERIS.

« Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet. »

Ver novum, ver jam canorum, ver renatus orbis est.
Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.

1. *Cras amet, qui.* Proponit hoc versu auctor, quod toto carmine hortari et monere vult, pervigilandum Veneri, et Amori operam dandam esse; rationesque persuadendi deinde a veris amabilitate, et tempore ad amorem a natura facto, petit. Est hoc προσφώνημα seu πρόασμα, quod per certa intervalla repetitum ἐπιμελῴδημα et ἐπῳδὴ vocatur, ab aliis etiam poetis, ut a Theocrito et Virgilio in Eclogis, et in epithalamio Catulli, usurpatum. Minime igitur removendus a principio ille versus est, quod Scriverius volebat. An justo semper loco sit repetitus, et codices nihil erraverint, certo non audeo affirmare. Tale est præconium apud Arnobium, lib. VII, pag. 238: « Jovis epulum cras est ».

2. *Ver canorum* cur dixerit, ipse explicat poeta versu 84 seqq. Cod. Pith. *ver natus orbis est;* cod. Salm. *vere natus novis est.* Pithœus et Salmasius correxerunt, *vere natus orbis est.* Sed magis placet, quod Lipsius volebat, *ver renatus orbis est.* Quoniam τὸ *est* tria ad commata refertur, totumque versum claudit, etiam *ver* ab auctore ter repetitum videtur. Et sic Calpurn. V, 21: « viridisque renascitur annus ». Plin. Hist. Nat. XVI, 25: « Arborum flos est pleni veris indicium, et anni renascentis ». *Mundum renascentem* dixerunt Prudentius et Venant. Fortunatus.

3. *Nubent alites*, sic cod. Pith. sed rectum est *nubunt*, h. e. συνουσιάζουσιν. Pontanus in Macrob. VII, 16, vult *pubent* i. e. vernant. Vocales amores volucrum in præcipuis Veris indiciis habentur. Vid. Virg. Georg. II, 328; Oppian. Cyneg. I, 377, et Halieut. I, 473: quæ loca merentur conferri cum Nostro.

4. *Comam resolvit*, nodos foliorum resolvit, βλαστάνει. regerminat. Argute nimis Rivinus emendat: *Et nemus zonam resolvit de maritis*

Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat casas virentes de flagello myrteo.
Cras Dione jura dicit fulta sublimi throno.

« Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet. »

Tunc cruore de superno, spumeo Pontus globo,
Cærulas inter catervas, inter et bipedes equos,

imbribus. Mariti imbres fecundantes : translatio ab hominum conjugatione. Virg. Georg. II, 325 : « Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther, etc. » quem imitatur Columella X, 206. Et Venus apud Stat. Silv. I, 2, 185 : « ipsum in connubia terræ Æthera, quum pluviis rarescunt nubila, solvo ».

5. *Amorum copulatrix*, Venus, cui pervigilium fit. Sic in epithal. Catulli Hymen *boni conjugator amoris*. Codex Pithœi habebat *amorem*.

6. *Casas virentes*. Uterque codex *gazos* legebat. Infra v. 43 clarius *myrteas inter casas*. Sub pergulis vel tabernaculis cœtus factos in Pervigilio, docet hic locus. Aliter fiebat tempore Ovidii et Plutarchi, ut in procemio diximus. De sacro Ambarvali quidem Tibull. II, 1, 24 : « Ludet, et ex virgis exstruct ante casas ». *Flagellum* est summa et tenuior pars rami, sive malleoli vitium. Serenus fragm. III : « Quando flagella jugas, ita juga ».

7. *Dione*, mater Veneris, hic pro ipsa Venere, et sæpius deinceps. Pro *throno* male quidam voluerunt *thoro*. Nam tribunal Deæ, judicium exercentis, vult indicare poeta, quod amplius describit infra v. 48. Ποικιλόθρονος epitheton, quod Veneri tribuit Sappho, alio spectat. Quum *throni* vocabulum antiquioribus ignotum affirmet Vavassor in Antib. et Cellarius, illud hoc loco usurpatum recentioris ævi scriptorem prodit. Idem quidem apud Sueton. Aug. cap. 70 in ignoti auctoris carmine occurrit, sed et ibi inscriptos quosdam habere *toros* testatur Casaubonus.

9. Cod. Pith. *Tuno quivore desuper hue spumeo pont' de glovo.* Salmasianus autem clare : *Tunc cruore de superbo* pro *superno*. Idem expresse habet *spumeo pontus globo*, et reliqua, quæ dedimus. Nota est fabula, qua Venus fingitur e spuma maris et e sanguine genitalium Cæli orta. Tibull. I, 11, 40, et copiosius fragmentum Ponticon. Nisi corrupta adhuc verba sunt, aut quædam deficiunt, *tunc* accipiendum est de die, qui cras celebratur, vel veris initio, quo etiam Venus nata dicitur.

10. *Cærulas inter* : est *cærulus grex Nereidum*, ut appellat Seneca Hippol. v. 335. — *Bipedes equi*, Neptunii, hippocampi, qui priores pedes habent, et in pisces desinunt, et pontum remigant, quales et Proteo tribuit Virg. Georg. IV, 388. Conf. Propert. III, 2, 6. Brouckusium, qui per equos intelligi vult pisces frenatos, ad

Fecit undantem Dionen de maritis imbribus.

« Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet. »

Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floribus;
Ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu
Urget in notos penates; ipsa roris lucidi,

Prop. III, 1, 46, refutat vir doctus in Miscell. Observ. vol. II, p. 110.

11. *Fecit*, i. e. creavit, ut v. 23 *Facta Cypris de cruore.*—*Undantem*, quæ fluctuaret, agitaretur, *maritis imbribus*, Ponti fluctibus fecundis. Malim hic cum Rivino legere *marinis*, quum et ingrata sit repetitio ex versu 4, et *imbres* sæpe esse undas fluctuantes, notum ex poetis. In fragmentis Ennii *imber Neptuni* est mare

13. *Ipsa*, pronomen, quod toties repetitur hoc carmine, non addito nomine, designat Venerem, ut Deam, dominam et præsidem Pervigilii; siquidem pronomen *ipse*, ut Græcorum αὐτὸς, auctoritatis et principatus demonstrativum est. Cujus rei exempla vidimus in Nemes. Cyneg. 70; et Calp. Ecl. I, 46, et IV, 48. Ab hoc vs. 13 ad 26 usque, rosarum incrementum et pulchritudo describitur, cum perpetua allusione ad rem Veneream et connubia. Quæ quia Venere jubente crescunt, et maturato flore manus carpentium invitant, hinc ea imagine Venus ad amandum nubendumque hortatur. Aliter sentit Rivinus, et in his versibus nihil de rosis, omnia de ipsa Venere, procreationis præside, intelligit; quæ, cum ipsa de Favoni spiritu turgeat papillis suis, propterea et terram fecundatura rorem ubique lucidum spargat. Rivini interpretationem etiam Sanadonus amplectitur. *Ipsa gemmis*, pro gemmeis. Ut Prudent. Peristeph. hymn. I, 3: « Sanguinis notis eadem scripta terris tradidit », pro *Sanguineis notis*. Schedæ Pithœi mendose *Ipse gemmas*, unde ille emendabat *gemmans*.

14. *Papillas* vocat rosarum prima germina cum corymbis vel spiculis. Plinius, XXI, 4, vocat *alabastros*, alii poetæ *papillatos corymbos*, *pyramidas*, *obeliscos*.—*Surgentes* sunt nascentes, crescentes. Lipsius malebat *turgentes*; frustra. *Spiritu* invenit Pithœus, quum in ejus codice esset *Faboni paritu*. Ego vero non plane rejecerim *paritu*, antiquum et singulare vocabulum, et in hac re proprium, a *parere*, quod de Favonio usurpavit Catullus: « Aura parit flores tepidi fecunda Favoni ». Hinc, *pariens gramen florum*, Calpurn. II, 32.

15. *Urguet in notos penates*. Sic cod. Salmas. Pithœanus habebat *in totos pentes*, unde Pithœus conjecit *toros stupentes*, Lipsius *toros tepentes*. Idem Scriverius, vel *toros parentes*. E Salmasiana lectione quidam amicus Scriverii conficiebat *in nodos tenaces*, ipse tentabat *nudos penates*, intelligens penates hi-

Noctis aura quem relinquit, spargit humentes aquas.
Lacrymæ micant trementes de caduco pondere:
Gutta præceps orbe parvo sustinet casus suos:

berno tempore destitutos floribus ac coronis. Sanadonus recipit correctionem Rivini, *Mulget in toros tepentes*; et *papillas* accipit Veneris vel Floræ, et *toros tepentes* de campis et pratis. Bouhierius contra vult *Urget in nodos rubentes*, et intelligit de rosis. Et quis diversas omnium conjecturas in loco tam dubio enumeret? Ego inhærendum censeo Salmasianæ lectioni; et *notos penates* interpretor corticem nascentis rosæ, quem quasi domicilium suum magis magisque crescendo implet, usque dum pandat se, et in calathum abeat; sicut cellas granorum in malo punico Avienus in carm. de Mal. Pun. *domos* vocavit: *noti* autem penates sunt sui, vel apti, a natura dati. — Pari dictione utitur Himerius Sophista, Ecl. XX, 4, pag. 270, edit. Wernsdorfii, et rosam dicit in calyce, quasi domi suæ, latere: οἰκουρῆσαι (τὸ ῥόδον) τὸ πολὺ τῆς ἀκμῆς εἴσω τοῦ κάλυκος, ὀψὲ προσκύπτει καὶ σχίζεται». Edit. — Si hoc duriusculum videatur, *notos* accipiam pro *nodos*, quemadmodum idem librarius versu 26 scripsit, et legam *nodos patentes*, i. e. amplos, vel *tumentes*. Sic certe vocant papillam vel pyramidem rosæ crescentis, ubi amplior crassiorque facta est. Auctor epigrammatis de Rosa: «Una dies ostendit spicula florum, Altera pyramidas nodo majore tumentes». — *In nodos urgere* dixit Augustinus, lib. I de Ordine, cap. 5, § 14: «Quis neget, Deus magne, te cuncta ordine administrare? Quam se omnia tenent, quam ratis successionibus in nodos suos urgentur. Ed.

16. *Noctis aura quem relinquit.* Lipsius et Scriverius volunt *quum reliquit*, i. e. remisit, desiit; ut Virg. Æn. VII, 27: «Quum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus».

17. Schedæ Pithœi habebant: *Et me eanat lacryme trementes detadum poudere.* In Salmas. erat *Et micanat*, in fine *de caduco pondere.* Igitur sic versum constituit *Emicant lacrymæ trementes de caduco pondere.* Scriverius scripsit, ut versui consuleretur, *Lacrymæ micant trementes.* Qua correctione non opus erat. Cæterum Sanadonus sequentes versus quinque, *Lacrymæ micant*, usque ad *Ipsa jussit*, plane ejicit et expungit, has ob rationes: 1° quia sint supervacui et inutiles; 2° quia sensum et constructionem impediant, et efficiant, ut nimium disjunctis versibus 15 et 22 repetitio nominativi *Ipsa* vim suam amittat, et cogitatio lectoris ab ipsa Venere abducta detineatur in puerili descriptione roris et rosæ; 3° quia, eo ordine præpostero sententiarum, versu 21 *rosæ virgines* dicantur *solvi humenti peplo*, quæ v. 22 demum *nubere*, h. e. tegi et velari; 4° quia totus locus sermonem habeat perplexum et enormibus metaphoris implicatum; 5° quia plura contineat vocabula, quæ, nisi omittatur hoc pensum, vicinis versibus statim recurrant, et cum tædio repetantur. Sed his dubiis Sanadoni partim facile occurritur commoda et accurata interpretatione contex-

Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.
Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus,
Mane virgines papillas solvit humenti peplo.
Ipsa jussit, mane ut udæ virgines nubant Rosæ.
Facta Cypris de cruore, deque Amoris osculis,

ti, partim iguoravit ille scopum auctoris, qui omnes naturæ vernantis partes, atque in his etiam flores et rosas specie connubii fecundantis oruare, eoque et Venerem laudare, et hortari ad amorem volebat. Iguorabat etiam canssam, quæ poetam ad rosarum incrementa tot versibus describeoda invitabat, locum nempe, in quo Pervigilium celebratur, rosa et aliis floribus odoribusque pleuum verno tempore, ut in proœmio docuimus; quem si ob oculos ponat lector, oon ei superfluum et nimium videbitur, quod poeta de rosis dixit, sed potius iogeoium ejus et artificium aguoscet, qui tam bene sciverit florulentum loci decorem argumento et scopo suo accommodare. Ob easdem rationes Sanadonus versus alios tres 24-26 supprimit et ejicit.

19. *In pudorem :* ita cod. Pith. in Salm. *pudore*. Et Pithœus voluit *prodierunt*. Ego cum Salmasio putem scribeodum : *Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ*. Nempe, quoniam purpuræ rosarum illis roris guttis perspersæ sunt, hinc prodiderunt pudorem, i. e. ruborem suum. Sic in Rosis Ausonii : « ridentis calathi patefecit booorem Prodeos ioclusi semioa densa croci ». Male Scriverius mutare volebat : « In pudorem floris Ennæ prodierunt purpuræ », quasi tanti ruboris, ut rosas Ennenses confunderent, et colore vincereot. *Florulentæ* olim jam legit Fulgentius, qui tum huoc versum exscripsit. Abbas *de Longuerue* lectiooem Pithœanam probat, et *prodire in pudorem* dici existimat, veluti prodire in lucem.

21. Cod. Pith. habuit *Mane virgineas papillo ;* sed *virgines papillas* correxerunt Pithœus et Lipsius, et sic præfert cod. Salm.—*Humenti peplo*, ut in Ausonii Rosis : « Vertice collectos illa exsiouabat amictus »; et in veteri epigrammate de Rosis, quod e cod. Salm. descripsit Scriverius : « Huic dum virgineus pudor exsinuatur amictu ».

22. *Ipsa jussit, mane ut udæ.* Sic recte viri docti. Schedæ Pithœi habebant *Ipjussit mane tuæ ;* Salmas. *Ipsa jussit manet tute*. Hoc *jussit, ut*, indicium est serioris latinitatis, et in *jussit* toties repetito ioest imitatio Ovidii, qui Fast. IV, 139 : « Vos quoque sub viridi myrtho jubet illa lavari ». Verba *Mane virgines nubant rosæ* Saoadonus et *Longuerue* explicaot, rosæ roscidæ iovolucro tegautur, quasi velo, seu oubant; ego vero malim, fruendas carpeodasque se præbeant, et e virginibus fiant maritæ, quia, ut prædixerat, mane solvuntur humenti peplo. Et in *mane* est significatio maturitatis. Hæc allusio ad nuptias hominum amplius explicatur sequentibus.

23. Pithœus et Lipsius invenerunt in membraois *Fusta prius de cruore ;* Salmasius *Facta prius*. Hinc male Lipsius fecerat *Fusæ aprino de cruore*, e fabula Adonidis. Sed rectius Scriverius *Facta Cypris de*

Deque gemmis, deque flammis, deque solis purpuris,
Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
Uvido marita nodo non pudebit solvere.

« Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet. »

Ipsa nymphas Diva luco jussit ire myrteo.
It Puer comes puellis. Nec tamen credi potest

cruore, nempe orta vel creata de Veneris sanguine, ruborem contraxit. Fabula a multis celebrata. — Quod *Cypris* dicitur pro Venere, id sequioris ætatis scriptorem arguit. Nam antiquiores eo nomine non usos, notabimus ad Reposiani Conc. Mart. et Ven. v. 23, t. seq. Ed. — *De amoris osculis*, quia Amor, ipse roseus, in rosam osculo junctam ruborem transfudisse videtur. Sic infra v. 79 vicissim Amor *florum osculis educatus* dicitur. Pithœanus hoc loco *oculis* babebat. Jo. Meursio placuisse *Deque Adonis osculis*, refert Scriver. in not. Rivinus tentavit *Deque Amoris offulis*.

24. *Deque Solis purpuris*, h. e. purpureo colore Auroræ, quo tingi videtur rosa mane efflorescens et rore rigata. Sic in Rosis Ausonii : « Ambigeres, raperetne rosis Aurora ruborem, An daret, et flores tingeret orta dies ».

25. *Veste tectus ignea*. Intelligit, quod versu 21 *humentem peplum* dixerat, calicem. *Igneam* dicit haud dubie ob rorem lucidum, qui insidet, ex versu 15, et alludit ad flammeum virginum sponsarum.

26. Cod. Pith. corrupte : *Unica marito nodo non pudent solvere*, Salmas. *marita noto*. Hinc Pithœus correxit *Unico marite*, et Salmasius *Unico marita nodo non pudebit solvere*. Hic in *marita* allocutionem esse putat ipsius Rosæ : quod mihi videtur, et *marita* cohæret cum præcedente *Facta Cypris de cruore*. Quæ, inquit, ruborem ab ipsa Venere traxit, et antea virgo fuit, cras ubi marita facta fuerit, non pudebit ruborem, qui veste ignea calycis, tamquam flammeo virginis, latebat tectus, unico nodo solvere. Hic tamen cum Bouhierio malim legere *Uvido nodo*. — Hic enim *unico* sensum idoneum non habet, et *uvido* ponendum jubet v. 22, ubi rosæ dicuntur *udæ virgines*. Ed. — Manifeste alluditur ad ritum nuptialem, quo sponsa zonam solvebat marito ; ut in Catulli epithalamio : « Tibi virgines zonula solvunt sinus ». Etiam in *ruborem solvere* ambiguitas est. Nam *ruboris* loco dicere *pudorem* potes, ut versu 19 factum est, et pudorem solvere virgo dicitur, tradens se marito. Vid. Virg. Æn. IV, 55. Similiter vetus epigramma quod supra ad vs. 21 citavimus. Et Lactant. in Phœn. v. 128 : « Et pandit vestes Flora rubente polo ».

28. Hac strophe Venus dicitur, ut amores et voluptates omnium invitaret, Nymphas jussisse per lucum myrteum ire, et choreas

Esse Amorem feriatum, si sagittas vexerit.
Ite, nymphæ; posuit arma: feriatus est Amor.
Jussus est inermis ire, nudus ire jussus est;
Neu quid arcu, neu sagitta, neu quid igne læderet.
Sed tamen, nymphæ, cavete, quod Cupido pulcher est:
Totus est in armis idem, quando nudus est Amor.

« Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet. »

Compari Venus pudore mittit ad te virgines:
Una res est, quam rogamus: cede, Virgo Delia;
Ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus.

ducere, comitante Amore. Hac re adumbrare poeta festivas voluptates videtur, quas celebrare Pervigilio Veneris in luco mixtæ juvenibus puellæ solebant. Quemadmodum apud Suetonium Tiberius, cap. 43, dicitur in silvis et nemoribus passim *Venereos locos* commeatus esse, prostantesque per antra et cavas rupes, ex utriusque sexus pube, Paniscorum et Nympharum habitu. Codex Pith. hoc versu habebat *loco jussit ire myrteo*, et sequente *Et puer comes*. Utrumque recte emendavit Pithœus, ita ut Salmasius exhibuit.

30. *Si sagittas vexerit*. Idiotismum ait Salmasius esse ævi illius, quo vixit auctor Pervigilii, *vehere* pro *ferre* vel *gestare* humeris vel manibus, idque duobus locis Ammiani Marc. probat. Vid. Gronov. Observ. III, 5; Burmannus ad Anthol. t. I, p. 331, et nostram adnot. ad Sereni fragm. XVII. Meursius in ora libri *texerit*, male.

32. Schedæ Pith. habebant *durus ire jussus est*. Sed Pithœus jussit legere *nudus*, quod confirmatur versu 35, et codice Salmasii, qui *nudos* legit. Similiter Tibull. II, 1, 82, ad Amorem: « Sancte, veni dapibus festis, sed pone sagittas, Et procul ardentes, hinc procul, abde faces ». — Confirmatur et v. 56 infra: « Jussit et nudo puellas nil Amori credere ». Amor feriatus et inermis, neu quid arcu, neu quid igne lædat, cælitem indicat Amorem, mitem, honestum; non inquietum, lascivientem et tumultuosum, telis funereis et facibus armatum. Vid. ad Quintil. Declam. XV. Ed.

35. *Totus est in armis idem*. Sic recte Salmas. Mendose Pithœanus: *totus est inermis*. Quod Amor pulcher est, etiam totus est armatus, quum armis exsutus est. Nam pulchritudo illi satis valida armatura. Salmas.

37. Hac strophe Venus dicitur virgines allegare ad Dianam, et orare, ut luco absit. Qua fictione significat poeta, hac solennitate ita vacandum amori et voluptati esse, ut omnis vis, et ferocia, et cædes absit, quibus rebus vacare in silvis Diana solet. — *Compari pudore*, i. e. simili et Dianam decente, quod virgines mittuntur ad virginem.

Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret;
Ipsa vellet ut venires, si deceret virginem.
Jam tribus choros videres feriantes noctibus,
Congreges inter catervas, ire per saltus tuos,
Floreas inter coronas, myrteas inter casas.
Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec poetarum Deus.
De tenente tota nox est perviglanda canticis.

40. Hunc versum codex Pith. non habuit, sed in suo exemplari Salmasius reperit, ubi sic scriptus erat: « Ipsa vellit erogare si pudicam flecteret ».

42. *Feriatis noctibus*. Sic scriptum habuit uterque codex. Lipsius e correctione Pithœi edidit *feriatos*; Scriverius *feriatis noctibus*: is vero putat librarium scripsisse *feriautis*, i. e. feriantes, idque esse ab auctore. Nec mihi aliter videtur. Atque hac lectione eliditur argumentum, quod ex hoc versu ducit Bouhierius, et quod jam in proœmio discussimus, duo diversa poemata hoc Pervigilio contineri, quia hic auctor dicat, *choros jam tribus noctibus feriatos esse*, post tamen versu 59 primus dies ejus solennitatis annuntietur in crastinum. Ego vero, etiam si *feriatos* legatur, propterea non putem præteritam et finitam feriationem indicari.

43. *Congregis* vel *congrex* inferioris ætatis vox est, ut apud Prudentium *segrex* et *complex*, *complices*. — Addatur locus Ausonii, Epist. X, 21: « Cernimus Augustas fervere vias, et congrege vulgo Nomen plateas perdere ». ED.

45. *Poetarum Deus*, Apollo, propter cantica, de quibus mox. Quum Apollinem Baccho conjungat auctor, valde congruens huic loco est fragmentum III Flori, quo Apollo et Liber comparantur: « Sic Apollo, deinde Liber, etc. »

46. Cod. Salmas. habuit *De tinente*, et *perviclanda*. Unde lectionem constituit Salmasius, quam dedimus. Sed Pithœanus scripsit *Detinent et tota nox est perviglia canticis*: unde Lipsius voluit *Detument*, et *pervigil a canticis*; Pithœus *pervigilata*. Rivinus plura commentus est: *Decinunt*, item *Tinnitant*, *et tota*. Sanadonus et clar. Bouhierius adoptarunt *Te sinente tota nox*; quæ sane non displicet lectio. Nolim tamen deserere correctionem Salmasii *De tenente*, i. e. uno tenore, seu continuo, quod etiam in Gallico idiomate usurpari ait, *d'un tenant*. Sane etiam melioris ævi scriptoribus *tenere* est continuari, ut ipsi observavimus ad Gratii versum 219: « nec vasa tenentia longe ». — Sed Vossius ad Melam, III, 6, pag. 256, miratur « Salmasium putidam adeo locutiunculam cultissimo inseruisse poematio, et non animadvertisse tam leve mendum ». Sic enim distinguendos esse versus istos: « Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec poetarum Deus, Detinent te. Tota nox est perviglanda canticis ». ED. — *Perviglanda* hoc loco scriptum esse pro *pervigilanda*, e similibus recentioris ævi vocabulis ita contractis probat Salmasius ad h. l. et ad

Regnet in silvis Dione; tu, recede, Delia.

« Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet. »

Jussit Hyblæis tribunal stare Diva floribus.
Præses ipsa jura dicet, adsidebunt Gratiæ.
Hybla totos funde flores, quotquot annus attulit,
Hybla florum super ut exstet, quantus Ennæ campus est.

Treb. Poll. in Trig. tyr. cap. 10: quod etiam Bouhierius approbat.

49. *Stare floribus*, i. e. oppleri et stipari, ut Virgil. Æn. VI, 300, « stant lumina flamma »; et XII, 408: « Jam pulvere cælum Stare vident ». — Cæterum tribunal floribus stipatum dignum est mollitie Veneris, quæ et ipsa somnum capere *acclinis florum cumulo* dicitur apud Claudian. in Epithal. Pallad. et Cel. v. 4. Ed. — Lepida hercle fictio est, inquit Lipsius, ut Venus in illo tribunali quasi præses et quæsitor sit, Gratiæ adstetrices. Ita Alciatus Jurisconsultus, emblemate L, illud agnovit: « Tres Charites Veneri adsistunt, dominamque sequuntur, Hincque voluptates atque alimenta parant, etc. » Claudian. Epithal. Palladii et Serenæ: « Idaliæ juxta famulæ; triplexque vicissim Nexa sub ingenti requiescit Gratia quercu ». Ed.

50. Cod. Pith. *Præsens ipsa jura dicit, adsederunt Gratiæ.* Scriverius *adsidebunt* scripsit, quod carminis lex ita exigeret. Sed talis licentia in sequioris ævi poeta non admodum miranda.

51. Cod. Pith. *quidquid annis attulit. Annus* correxit Pithœus. — *Totos* more ævi sequioris dictum pro *omnes*. Vid. not. ad Porph. Org. v. 10. Scriverius transponenda hemistichia putavit: *Hybla totos funde flores, quantus Ennæ campus est, Hybla florum subde messem, quotquot annus attulit.* Eadem mutatio a Rivino, Sanadono et aliis recepta. Sed ea minime opus est, si sequens versus mendosus, ita ut ipsi fecimus, restituatur. — *Quotquot annus attulit*, id est, omnis generis flores et quantumcumque vernus annus proferre valeat, jubetur in occursum Veneris, et sociarum Veneris effundere. Mos intelligitur ille priscus flores et ramos in ingressu triumphali spargendi, ut Prudent. adversus Symm. II, 729: « Quos spargam flores? quibus insertabo coronis Atria? » Ovid. Trist. IV, Eleg. 11, vs. 49, de Augusto triumphaturo: « Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum, Undique jactato flore tegente vias ». Ed.

52. Hic versus in utroque codice valde corruptus. Salmasianus sic: « Hibla florum superestem quantus Etnæ campus est ». Pithœanus sic: Hibla florum rumperest equaut' ethne camp. » Ex his vestigiis Pithœus tentavit *florum rumpe vestes*, vel *rumpe restes quantus Ennæ campus est.* Lipsius *rumpe vestem*, Sal-

Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,
Quæque silvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt:
Jussit omnes adsidere pueri mater alitis.

masius etiam *sparge vestem:* Scriverius *subde* aut *funde messem*, quod et Bouhierius recepit. Rivinus *prome vestes quotquot annus attulit.* Non renuo, commode hic *florum vestem* dici, quum alias humus vestiri floribus, et *Flora pandere vestes* dicatur in Lactantii Phœnice, v. 128. Sed tamen *rumpere vestem* durum videtur, et quæ alia substituuntur verba, a vestigiis priscæ scripturæ longius abeunt. Ne multa, ego e scriptura Salmasiani cod. sic plane restituendum versum arbitror: *Hybla florum super ut exstet, quantus Ennæ campus est.* Poscit hanc lectionem superior versus 49, ubi *tribunal* Divæ *stare floribus*, h. e. oppleri, extolli et accumulari dixerat. Igitur hoc loco, Hybla, inquit, omnes tuos huc funde flores, ut tribunal Deæ, quasi ipse Hybla, mons aliquis florum, tantum exstet, quantus Ennæ campus est.—Ut ratio comparati Ennæ campi rectius intelligatur, conferantur modo descriptiones ejus campi apud Veteres reperiundæ, qui Ennensem campum dicunt planitiem in modum clivi editam, floribus ubique consitam. Sic Cicero Verr. IV, 48: « Enna autem est loco præcelso atque edito, quo in summo est æquata agri planities, et aquæ perennes: tota vero ab omni aditu circumcisa atque dirempta est: quam circa lacus lucique sunt plurimi, et lætissimi flores omni tempore anni ». Et Claudianus Raptu Pros. II, 101 seq. « Forma loci superat flores: curvata tumore Parvo planities, et mollibus edita clivis Creverat in collem: vivo de pumice fontes Roscida mobilibus lambebant gramina rivis, etc. » Ex his apparet, quam apte dixerit auctor Pervigilii, tribunal Deæ floribus accumulatum, quasi ipsum Hyblam montem, tantum exstare, attolli debere, quantum Ennæ campus patet. Ed.—Est omnino hyperbole, sed hoc magis ferenda, quia de Dea sermo est, quæque nec absurda videbitur iis, qui legerint, Heliogabalum in tricliniis convivas tanta copia florum oppressisse, ut animam aliqui efflaverint, quum erepere ad summum non possent (Lamprid. cap. 21), aut Gallienum Imp. cubicula fecisse de rosis. Treb. Poll. cap. 16.

53. *Vel puellæ montium. Vel* pro *et*, quod scriptoribus posteriorum temporum usitatum esse notavit Salmas. ad Capitolini Marcum, c. 17, et Verum c. 7. Nymphas hic Gratiis jungit, comites et sodales Veneris, Horatium sequutus lib. I, od. 4. Ad quem locum Acro monuit, per Nymphas mulieres intelligi, per Gratias virgines.

54. *Quæque fontes incolunt.* Sic Scriverius correxit de conjectura, quum scripti atque editi omnes: *quæque montes.* Atqui *montium puellas* jam nominavit poeta præcedente versu; neque omittere Naiades potuit, quæ Nymphæ proprie dicuntur.

55. Ita Pithœus, nec contradicunt Weitzius, Douza aut Scriverius. Est autem *pueri mater alitis*,

Jussit et nudo puellas nil Amori credere.

« Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet. »

Et recentibus virentes ducat umbras floribus.
Cras erit quo primus Æther copulavit nuptias.
Ut pater totis crearet vernus annum nubibus,
In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis;

alma Cupidinis genitrix Venus, fugacis illius et fallacis pusionis cui nec inermi fidendum ipsa quoque mater statuit. Andr. Rivin.

56. *Jussit et nudo.* Pithœanus habebat *nullo.*

58. Pithœanus cod. hic habuit: *Et rigentibus vergentis ducat.* Salmasius correxit : *Ex recentibus virentes ducat.* Ego retinendum puto *Et recentibus.* Hic autem locus mutilus, videtur interpretibus, qui suspicantur, plures versus, qui sequebantur, excidisse. Neque ego negarim plane, inconcinnum paullo et abruptum esse versum, qui cum sequentibus ægre cohæreat. Potest tamen sic accipi, ut sit initium alterius partis hymni, et nova brevisque exhortatio ad feriandum, cum præcedente versu intercalari connectenda, hoc modo : *Cras amet, qui nunquam*, etc. *Et recentibus virentes*, etc. h. e. Omnes amantes, et Venerem colentes, cras adsint, et sibi de copia florum, ante memorata, coronas et umbracula sumant (vid. v. 44) ; quemadmodum initio totius carminis, v. 5, dictum est : « Cras amorum copulatrix inter umbras arborum Implicat casas virentes ». Rivinus hunc versum inter 50 et 51 collocandum censet.

59. Pith. *Cras erit qui primus.* Per *nuptias Ætheris* intelligit Cæli et Terræ conjunctionem, quæ verno maxime tempore efficax omnia procreat. Eodem respexit Rutil. Numat. Itin. I, 17 : « Quale per æthereos mundani verticis axes Connubium summi credimus esse Dei ».

60. *Ut pater totis crearet.* Sic editum ex schedis Pithoei. Salmasius ex suis volebat : *Ut pater totum creavit vernis annum nubibus.* Scriverius : *Et pater totis creavit.* Pithœus emendabat : *Ut pater roris crearet.* Plana hæc est imitatio Virgilii, Georg. II, 325 : « Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther, etc. » Et sic Lucretio, lib. I, 251, *pater Æther;* et Calpurn. VIII, 35, « Omniparens æther et rerum caussa liquores, Corporis et genitrix tellus, vitalis et aer ». Ubi videantur adnotata nostra, hujusce edit. tomo I, parte 2, pagg. 631 et 532. Ed. — *Totis nubibus* idem est, ac largis imbribus. — *Annum* dicit pro anni fecunditate vel opibus.

61. *Fluxit almæ conjugis.* Sic emendabat Pithœus, quum in ejus codice esset *fluctus alma et conjugis.* Lipsius legebat *fluxus*, sicut et Barthius in Nemes. Ecl. I, 35, et Advers. XVI, 6. Et serioris certe ævi scriptoribus *fluxus* est, qui fluxit, ut jam notavimus ad lyricum XIII, v. 10.

Unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.
Ipsa venas atque mentem permeante spiritu
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,
Perque cælum, perque terras, perque pontum subditum
Pervium sui tenorem seminali tramite
Imbuit, jussitque mundum nosse nascendi vias.

«Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.»

62. Cod. Pith. legebat : *Ut fletus immixtus omnis aleret.* Unde Lipsius corrigebat *Utque fetus mixtus.* Salmas. habebat *Unde fletus.* Virgilianum et hoc ex l. c. « et omnes Magnus alit magno commixtus corpore fetus».—*Aleret* Bouhierius jubet accipi pro *faceret crescere*, ut Horat. Carm. IV, 2 : «Monte decurrens velut amnis, imbres Quem super notas aluere ripas».

63-64. *Ipsa*, est Venus ; vid. v. 13. *Ipsa venas* dedit Pithœus pro *vernas*, quod in codice erat. Idem *procreatrix*, pro quo Salmasianus *procreatis ;* unde Salmasius ipse emendare volebat *Ipsa venas atque mentem permeantis spiritus Intus occultis gubernat procreata viribus.* Mihi omnino, ut Scriverio, retinendum videtur Pithœi *procreatrix*, quo verbo comparatur Venus cum Æthere *creatore*, atque sic vocatur ab Arnobio, lib. IV. pag. 151 : «Regnatoris populi procreatrix, amans saltatur Venus ». Male autem Weitzius *mentem* hic interpretatur de Empedoclis *mente sacra*, i. e. Deo, per universa diffusa et omnia vegetante. Agitur hic de sola animantum vi prolifica, quam gubernat Venus, quamque etiam *mentem* vocari probat Virgilius Georg. III, 267 : « furor est insignis equarum, Et mentem Venus ipsa dedit » ; item Colum. X, 211 : « Atque amor ignescit menti, sævitque medullis ». Itaque non necessaria videtur Scriverii correctio : *Ipsa venas æque amantum.* Quemadmodum, inquit, Æther vere incipit fecundis imbribus procreare fetus terræ, ita et Venus procreatrix animantum vim prolificam per omnes mundi partes excitat, et intus occultis gubernat viribus, spiritu ejus venas atque mentem omnium permeante.

66. *Perv. sui tenorem*, h. e. perpetuum procreationis ordinem. — *Seminali tramite*, via genituræ.

67. *Imbuit*, orditur et facit procedere. Virg. Æn. VII, 541 : « Sanguine bellum imbuit ». Respexit et imitatus est Lucretium, I, 16 : « omnis natura animantum Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis... Omnibus incutiens blandum per pectora amorem Efficis, ut cupide generatim sæcla propagent ». — *Via* hic est instructio, doctrina, ratio, ut apud Prudentium : « Senex fidelis prima credendi via est ». Et in Apotheosi : « Majestas de patre summo Immo animus patris, et ratio, et via consiliorum ». Et Sedulius Junior : «Via datur nobis intelligendi, quia bis qui legunt, et non intelligunt, lite-

Ipsa Trojanos nepotes in Latinos transtulit,
Ipsa Laurentem puellam conjugem nato dedit;
Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem:
Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias;
Unde Rhamnes et Quirites, proque prole posterum
Romuli, patrem crearet et nepotem Cæsarem.

«Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.»

ra sola est credita ». Vid. Barthius, Adv. XLIV, c. 7. Ed.

69. Ut hactenus generatim hominum procreatricem Venerem, ita nunc Romanorum in primis matrem prædicat, eoque primariam rationem pervigilii Veneri celebrandi affert. — *In latino* legebat cod. Pith.

70. *Laurentem puellam*, Laviniam, Latini regis, qui Laurenti regnabat, filiam. — *Nato*, Æneæ.

71. *De sacello*, i. e. Vestæ sacerdotem, quam Dionysius Iliam Vestalem, Livius Rheam Silviam nominat, matrem Romuli.

72. *Romuleas ipsa fecit*. Sic uterque codex. Scriverius mutavit *Romulumque; cum Sabinis ipsa fecit nuptias;* quod non debebat. Ego antiquam lectionem reducendam putavi. Pithœus tamen scribi vult *Romulæas*. — *Romuleæ nuptiæ* non veræ nuptiæ erant. Sed commune istud olim fuit omnis coitus vocabulum, non tantum legitimi et justi. Paulus ex Festo: « Pellicem, quæ uxorem habenti, nubebat » pro *concumbebat*. Sic supra vs. 3: « vere nubunt alites ». Ed.

73, 74. *Unde Samnes* Scriverius dicit in mspto exstare, indeque corrigit *Unde sanguis et Quirites*, frustra. Horat. Art. Poet. 342: « Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes », ubi per *Rhamnes* intelligit equites vel nobiliores Romanos distinctos a Quiritibus, quorum nomen vulgus etiam promiscuum complectebatur. Quum enim Romanorum et Sabinorum gens quæ Curibus degebat, misceretur, uno nomine *Quirites* omnes appellari cœperunt. Liv. I. Deinde hoc dictum de infima plebe et capite censa, ut ex Tacito, Annal. I, 42: « Divus Julius seditionem exercitus uno verbo compescuit, *Quirites* vocando, qui sacramentum ejus detrectabant ». Ed. — Porro uterque codex sic edidit: *proque prole posterum Romuli matrem crearet*. Falsam hanc lectionem putat Lipsius, quod mater Romuli dici non possit ex nuptiis Sabinarum cum Romanis creata. Ergo legit: *patrem crearet et nepotem Cæsarem;* et per Patrem divum Julium, per nepotem Cæsarem Augustum intelligit. Scriverius mavult *matrem*, quod in utroque scripto est, mutare in *mater*, i. e. ipsa Venus, atque hinc versum sic refingere: *perque prolem posteram Romuli Mater creavit et nepotem Cæsarem.* Quamquam non displicet hæc correctio, satius tamen putavi in facillima emendatione Lipsii acquiescere. — Lipsii emendatio, qua

Rura fecundat voluptas, rura Venerem sentiunt.
Ipse Amor puer Dionæ rure natus dicitur.
Hunc ager, quum parturiret ipsa, suscepit sinu;

patrem et nepotem Cæsarem legimus, eo maxime confirmatur, quod solenne Romanis erat, Cæsarum nomine primario intelligere Julium et Octavium, ut in Elegia ad Liviam v. 245: « Veneri Cæsar promissus uterque ». Ed. — Sanadonus quidem aliter refingi voluit: *Proque prole postera Romuli, Patres creavit et nepotes Cæsares*; ita existimans auctorem quatuor verbis omnes rei publicæ ordines designasse, per *Quirites* populum, per *Rhamnes* equites, per *Patres* senatum, et denique *Cæsares*. Sed vix credibile est, poetam tam accurate et subtiliter rem publicam Romanam dividere voluisse. Potius capita et principes imperii Romani, et per Cæsarem, patrem et nepotem, monarchiæ auctores a Venere creatos indicare voluit, et ostendere, pro posteritate Romuli, primi regis, quæ defecerat, suffecisse Venerem Cæsares, eoque pro auctore totius imperii Romani eam habendam esse. Cæterum pari elogio Cæsarem ornat Ovidius, ex Pont. III, 3, Amorem alloquens: « Cæsar, ab Ænea qui tibi fratre nepos ».

76. Per gradus procedit auctor in laude Veneris, et postquam eam universi omniumque animantium procreatricem, mox urbis Romæ et Romanorum Matrem dixit, nunc denique regnare suamque potentiam exercere ait. — *Rura Venerem sentiunt*, omnes scribunt, præter Scriverium, qui posuit, *Venerem rura sentiunt*. Rivinus malit: *rura Amorem sentiunt*.

77. *Rure natus dicitur*, ad sententiam Tibulli, II, 1, 67: « Ipse interque greges interque armenta Cupido Natus, et indomitas dicitur inter equas, etc. » quæ Broukhusius ipso hoc Pervigilii loco illustrat. — Amplius hoc declarat Lucret. V, 690, seq. « Et Venus in silvis jungebat corpora amantum: Conciliabat enim vel mutua quamque libido, Vel violenta viri vis, atque impensa libido; Vel pretium, glandes atque arbuta, vel pira lecta ». Ed.

78. Distinguendus hic versus ita, ut incisio post *ager* et *ipsa* ponatur, et Venus parturiisse, ager sinu suscepisse Amorem dicatur, ut Lipsius voluit, et ipsa res poscit. Nam e Venere puerpera natus est Amor, a terra tamquam nutrice exceptus, ut Bacchus a Nymphis. Quo ipso obiter a Poeta significari videtur istud quod in more priscis sæculis fuit positum, natos infantes protinus in terram statui, et quasi cadere opera obstetricum, ut simul cælum suscipere inciperent, et eo casu terrenæ calamitatis primordia libarent. Sic ipsa Venus apud Statium, Silv. I, 2, 111: « tellure cadentem Accepi fovique sinu ». Ed. — Probari tamen potest lectio vulgata: « Hunc ager quum parturiret, ipsa (Venus) suscepit sinu ». Hoc enim forte expressum ex illo Virgiliano: « Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus ». Et non Sappho modo poetria Cupidinem Cæli et Terræ filium existimavit, sed et Hesiodus

Ipsa florum delicatis educavit osculis.

«Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.»

Ecce, jam super genistas explicant tauri latus! 81
Quisque tutus, quo tenetur, conjugali fœdere.

in Theogoniæ principio, atque Aristophanes in Avibus eumdem Deorum pulcherrimum et splendidissimum, statim post Chaos et Terram ex eadem, vel ab eadem posito Zephyrio ovo proguatum fuisse, ipsumque cum Chao mixtum omne Deorum genus ex illo excitasse tradiderunt. De quo Cœlius Rhodigin. XVI, cap. 25; Plato in Convivio; Themist. Orat. 7. Ed.

79. *Educavit osculis*: quid hoc sit, nemo interpretum explicavit. Puto poetam hoc velle, puerum Amorem a Venere positum reclinem inter flores et germina terræ, ut inclinantia ad eum florum capita osculum ejus libare viderentur, omnique suavitate imbuere. Versus hic delicatum sapit. Bouhierius qui *jusculis* vult pro *osculis* saporem et delicium hujus loci corrumpit.

80. *Cras amet*, etc. Nunc ab arvis ad prata et silvas iterum digreditur Noster, et summatim tandem Veneris atque Amoris potentiam per singula definire atque illud Virgil. Georg. III, 242, exprimere velle videtur: « Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque, Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres In furias ignemque ruunt: Amor omnibus idem ». Ed.

81. *Ecce, jam super genistas*. Præstabit omnino *subter genistas* legere, ut vs. 83 et 86, *subter umbram* dicitur. Nam genistæ celsiores crassioresque sunt frutices, quam quos premere tauri incubando possint; et Calpurnius, qui hæc verba in carmen suum transtulit Ecl. I, 5, *subter* legisse videtur: *vaccæ Molle sub hirsuta latus explicuere genista*. Atque hanc emendationem ut necessariam probant Brouckusius ad Tibull. II, 1, 62, et Jo. Schraderus Emend. cap. 2, p. 20, qui etiam in Virgilii Cul. v. 153, pro *Excelsisque super dumis*, corrigit *Excelsos subter dumos*. Gratius v. 130, *Altinates genistas*, e quibus hastilia fiant, laudat. Ed. — Utroque codice vitiose scriptum erat *explicat aonii latus*. Ubi quidem Lipsius legi volebat *explicant agni*, sed Pithœus cum Salmasio *tauri*, quod vetus scriptura habebat *taonii*. — Verbum *explicant* non convenire videtur cum minutis animalibus, ut agni vel hædi sunt, neque *genista* frutex est, quem incubitu suo facile premere agnus possit. Ergo facile adsentior Salmasio.

82. In schedis Pith. erat *Quisque tuus quo tenetur*. Hinc Pithœus legit *Quique cœtus continetur*, atque hunc versum superiori putavit præponendum, quod generatim hic animalia nominari videantur, de quibus postea sigillatim dicat, ut de tauris, ovibus. Sed Salmasiani cod. lectio *Quisque tutus, quo tenetur*, supervacuam Pithœi permutationem declarat. Nam apparet, *quisque tutus* referendum esse ad tauros præcedentis versus, hoc sensu:

Subter umbras cum maritis, ecce, balantum greges.
Et canoras non tacere Diva jussit alites.
Jam loquaces ore rauco stagna cygni perstrepunt:
Adsonat Terei puella subter umbram populi;
Ut putes motus amoris ore dici musico,
Et neges queri sororem de marito barbaro.
Illa cantat: nos tacemus. Quando ver venit meum?
Quando faciam ut chelidon, ut tacere desinam?

Tauri qniescunt super genistis, propterea quod quisque tutus est Venerea copula, vel conjngali fœdere, quo tenetur, circa se habens femellas suas, a quibns aberrare vel secubare nolit: sicnt etiam balantum greges eum maritis subter umbras cubant.

85. *Jam loquaces*. E Virgilio, Æn. XI, 458: «Dant sonitnm rauci per stagna loquacia cygni»; ubi *raucus* in bonam partem accipitur jnxta Servium. Porro de cantu cycnorum multi multa, et inprimis adeundns Gentilis ad Virgilii Bucolica. Ed.

86. Pithœus ed. *Adsonant Terei puellæ*. Sed rectius Salmasii codex: *Adsonat Terei puella*, quæ est Philomela, soror Prognes, Tereo Thraciæ regi nnptæ. Quam fabulam vid. Ovid. Met. lib. VI, fab. 7.—*Subter umbram populi*, e Virgilio, Georg. IV, 512: «Qualis populea mœreus Philomela sub nmbra».— Insuavis repetitio, quod v. 83, *Subter umbras* dixerit. Ed.

88. *Et neges queri sororem*. Vulgo enim a poetis cantus lusciniæ pro flebili luctuosoque habetur, quo conqueri de injuria illata, aut de Itye injuste cæso videatur.—*Sororem* accipias de eadem Philomela, quæ queratur de marito, non suo, sed ejus, cujus soror est. Sæpe enim Philomela tantum soror vocatur, sine adjecto, quoniam e fabula satis notum est, cujus soror fuerit. Quin eamdem Philomelam multi poetæ dicunt Terei uxorem fuisse, non Proguen, aut Procnen esse in lusciniam mutatam. Sic Papin. Statius, Silv. II, 4, 21, plane ut Noster: «Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili».

89. *Quando ver venit meum?* meum tempus canendi, vel hilarius vivendi. Quando erit illa dies, qua excusso, qui me hactenus tenuit, torpore vel metu, audeam carmen aliquod prodere publice, eoque inclarescere et lætiore fortuna frui incipiam? Est igitur Pervigilium hoc e primitüs et juvenilibus poetæ, quisquis ille fuit. Auctor anonymus Græci carminis de Vere in Anthol. Gr. Steph. lib. I, ep. ult. Πῶς οὐ χρὴ καὶ ἀοιδὸν ἐν εἴαρι καλὸν ἀεῖσαι;

90. Pith. memb. *Quando faciam ut celidon*. Petronii cdd. *Quando fecit muta chelidon*. Ipse Pithœus legi voluit: *Quando fiet muta chelidon, et tacere desinam?* quod alienum inferre sensum videtur. Salmasianus codex habebat *Quando fiam ut celidon*. Unde Salmasius scribendum putabat, ut versui consuleretur:

Perdidi Musam tacendo; nec me Phœbus respicit:
Sic Amyclas, quum tacerent, perdidit silentium.

«Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.»

Quando ego fiam ut chelidon. Scriverius tamen edidit: *Quando faciam ut Chelidon;* quod equidem rectum puto, tantum pro *ut* velim ponatur *uti*, propter metrum. Quando, inquit, ego similiter faciam, uti hirundo, quæ, quum hieme latuerit diu, vere ineunte redit in conspectum hominum, et tinnire incipit?

92. *Amyclæ* urbs Italiæ inter Caietam et Tarracinam, et alia Peloponnesi, de quarum alterutra, vel utraque proverbium antiquitus fuit: « Amyclæ tacendo perierunt ». De ista Italiæ Virgilius, Æn. X, 564: *tacitis regnavit Amyclis*, ad quem locum Servius inter alias ejus proverbii rationes hanc maxime probabilem adducit; nempe quum sæpe hostium adventu falso nuntiato civitas inani terrore perturbata esset, et propterea lege cautum esset, ne quis amplius hujusmodi famam spargeret, tandem factum esse, ut hoste vere adveniente, et nemine nuntiante, civitas improviso oppressa caperetur. Sed falso hæc relata esse ad urbem Italiæ, quum ad Amyclas Laconicæ pertinerent, quas a Doriensibus deletas esse proditum est, præclare ostendit ill. Heynius Excursu ad Virgilii l. c. Meminit et Silius Ital. VIII, 530: « quasque evertere silentia Amyclas ». — Haud inscite Noster quum se a Phœbo non respici jam dixerit, exemplum Amyclarum subjicit; nam et illæ ab eodem Deo sunt desertæ, quum antea in tutela ejus numinis fuissent. Hinc Pap. Stat. Theb. I: « Hujus Apollineæ currum comitantur Amyclæ ». Ed.

EPIMETRUM

AD

PERVIGILIUM VENERIS.

Posteaquam commentationes meas in Pervigilium scriptas tradideram typographo, inciderunt nonnulla, quæ vellem inter commentandum non fugisse memoriam meam, aut acrius abs me cogitata esse. Indicavi in procemio nonnulla vetustiorum poetarum loca, quibus auctor vel in Veneris amœnitate describenda, vel in Veneris beneficiis in genus humanum, et sigillatim in gentem Romanam, extollendis usus videretur. Sed in his ad primarium locum Papinii Statii non satis attendi, quem ubi nunc accuratius considero, videor mihi in eo materiam et quasi stamina totius poëmatii reperire. Legitur in Epithalamio Stellæ et Violantillæ, lib. I, Silv. 2, v. 183 seqq. atque est oratio Veneris ad sponsam, qua hortatur, ut concedat amori, et conjugium Stellæ optet. Singulos versus subjicio, ut eorum expressa in Pervigilio imago appareat:

> Quas ego non gentes, quæ non face corda jugavi?
> Alituum pecudumque mihi, durique ferarum
> Non renuere greges: ipsum in connubia terræ
> Æthera, quum pluviis rarescunt nubila, solvo.
> Sic rerum series, mundique revertitur ætas.
> Unde novum Trojæ decus, ardentemque Deorum
> Raptorem, Phrygio si non ego juncta marito,
> Lydius unde meos iterasset Tibris Iulos?
> Quis septemgeminæ posuisset mœnia Romæ,
> Imperii Latiale caput? nisi Dardana furto
> Cepisset Martem, nec me prohibente, sacerdos.

34.

Quum hujus loci imitatio, ab auctore Pervigilii facta ultro se oculis legentium ingerat, notandus ille ob hanc etiam rationem videtur, ut inde ætatem, quam auctori Pervigilii dedimus, magis confirmatam intelligamus. Etenim inferior ætate Statii, nec Catullus adeo, aut alius quis superiorum poetarum sit, necesse est, qui poema suum tam manifeste ad Statii exemplar conformavit. Eminet in eo loco versus ille, quo connubium Ætheris et Terræ, fecundante pluvia, laudatur: quem quidem ipse, cum aliis similis sententiæ locis, in adnotatione ad versum 4 et 16 Pervigilii adduxi; sed quum hæc idea connubii ætherei, quæ fere primaria totius poematis, et bis in eo repetita est, non a Virgilio modo hausta, sed ab antiquissimis Græcorum et Latinorum poetis perpetuo tradita, et plurimis Veterum locis celebrata sit, par omnino est, ut præcipuos poetarum, a quibus hæc allegoria ducta est, fontes luculentius hoc loco aperiamus. Plutarchus in Erotico, pag. 84 tomi IX Operum, edit. Lips. testatur, poetarum veterum hanc pervulgatam esse sententiam, Cælum Terræ amore et conjugio teneri: Ἐρᾷν οἱ ποιηταὶ λέγουσι καὶ γῆς οὐρανόν· ἥλιον δὲ σελήνης ἐρᾷν οἱ φυσικοὶ, καὶ συγγενέσθαι καὶ κυεῖσθαι· καὶ γῆν δὲ ἀνθρώπων μητέρα καὶ ζώων καὶ φυτῶν, κ. τ. λ. Euripidis versus Athenæus, Dipnosoph. Lib. XIII, cap. 26, et Stobæus, t. I, lib. I, tit. 12, servavit:

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ', ὅταν ξηρὸν πέδον
Ἄκαρπον αὐχμῷ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχει.
Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν, Ἀφροδίτης ὕπο.
Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον εἰς ταὐτὸν δύο,
Τίκτουσιν ὑμῖν πάντα, κἀκτρέφουσ' ἅμα.
Ὅθεν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος.

Idem Athenæus hæc similia ex Æschyli Danaidibus profert:

Ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα·
Ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν.
Ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνάοντος οὐρανοῦ πεσὼν
Ἔκυσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς
Μήλων τε βόσκας, καὶ βίον Δημήτριον.

Δένδρων δέ θ' ὥρα ἐκ νοτίζοντος γάμου
Τέλειός ἐστι· τῶν δ' ἐγὼ παραίτιος.

Latinorum poetarum tantum Lucretium et Columellam hic excito. Quorum ille, lib. I, 251 seqq.

Postremo pereunt imbres, ubi eos pater Æther
In gremium matris Terrai præcipitavit.
At nitidæ surgunt fruges, ramique virescunt
Arboribus; crescunt ipsæ, fœtuque gravantur:
Hinc alitur porro nostrum genus, atque ferarum.

Columella, libro X, v. 204 seqq.

Maximus ipse Deum, posito jam fulmine fallax
Acrisioneos veteres imitatur amores,
Inque sinus matris violento depluit imbre.
Nec genitrix nati nunc aspernatur amorem,
Sed patitur nexus flammata cupidine Tellus.

Plures, etiam vetustiorum poetarum, locos, ut Ennii apud Varronem, Pacuvii apud Ciceronem, II de Nat. Deor. aliorumque adduxerunt Andr. Rivinus ad Pervig. Ven. v. 57 seq. et Th. Gatakerus, Comment. ad Marci Anton. de rebus suis librum X, § 21. Hoc poetarum multis locis decantatum connubium Ætheris et Terræ, vix dubito, quin sit ille ἱερὸς γάμος, a Græcis veteribus non solum mysteriis et sacris publicis, sed singularibus etiam carminibus celebratus. Eo quidem nomine appellabant Jovis et Junonis nuptias, sed quum harum imagine vel allegoria intelligerent tum mundi et rerum omnium primas origines, tum naturæ in producendis rebus vim, inprimisque renascentes sub verno tempore fœtus terræ, facile perspicitur, Jovis et Junonis nuptias ab his, quas poetæ alias Ætheris et Telluris dicunt, non differre. Hesychius: Ἱερὸς γάμος, ἑορτὴ Διὸς καὶ Ἥρας. De eo solenni apud Athenienses celebrato egerunt Casaubonus ad Athen. lib. VI, p. 268; Meursius in Græcia feriata; Spanhemius in epist. II ad Morell. p. 116 seq. Etiam in mysteriis quibusdam cantatas esse Jovis et Junonis nuptias, testis est Dio Chrysost. orat. XXXVI, pag. 453: Τοῦτον ὑμνοῦσι παῖδες σοφῶν ἐν ἀῤῥήτοις τελεταῖς Ἥρας καὶ Διὸς εὐδαίμονα γάμον. De carmi-

nibus poetarum in Jovis et Junonis nuptias scriptis videndi viri docti ad Hesychium in Ἱερὸς γάμος, qui docent, Junonis nuptias argumentum fuisse in priscis fabulis decantatissimum. Laudat Eustathius, initio commentarii in Dionys. Pericg. Orphei librum περὶ Διὸς καὶ Ἥρας. Hic videri quidem potest partem continuisse Θεογονίας, quam ab Orpheo conscriptam multi Veteres testantur, sed Eschenbachius ad Orph. pag. 60, contendit, singularem librum fuisse, integro titulo Διὸς καὶ Ἥρας ἱερὸς γάμος inscriptum. Vid. Fabricius, Bibl. Gr. lib. I, c. 19, p. 121. Alius poeta Pisander, Laranda Lycaoniæ oriundus, qui sub Alexandro Mamææ floruit, teste Suida, historiam variam scripsit versibus, et titulo Ἡραϊκῶν Θεογαμιῶν, Junoniarum nuptiarum, insignivit. Zosimus, Hist. lib. V, cap. 29, idem Pisandri opus titulo τῶν ἡρωικῶν θεογαμιῶν laudat. Unde dubium visum est eruditis, Zosimi an Suidæ lectio alteri præferenda sit. Et Zosimi quidem præferre maluit Kusterus ad Suid. l. c. sed Fabricius, Bibl. Gr. t. VI, pag. 606, secundum Suidam pronuntiavit, Macrobii maxime auctoritate nixus, qui Saturn. libro V, cap. 2, Pisandri opus incepisse a Jovis et Junonis nuptiis, tradit, facilemque adeo rationem reddit, cur Ἡρωϊκὰ Θεογάμια inscripserit. Sed quæ alia de opere hoc Pisandri moneri possunt, erudite excussit ill. Heynius Excursu I ad Virg. Æn. II, pag. 232 seqq. et in Add. ad Virg. t. IV, p. 236. Non aliæ, quam Jovis nuptiæ, intelligendæ sunt, si Servium audimus, in versibus Virgilii, Georg. II, 324, quos auctor Pervigilii respexit:

> Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther
> Conjugis in gremium lætæ descendit, etc.

Nam Servius ad hunc locum observat, per *Æthera* Jovem indicari, et *Junonem* igitur poni pro Terra. Similiter Arnobius, lib. V, interpretatur: *Vos Jovis et Cereris coitum imbrem dicitis dictum, Telluris in gremium lapsum.* Præterea Heraclides Ponticus in Allegor. Homer. pag. 460 Opusc. Mythol. Galei, contendit, Homerum, ubi congresssum Jovis et Junonis fingit, nihil aliud, quam vernum tempus,

quo omnis e tellure herba enascitur, adumbrare voluisse. Hoc ipsum expressit Petronius, cap. 127:

> Idæo quales fudit de vertice flores
> Terra parens, quum se confesso vinxit amori
> Jupiter, et toto concepit pectore flammas:
> Emicuere rosæ, violæque et molle cyperum,
> Albaque de viridi riserunt lilia prato.

Post enarratas in proœmio varias Pervigilii Veneris editiones versionesque, oblitus sum commemorare, quæ recentissime prodiit, versionem Theotiscam festivissimi poetæ, qui in deliciis nostratium est, Godfridi Augusti Burgeri, V. cl. qui in carminibus Gœttingæ an. 1778 editis primo loco posuit *die Nachtfeier der Venus, nach dem Lateinischen.* Equidem hic magna libertate in vertendo usus est, et genium magis hymni vimque sententiarum, quam verba expressit, textum etiam variationesque a Sanadono et Bouhierio factas sequutus in interpretando videtur; sed tamen ingenio florentissimo præditus, et ipso quasi Veris amœnissimi spiritu afflatus, carmen floridissimum ad veteris poetæ exemplar condidit, ejusque veneres omnes floribus, gemmis, coloribus vernaculi sermonis convestivit. Pro ea libertate, quam dixi, totum hymnum in tres odas, sive partes, commode scienterque divisit quas ipse *den Vorgesang, Weihgesang und Lobgesang* dicit, nos Veterum more προῳδὴν, προσῳδὴν vel προσόδιον, denique ἐπῳδὴν vocare possumus. Prima pars præludium vel exordium est, quo tempus et caussa festi diei, simul amœnitas veris, ad feriandum Veneri invitans, describitur; ubi quidem Maium mensem, pro tempore celebrati Pervigilii, appellat, nos Aprilem verius haberi ostendimus: altera parte, quæ προσόδιον est, fit accessio ad ipsum sacrum, et celebratio festi, describendo omni ejus apparatu, cœtu et splendore; denique ἐπῳδὴ, sive hymnus ipse, laudes et beneficia Veneris decantat. Ad hanc partitionem totius poematis etiam versus et strophas ejus disposuit, et ad singulas partes versus quosque idoneos diversis e locis transtulit, ordinemque adeo Latini carminis valde mutatum dedit, qui

quidem a dispositione, quam ipsi probabilem judicavimus, valde dissidet, quatenus tamen Burgerus novum carmen quasi e veteri materia exstruere voluit, omnino placere intelligentibus debet. Memorabilis in primis ordo stropharum tertiæ partis, sive hymni, est, quem a versu 63 Latini carminis, *Ipsa venas atque mentem*, orditur, atque ita construit, ut post versum 68 inseratur strophe a versu 13, *Ipsa gemmis*, incipiens; post sequatur versus 76 cum seq. *Rura fecundat vol.* mox versus 69, *Ipsa Trojanos nep.* denique versus 81, *Ecce jam super gen.* Libenter equidem venustissimum poema, illustrando archetypo aptissimum, adjecissem integrum, si quidem hoc aliis Pervigilii versionibus fecissem, neque scirem carmina Burgeriana nostrorum hominum manibus fere omnium versari.

FLORUS

DE

QUALITATE VITAE *.

I *.

Bacche, vitium repertor, plenus adsis vitibus,

* Hæc Excerpta, vel fragmenta, quæ a quibusdam et Florida dicuntur, Petrus Pithœus in eodem, quo Pervigilium legebatur, codice invenit, transmisitque Justo Lipsio, qui eo ordine, quo perscripta acceperat, edidit in Elect. lib. I, cap. 5, et notulis quibusdam castigavit. Ipse Pithœus eos versus aliquando meliores, non tamen conjunctos, sed variis locis sparsos repetiit in Collect. epigramm. vet. Eodem ordine, quo Lipsius ediderat, legebantur sub Flori nomine in exemplari vetusto, quod Salmasius cum Scriverio communicavit. Sub Floridi nomine editi sunt ex Pithœi codice in Catalectis veterum poetarum, ad calcem Petronii, ex editione Mamerti Patissonii, sic ut et in aliis Petronii exemplaribus, quibus Errones Venerei adjuncti sunt, post Pervigilium Veneris. Petr. Scriverius inter Baudii Amores repetiit cum Lipsii notis et Pithœi, tum suis animadversionibus adjectis, p. 469. Vulgavit etiam quædam Flori carmina Salmasius ad Hist. Aug. vita Hadrian. cap. 16. Burmannus ea Excerpta exhibuit Anthol. Lat. lib. I, ep. 17 et 20; lib. III, ep. 111, 112, 113, 114, 115 et 265. De auctore Floro vel Florido egimus in Proœmio ad Pervigilium, egit etiam Chiffletius in Lilio Franccio, p. 65. Inscriptionem *De qualitate vitæ* Bouhierius ad Pervig. Ven. pag. 199, hariolatur ad solum excerptum primum, quod de Baccho agit, pertinere, atque hinc legendum esse *de qualitate vitis* vel *vini*; quod equidem improbare non possum.

— Hoc carmen fragmentum videtur esse hymni in Bacchum, in Vinalibus, aut in vindemiæ celebratione decantati, cujus adeo auctorem facile credas eumdem esse, qui Pervigil. Ven. Nec illud carmen, quod numero III positum est, alienum a tali hymno videtur.

1. *Vitium repertor.* Sic Ovidio, Am. I, 3, 11, et Fast. II, 329, *vitis repertor* vocatur; *vitisator* ex

Effluas dulcem liquorem comparandum nectari,
Conditumque fac vetustum, ne malignis venulis
Asperum ducat saporem versus usum in alterum.

II.

Omnis mulier intra pectus celat virus pestilens.
Dulce de labris loquuntur, corde vivunt noxio.

Accio apud Macrob. Sat. VI, 5.— *Plenus adsis vitibus*, sic membranæ utræque, h. e. adsis ad sacra nostra, et copiosas gravidasque uvis vites largiaris; quomodo Tibullus, II, 1, 3: « Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva Pendeat ». Editio Petronii Patiss. *plenis adsis vitibus;* ubi Pithœus conjicit *lenis adsis vit.* Scriverius conjicit *plenis adsis utribus*, nec tamen temere quidquam vult mutari.

2. *Effluas dulcem liquorem.* Pithœus voluit, *Et pluas dulcem*, et Heinsius corrigebat *Et fluas.* Sed *effluere*, sequioris maxime ævi poetis, sæpe active positum observatur, ut in illo Claud. Cons. Prob. v. 57: « Quantum stagna Tagi rudibus stillautia venis Effluxere decus ». Sic *spirare ignem*, *erumpere gaudium*, *voces*, *manare mella* passim legitur. Vid. Petron. de Mutat. Reip. II, 282; Virg. Georg. IV, 368: « Et caput unde altus primum se erumpit Enipeus ». Ut autem *fluere vina* pro fundere, sive efficere ut fluant, ita et Græcis ῥέειν eodem modo sumi notavit Petr. Burmannus, in Jove Fulgerat. pag. 252, ed. noviss. *Sudare tropæa* etiam usurpavit auctor epigr. ant. in Pithœi coll. lib. IV, p. 124: « Dum tibi Roma decus, æternaque sudo tropæa ». Et jam nos ad Val. Catonis Dirarum v. 133, hujus ed. t. II, pag. 83, notavimus *mugire* cum quarto casu, *silvis mugire dolorem*, ubi male vulgo *dolore* legitur. Sic *resonare*, *boare* et similia alibi occurrunt quæ referre supersedeo. Ed. — Hanc lectionem Petronius etiam usurpavit, cap. 71: « et amphoras copiosas, gypsatas, ne effluant vinum ». Ed.

3. Pithœus in edit. Patiss. et Lipsius in Elect. ediderunt *ne malignis suenulis Asperum dicat saporem versus usus in alteros.* In Salmasii codice legebatur *venilis*. Lipsius corrigit *ne malignis vernulis asperum duat saporem*, h. e. ne vinum acetum fiat, et potui servis detur. Pithœus tamen corrigendum monuit: *ne malignis venulis Asperum ducat saporem versum in usus alteros.* In cod. Salmas. *versum usus vinalteros*, unde Heinsius *versum usus in alteros.* Sed Salmas. et Scriver. ita scribendum monuerunt, ut dedimus.

5. *Celat virus pestilens.* Hac caussa *viperæ* convicium in feminas conferri solitum, quod illecebris, quasi dulcibus venenis, inescare valeant. Vid. Petron. cap. 77, et Livius, lib. XXXIX, 11: « Hispalæ concubitu carere eum decem noctes non posse, illius excetræ delinimentis et venenis imbutum ».

III.

Sic Apollo, deinde Liber, sic videtur ignifer.
Ambo sunt flammis creati, prosatique ex ignibus.
Ambo de comis calorem vite et radio conserunt:
Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.

IV.

Quando ponebam novellas arbores mali et piri,
Cortici summæ notavi nomen ardoris mei:
Nulla fit exinde finis vel quies cupidinis.

9. Lipsius e Pithœano mutilum versum dedit : *Ambo de comis calorem et* * *radio conserunt;* emendavit idem *radio dio conserunt*, nempe a divino radio; sed Pithœus, *Ambo de comis calorem, et ambo radios conserunt*, idque edidit Burmannus. Tandem Scriverius lectionem e codice Salmasiano constituit, quam dedimus, et quæ sine dubio est vera et genuina hujus loci; nisi cum Schradero malis : « Ambo de donis calorem vite, radio, conferunt ». Versus enim trochaicus quinta sede trochæum requirit. Cæterum eleganter Bacchus vite et sol radio calorem conferre hic dicuntur. Similis locus de solis radiis est apud Pithœum, Epigr. vet. lib. IV, p. 166, de sole oriente : « Flammiferumque jubar terræque poloque reduxit, Et pepulit radiis astra repente suis ». *Radii* autem sæpe simpliciter pro *radiis solis* occurrunt, sed multis in locis corruperunt loquendi modum illi qui radios non putabant intelligi, sine adjecta voce *solis;* vid. Gronov. ad Sen. Œdip. v. 339. Mihi magis placet *conserunt* quam *conferunt;* Græca phrasis est *conserere calorem.* Ed.

10. *Tenebras pectoris*, tristitiam et curas, quas cum nubilis cæli comparat Horat. Carm. I, 7, 15 seq. ipsasque *nubes animi* sæpe vocant poetæ, ut Ovid. Trist. I, 3, 13. Similiter de Baccho Propert. III, 17, 6 : « Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo »; et Horat. Carm. II, 11, 17, « Dissipat Evius curas edaces ».

11. *Novellas arbores*, teneras, ut *novellam vitem* Palladius, Re Rust. VI, 2, 1. Teneris arboribus suos amores inscribebant Veteres, ut hoc magis crescerent, et durarent, et conspicui essent.

12. *Nomen ardoris mei*, amasiæ meæ.

13. *Nulla fit exinde finis*, sic edit. Patiss. *nulla fitque exinde* Rivinus in Carm. de Re hort. et in trochaicis antiq. commentario in Pervig. subjectis. Sed Lipsius : *Nulla fit deinde*. —Schraderus Emend. cap. 5, p. 109, legi vult : *Nulla fuit exinde finis*, quia iambus ferri nequit in carmine trochaico. Ed.

Crescit arbor, gliscit ardor, ramus implet literas.

V.

Qui mali sunt, non fuere matris ab alvo mali:
Sed malos faciunt malorum falsa contubernia.

VI.

Sperne mores transmarinos, mille habent offucias:

14. *Crescit arbor, gliscit ardor.* Sic Pithœus et Scriverius recte corrigunt, quum scriptus haberet *gliscit arbor*, quod edidit Lipsius: *gliscit* idem, quod crescit, vel augetur. Lucret, IV, 1064, de amore: *Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit.* Pluribus exemplis hunc usum verbi monstravit Burmannus ad hunc locum. Cæterum frequens hic lusus poetis veteribus, quo amores suos arborum corticibus inscriptos crescere cum illis dicunt. Pithœus dicit ex Theocrito esse Virgiliana hæc, Ecl. X, 53: « tenerisque meos incidere amores Arboribus: crescent illæ; crescetis amores ». Sed sic etiam apud Ovid. Her. V, 21, OEnone ad Paridem: « Incisæ servant a te mea nomina fagi; Et legor OEnone, falce notata tua: Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt: Crescite, et in titulos surgite recta meos ». Addi potest Propert. lib. I, 18, 19: « Vos eritis testes, si quos habet arbor amores, Fagus, et Arcadio pinus amata Deo. Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras, Scribitur et vestris Cynthia corticibus! » Alia exempla inscriptæ arboris habet Calpurn. Ecl. I et III.

15. *Matris ab alvo.* Versus ratio postulat, ut legamus *abs alvo*, vel potius *ex alvo*. Expressit vero Theognidis illud ad verbum: Οἱ κακοὶ οὐ πάντως κακοὶ ἐκ γαστρὸς γεγόνασιν, Ἀλλ' ἄνδρεσσι κακοῖς συνθέμενοι φιλίην. Pith. Rivinus, in Antiquis Troch. Pervigilio subjectis, edidit *matris ab utero mali.*

16. *Falsa contubernia.* Heinsius correxerat *prava*, quod et ego sine dubio malim.

17. *Mille habent offucias.* Sic emendavit Pithœus. Lipsius et Pass. ediderant *habent offugia*; Gabbema in Petron. edit. præfert *effugia*. Mspt. Salmasii habebat *officia*, et emendatum *offucias*, h. e. ut Sext. Pompeius interpretatur, *fallacias*. Gellius, Noct. Att. XIV, 1, de Chaldæis: « Sed id præstigiarum atque offuciarum genus commentos esse homines æruscatores ». — Plautus in Captivis, III, 4, 123: « Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevere offuciis ». Idem, Mostellaria, I, 3, 107: « Neque cerussam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam ». De hac voce agit Papias in vocabulario: « Offuciæ, fallaciæ, aut res ad decipiendum compertæ; dictum ab *offucanda*, quod est furtum (*leg.* furtim) collocare, vel fucum colorare ». In Onomastico Græc. Lat. pag. 100, ed. Vulc. *offucia* exponitur παρευρέσεις. Et sic

Cive Romano per orbem nemo vivit rectius;
Quippe malim unum Catonem, quam trecentos Socratas.

VII.

Tam malum est habere nummos, non habere quam malum est.
Tam malum est audere semper, quam malum est semper pudor.
Tam malum est tacere multum, quam malum est multum loqui.
Tam malum est fortis amica, quam malum est uxor domi.
Nemo non hæc vera dicit, nemo non contra facit.

VIII.

Consules sunt quotannis, et novi Proconsules:
Solus aut Rex, aut Poeta non quotannis nascitur.

Voss. Etymol. p. 226, voc. *fucus*. Plura loca addidit Pithœus, quem vide. Ed.

18. *Per urbem* Lipsius: *per orbem* Pithœus et Patiss. recte.

21. *Quam malum est semper pavere.* Sic edidere Lipsius in Elect. Pithœus in Collect. epigr. et Patiss. edit. Quum τὸ *pavere* non ferret versus, Lipsius emendabat *pavor*: membranæ Scriverii legebant *pudor*, quod ille rectum putat, et approbavit Salmasius ad Spart. Hadrian. c. 16: *pavor* tamen Heinsius prætulit, et expressit Rivinus in Trochaicis Pervigilio adjunctis.

24. *Nemo non hæc vera dicit.* Expressit illud veteris poetæ Græci εἰς γάμον, Anthol. Gr. lib. I, cap. 15: Οὐκ ἔστι γῆμας, ὅστις οὐ χειμάζεται, Λέγουσι πάντες, καὶ γαμοῦσιν εἰδότες.

ANTIQUA TROCHAICA

A RIVINO COLLECTA.

NOTUM esto, trochaicis hujus generis carminibus antiquitatem quumprimis delectatam fuisse in solennibus pom-

pis et processionibus v. gr. triumphalibus, aut sacris quibuscumque, et festis tripudiis. Unde et in Prudentii Pæane, seu Hymno IX, qui sic inchoatur,

Da puer plectrum, choreis ut canam fidelibus!

Fabricius addidit: « Choreis genus carminis trochaicum innui ». Quod illis nullum metrum esset aptius, quam trochæorum, a temporum celeritate seu volubilitate nuncupatorum, et in choris frequentatorum, unde et *chorei* dicti et *rotatiles*, quod rotæ motu, ex violento et naturali composito, ferantur. Nam rota ubi primo quoque impulsu semel mota est, ab seipsa motus tenorem perpetuat, propterea quod semper partem inferiorem superioris orbis moles premat. Itaque licet iambus æque cito evadat e faucibus, solum tamen trochæum volubilem agnoverunt, propter aliam syllabarum, in eadem quidem temporum quantitate, dispositionem. Iambus enim initio celer impetum capit, mox subsistit. Contra stat primum trochæus, deinde urget hoc ipso quasi pondere syllabæ syllabam, in quam incumbit, atque ea videtur subterlabi sua celeritate. Quemadmodum egregie hæc, ut omnia, nos edocet J. C. Scaliger in Hyle Poet. cap. 3. Quumque carmina ita ab initio facta, ut cantillarentur, quare adducor, ut hæc inter prima agnoscam. Quamobrem et Porcium Lucinium Servius Poeticam Romæ cœpisse dicit, in hisce versibus, teste A. Gellio, lib. XVII, cap. ult.

Pœnico bello secundo, Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosi in Romuli gentem feram.
* * * * *

Ennius quippe et Pacuvius, Nævius aliique prisci hoc carminum genere gavisi, licet rudi adhuc et impolito, ut in not. ad vs. 57 monstratum est; taliaque multa in Varrone, Cicerone, et veterum Poetarum, Grammaticorum item Corpore deprehendimus, quorum gustus hic esto, quæ inter florida Veterum alibi emendavimus et enarravimus.

Num novus quidam Deus jam sic repertus est Jovis?
Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem,
Cui quod in me est, exsecrabor hoc, quod lucet, quidquid est,
Juppiter tremenda, sancte, tela qui regis manu.

* * * * *

At pater Divum trisulcum fulmen igni fervido
Mittat in tholum macelli.

* * * * *

Tumque cæli mundu' vastus constitit silentio,
Et Neptunus sævus undis asperis pausam dedit,
Sol equis iter repressit ungulis volantibus;
Constitere amnes perennes, arbores vento vacant.

* * * * *

Aureos subducit ignes sudus ora Lucifer.

* * * * *

Cærulæ Neptune rector undæ, litorum potens.

* * * * *

Tolle thyrsos, æra pulsa, jam Lyæus advenit.

* * * * *

Sic coruscus imber, alto nubilo multus cadens,
Grandine implicatur alba.

* * * * *

Improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.

* * * * *

Assum atque advenio Acherunte vix via alta atque ardua,
Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,
Maximis; ubi rigida constat crassa caligo inferum.
Unde animæ excitantur obscura umbra, apertoque ostio
Alti Acherontis, mortuorum salso sanguine imagines.

* * * * *

Tenebræ conduplicantur, noctisque et nimbum occæcat nigror,
Flamma inter nubeis coruscat, cælum tonitru contremit.
Grando mista largifluo imbri subito præcipitans cadit:
Undique omnes venti erumpunt, sævi exsistunt turbines.
Fervet æstu pelagus. *Cic. III de Oratore.*

* * * * *

Hercules invicte, Cautus hoc tuo donum lubens
Numini sancto dicavit, prætor urbis maximæ:

Quum pia solenne mente rite fecisset sacrum,
Tradidisti quod Potitiis Evandreo sæculo
Administrandum, quod illi huc Antiis adduxerant.

* * * * * *

Nemini Fortuna currum, a carcere ultimo levis,
Missum inoffensum per æquor candidum ad calcem subit.

* * * * * *

Quod magnopere quæsierunt, id fruisci non queunt.

* * * * * *

Quum sapiens virtuti honorem præmium haud prædam petat,
Ecquid video, ferro septus possidet sedes sacras?

* * * * * *

Multi' modis sum circumventus, morbo, exsilio atque inopia:
Tum pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat,
Alter horribilem minatur vitæ cruciatum et necem:
Quid? nemo ingenio est tam firmo et tanta confidentia,
Quin refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu.

* * * * * *

Otio qui nescit uti, plus negotii hic habet,
Quam quum sit negotium, ... in negotio.
Nam cui quod agat institutum est, nullo id agit negotio,
Suadet ibi, suamque mentem atque animum delectat suum.
Initio sed otioso nescit animus quid velit.
Hoc idem est, neque nos domi nunc, nec quoque militiæ sumus.
Imus huc, hinc illuc, quum illuc ventum est, ire illinc lubet.
Incerte errat animus, præter propter vitam vivitur.

* * * * * *

Hæc tu etsi perversa dicas, facile Achivos flexeris.
Namque quum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta eademque ratio æqua non æque valet.

* * * * * *

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm:
Ne quid exspectes amicos, quod tute agere possies.

* * * * * *

Neminem vidi qui sciret, quique sciat, quod est opus.

* * * * * *

Dulcem aquam bibat salubrem, cæpe et esit flebile.

* * * * * *

In quibus (villis) Libyssa citrus fasciis cingit fores:
Atque ubi graves aluntur pascuis pavum greges.
Vel decem menses ubi una sepiant granaria,
Vincis ubi ampla cella, torculare Pœnicum.

* * * * * *

Libera lingua loquemur, ludis liberalibus.

* * * * * *

................Quique res magnas manu
Sæpe gessit gloriose, cuju' facta vivida
Nunc vigent, apudque gentes solus qui præstat; suus
Eum pater cum pallio uno quondam ab amica abduxerat.

* * * * * *

Dum Africani voce divina inhiat avidis auribus,
Dum ad Furium se cœnitare et Lælium, pulchrum putat,
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem ætatis suæ, ad summam inopiam redactus est.

* * * * * *

Scena quem senem Latina videret dirissimum.

* * * * * *

Hæc quidem me hercle opinor, præfica est, quæ mortuum
Sic collaudat.

* * * * * *

Non mammosa, non annosa, non bibosa, non procax.

* * * * * *

Sic mihi quum tetulit coronam ad collocandas nuptias,
Tibi ferebat: quum simulabat sese eam alteri dare,
Tum ad te ludibunda docte et delicate detulit.

* * * * * *

Lena delinita argento nutus observat meos.
Quid velim, quid studeam: adveniens digito impellam januam,
Mox patebit: de improviso Chrysis ubi me adspexerit,
Alacris obviam mihi veniet, complexum exoptans meum,
Mihi se dedet. Fortunam ipsam anteibo fortunis meis.

* * * * * *

Sonticam esse caussam oportet, perdat ob quam feminam.

* * * * * *

Lacte candidum papilla quum fluit, signum putant
Partuis, quod hic sequatur mulierem e partu liquor.

* * * * * *

Istiusmodi parentum est vita bilis liberis,
Sicubi malunt timeri, quam vereri se a suis.

* * * * *

Nempe ii snnt vere inimici pessimi fronte bilaro,
Corde tristi, nt apprehendas quos neque, aut mittas, scias.

* * * * *

Antesignani quadratis multis tecti insignibus,
Quos sequuntur cnm rotundis velites parmis leves.

* * * * *

Hujusmodi multæ, in triumphis præcipue cantari suetæ strophæ, apud bonos auctores occurrunt; velnti militum pueri ballistea et saltatiunculas tales composuerunt in Aurelianum apud Fl. Vopiscum :

Mille, mille, mille, mille, mille, decollavimus.
Unus ille Aurelianus mille decollaverat.
Ille mille vivat annos, ille mille occiderat !
Tantnm habebit nemo vini, quantum fndit sanguinis.
Mille Francos, Sarmatasque mille junctim occidimus.
Mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.

Cui haud absimilis est muliebris chori ovatio in sacris lib. I Regum, cap. XVIII, versu 7 :

Percussit Saul mille, et David decem millia.

Quippe cantiunculæ hujusmodi trochaicæ plerumque fuere, quales et istæ in C. Cæsarem. Vid. Sueton. cap. 80 :

Gallos Cæsar in triumphum ducit, idem in Curiam.
Galli brachas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.

Item in eumdem joca militaria, vid. Barthius, lib. XLVII, cap. 23; et Sueton. cap. 51 :

Urbani, servate uxores : mœchum calvum addncimus.
Aurum in Gallia effutuisti; hic sumpsisti mutnnm.

* * * * *

Idem Sueton. cap. 49:

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.
Ecce Cæsar nnnc triumphat, qui subegit Gallias :
Nicomedes non triumphat, qui snbegit Cæsarem.

Et in eumdem, statuæ ipsius subscriptum, ut videre est pariter, in Suetonio, cap. 80:

Brutus quia reges ejecit, consul primus factus est:
Hic quia consules ejecit, rex postremo factus est.

Item in Servii Galbæ severissimam disciplinam, per castra jactatum est; apud ejusdem Suetonii Galbam, cap. 6:

Disce miles militare, Galba est, non Gætulicus.

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS SECUNDI VOLUMINIS.